BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
32
7 E
15
FONDO EBORENSE

8 210

Archipo: mangelia .

Digitized by Google

DICTIONARIUM
CASUUM CONSCIENTIÆ
ET
CONTROVERSIARUM
FORENSIUM
ECCLESIASTICARUM
CUM
PRINCIPIIS GENERALIBUS
CUILIBET ARTICULO PRÆMISSIS
ET
RESPONSIONIBUS IDONEIS
PROPOSITOS CASUS ELUCIDANTIBUS.

EX IDIOMATE GALLICO LATINE REDDITUM.

EDITIO SECUNDA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TERTIA PARTE AUCTIOR ET EMENDATIOR,

QUAM

CURAVIT, ET, RETENTIS EX PRIMA EDITIONE NOTIS

D. EUSEBII AMORT, QUANDOQUE SUAS ADJECIT

M. B. C. R. P.

SUPERIORUM PERMISSU.

TOMUS SECUNDUS.
F — O.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMPTIBUS FRATRUM VEITH, BIBLIOPOLARUM.
MDCCLXXXIV.

Elenchus Articulorum
Tomi II.

F.

Falſarius. Pag. 1
Feſta. 2
Fictio. 6
Fideicommiſſum. Vide *Donatio.* Tomo I. p. 552. *Lex* 358. *Teſtamentum,* Tom. III. p. 546.
Fidejuſſor. 7
Fides. 13
Fornicatio. 19
Fucus muliebris. 24
Fundatio. 25
Fundator. 27
Furtum. 28

G.

Gloria humana. Vid. *Vana Gloria.* Tom. III. p. 596.
Gula. 36

H.

Habitus clericalis. 37
Habitus peccaminoſus. Vid. *Peccator conſuetudinarius.* Tom. III. p. 51.
Hæres. 40
Hæreſis 54
Hiſtrio. 54
Homicidium. 56
Honor. 63
Hoſpes. 64
Hoſpitale. 64
Hypocriſis. 66
Hypotheca. 67

I.

Jactantia. 77
Jejunium. 79
Ignorantia. 90

Illegitimus. 93
Imago obſcœna. 99
Impedimenta Matrimonii in genere. 100
Impedimentum Erroris. 104
Impedimentum Conditionis ſervilis. 105
Impedimentum Voti. 108
Impedimentum Cognationis carnalis. 112
Impedimentum Cognationis ſpiritualis. 114
Impedimentum Cognationis legalis. 119
Impedimentum Affinitatis. 121
Impedimentum publicæ Honeſtatis. 124
Impedimentum Ordinis. 129
Impedimentum diſparis Cultus. 132
Impedimentum Clandeſtinitatis. 136
Impedimentum Ligaminis. 145
Impedimentum Metus. 147
Impedimentum Criminis. 150
Impedimentum Impotentiæ. 154
Impedimentum Raptus. 162
Impedimenta impedientia. 164
Impotentia. Vid. *Impedimentum Impotentiæ.* 154
Incarceratus. 165
Inceſtus. 165
Indulgentiæ. 167
Infamia. 178
Infidelis. 179
Injuria. 180
Inſpiratio. 182
Intemperantia. 183
Intentio. 185
Interdictum. 187
Interſtitia. 197
Inventa. 198
Inventarium. 199
Invidia. 201
Invocatio Sanctorum. 203
Ira. 203
Ironia. 205
Irregularitas. 266
Jubilæum. 280
Judæus. 290
Judex. 293
Juramentum. 308
Juriſdictio. 320

L.

Labor ſervilis. 322
Larvatus. 323
Laudemium. 325
Laus. 326
Legatum. 327
Legitimus. Vid. *Adulterium.* Tom. I. p. 49. Caſu 24. Item: *Illegitimus.* 93.
Lex. 358
Liberi. 365
Libri prohibiti. 368
Lis. 372
Locatio. 373
Loteria. 392
Luſus. 394
Luxuria. 400

M.

Magus. 402
Maledictio. 405
Maleficium. 407
Malitioſus. 408
Mancipium. 409
Martyrium. 412
Matrimonium. 413
Medicus. 456
Melitenſis. 460
Mendacium. 460
Mercator. 467
Merces. 467
Meritum. 469
Metus. Vid. *Contractus.* Tom. I. p. 386. *Impedimentum Metus.* 147. *Ordo.* 665. Caſu 17. *Peccatum.* Tom. III. p. 56. Caſu 10. *Promiſſio.* Tom. III. p. 167. Caſu 6.
Miſſa. 471
Miſſionarii S. Lazari. 517
Molendinum. 518
Monaſterium. 520
Moneta. 529
Monialis. 530
Monitorium. 559
Monopolium. 576
Motus primo - primi. 578

Mul-

Mulcta. 579
Mutilatio. Vid. *Homicidium.* 56. Caſu 14. *Irregularitas.* 206. Caſu 80. 81. 99. 100. 101. 102. 105. 106. & 107. *Surdus* & *Mutus.* Tom. III. p. 526.
Mutuum. 580.

N.

Naufragium. 586
Notarius. 589
Novitius. 594
Nummularius. 600.
Nundinæ. Vid. *Dominicæ* & *Feſta.* Tom. I. p. 544. Caſu 5. 11. & 12.

O.

Obedientia. 603
Oblationes. 614
Obſcœna Cogitatio. Vid. *Cogitatio.* Tom. I. p. 272.
Obſeſſus a Dæmone. 617
Occaſio peccandi. 618
Odium. 620
Officialis 621
Officium Breviarii. 632
Opinio. 655
Oratio. 660
Oratorium, Congregatio Clericorum. 663
Ordo, Sacramentum. 665
Ornamenta Eccleſiæ. 690
Ornatus muliebris. 693
Oſculum. 696

DICTIONARIUM
CASUUM CONSCIENTIÆ.

F.

FALSARIUS.

1. Falſarius dicitur ille, qui falſitatem commiſit, qualiſcunque demum ſit, ſeu viva voce, ſeu ſcripto, ſeu aliquo facto.

2. *Crimen falſi* eſt ex ſua natura peccatum mortale; poteſt tamen quandoque ſolum eſſe veniale intuitu circumſtantiarum, quæ gravitatem ejus notabiliter diminuunt.

3. *Clerici Falſarii* debent degradari, & omni privilegio Clericali privari: in Gallia puniuntur morte.

4. *Crimen falſi* circa literas, & reſcripta Apoſtolica novem diverſis modis committi poteſt: *Decretalis* INNOCENTII III. hos modos, & pœnas talibus Falſariis ac eorum complicibus infligendas indicat.

5. *Crimen falſi* commiſſum a *Notariis*, *Scribis*, *Procuratoribus*, & aliis Miniſtris publicis ſeverius punitur, quam in perſonis particularibus; cum illi violent fidem publicam, cujus ſunt depoſitarii. Hoc crimen juxta juriſprudentiam multorum *Parlamentorum* inficit totum contractum, redditque eum nullum.

6. *Crimen falſi* quoad monetarum adulterationem commiſſum a Beneficiario non facit vacare ipſius beneficium niſi per ſententiam judicis.

CASUS I. *Farulfus* pauper ſcriba, imitatus ſcripturam mandati, quo Capitaneo indicabatur via, per quam ſuam turmam Veſuntium duceret, inſeruit quosdam pagos in mandato non annotatos, nullatenus recogitans, Capitaneum iſtum hoc ficto mandato eſſe abuſurum; ſed ſolum ſpe duorum imperialium, qui promittebantur, & quibus ſuam inopiam ad tempus ſublevaret, illectus id fecit.

℟. Non eſt dubitandum, illum peccaſſe mortaliter; quia anſam dedit, & efficaciter cooperatus eſt ad injuſtas a Capitaneo faciendas vexationes, & ſic voluntarie ſe expoſuit periculo perdendi vitam adulterando mandatum Regis vel ipſius Miniſtri; teneturque ad reparandum pagis illis damnum,

quod milites intulerant, ni Capitaneus ipſe reparet. Gregorius IX. in cap. ſi culpa. fin. de injuriis. *Pontas.*

CASUS II. Chronopius diſpenſationem Papalem, qua indigebat, ſubreptitie obtinuit, reticendo in libello ſupplici rem neceſſario exprimendam, ut diſpenſatio ſit valida.

℟. Non cenſetur, eum numerandum eſſe inter Falſarios Reſcriptorum Apoſtolicorum, & incurriſſe pœnas a Canonibus in tales latas: Reſcriptum enim hoc vere a Papa emanavit, quamvis id non dediſſet, ſi perfectam omnium circumſtantiarum, de quibus inſtrui debuiſſet, habuiſſet notitiam. Interea diſpenſatio eſt nulla, & Chronopius graviſſimum commiſit peccatum. RICHARDUS in 4. Diſt. 18. *Pontas.*

FESTA.

1. Per Feſta hic denotantur dies ab Eccleſia ſpecialiter conſecrati cultui myſteriorum redemptionis noſtræ aut memoriæ Beatiſſimæ Virginis & Sanctorum, ut & nos cum illis gaudeamus de gloria, qua fruuntur, vehementius excitemur ad eorum imitationem, & omni ſtudio jucundiſſimæ cum iis in cœlo ſocietatis gratiam quondam obtinere conemur.

2. Agetur in hoc titulo de obligatione peregrinorum ad audiendam Miſſam diebus feſtis. Diſtinguentur præcepta in ea, quæ ſunt juris communis, & omnes obligant; ac in ea, quæ ſunt juris particularis, & ſolum ligant ſubditos Superioris illius, qui tulit legem. Nec prætermittetur præceptum generale ſanctificandi dies feſtos auctoritate Eccleſiæ ſtabilitum. D. Thomas ſolum duas admittit exceptiones ab obligatione hujus præcepti, easque non niſi juſta exigente neceſſitate, *ſecluſo tamen ſcandalo.* Agetur denique de neceſſaria auctoritate inſtituendi Feſta. Epiſcopi certe quidem habent jus nova Feſta inſtituendi; ſed ut in foro ſerventur vix evincent, niſi collatis prius cum Principe territoriali conſiliis agant; imo juxta ſanctiones Canonicas ad hoc requiritur etiam conſilium Cleri, & conſenſus ſaltem tacitus populi.

3. Judices diebus feſtis non poſſunt ferre ſententias, nec ullum alium jurisdictionis actum exercere, niſi in caſu, cujus diſcuſſio aut deciſio maximi momenti foret, & ſine magna inconvenientia differri non poſſet.

CASUS I. Ptolomæus civis Auguſtanus profecturus in Tyrolin attingit 3. Julii Monachii. Quæritur 1. An altera die S. Udalrico ſacra & Feſto de præcepto per Diœceſin Auguſtanam, non autem Monachii, ſub peccato mortali tenea-

neatur audire Miſſam. Dubitat de hac obligatione; quia videtur hoc præceptum tantum ſtringere eos, qui ſunt in Diœceſi Auguſtana. Nihilominus perpendit, ſe etiam in Diœceſi Friſingenſi manere civem Auguſtanum, & ſic poſſe obligari ad ſervanda Feſta ſuæ Diœceſis. 2. Si proſecuturus iter ſuum tranſeat per oppidum, in quo Feſtum diœceſanum de præcepto agitur, teneturne ibi intereſſe Miſſæ, etiamſi in loco divertere non cogitet?

℟. Certum eſt, quod detur obligatio ſervandi ea, quæ ſunt juris communis. Sic diœceſanus Mediolanenſis, cui in ſua diœceſi die Cinerum & ſequenti jejunium non eſt præceptum, extra ſuam diœceſin commorans tenetur ad jejunium & abſtinentiam dictis diebus; quia hoc præceptum eſt de jure communi. Aliud autem dicendum de obligatione, quæ ſolum fundatur in ſtatuto aut conſuetudine particulari. Hinc Ptolomæus diœceſanus Auguſtanus, ſe detinens Monachii diœceſis Friſingenſis in feſto S. Udalrici, non tenetur eo die audire Sacrum; quia hoc feſtum non eſt de jure communi. Ex eadem ratione tranſiens per oppidum, in quo celebratur feſtum diœceſanum, & ubi pernoctare non cogitat, non tenetur ſub peccato mortali intereſſe Sacro; quia eſt feſtum ſolum de præcepto particulari hujus diœceſis. *Pontas.*

CASUS II. Theodatus civis Monacenſis iter faciens Neoburgum venit Auguſtam, ibique pernoctat in vigilia S. Afræ, feſti de præcepto in tota diœceſi.

℟. Tenetur ſequenti die audire Miſſam, etſi hoc feſtum non celebretur Monachii. Ratio eſt; quia Statutum diœceſanum ligat etiam extradiœceſanos, ſi divertunt in diœceſi, ubi ejusmodi præceptum viget. *Pontas.*

Nota. Plures & inſignes Theologi ac Canoniſtæ tenent oppoſitum, docentes, quod peregrini *per ſe* non teneantur legibus locorum particularium; etſi ad breve tempus ibi divertant.

CASUS III. Elcearius ſutor Pariſienſis tabernam ſuam ſemi-apertam habens diebus feſtis, publice vendit merces ſuas, ac etiam ſuos domeſticos vult obligare ad præſtandam ſibi hiſce diebus operam ſuam, cum credat, ſe licite poſſe exercere commercium ſuum. 1. quia Magiſtratus id non prohibet, maxime cum feſta incidant in dies Mercurii & Sabbati, quibus celebratur forum ſolitum. 2. Quia taberna peropportune ſita eſt in loco hujus fori. 3. Omnes ſutores cæteri idem faciunt, & ſi ipſe non venderet, damnum notabile pateretur. 4. Incolæ vicinorum pagorum iſtis ſolent

advenire diebus, utpote aliis diebus impediti labore; & ideo credit, ſe potius actum charitatis exercere. 5. Confeſſarius permiſit hoc commercium tamdiu, quamdiu id generali prohibitione non inhibeatur etiam cæteris ſutoribus, & præcipiatur illis clauſas tenere tabernas. 6. Quia antiqua eſt conſuetudo.

℟. Labor & commercium æqualiter prohibentur ab Eccleſia & a poteſtate politica. Si emptorem urgeat neceſſitas emendi aliquam rem, & differre non poſſit ſine gravi incommodo, poteſt illi vendi ſine peccato; dummodo abſit ſcandalum. Mercator poteſt vendere diebus feſtis, ſi alioquin familiam ſuam non poſſet ſuſtentare, præcipue ſi vendat illis feſtis diebus, quibus tolaratur publicum forum, & alii mercatores ejusdem profeſſionis publice vendunt. Denique in dubio, an vendi poſſit diebus feſtis, exiſtentibus in contrarium opinionibus, recurrendum eſt ad Superiorem. His ſuppoſitis exiſtimo, Elcearium, ſi comprehendatur in circumſtantiis ſupra in reſponſione poſitis, poſſe vendere diebus Mercurii & Sabbati etiam feſtivis, ut ſolent alii; imo poteſt ad hoc etiam operam requirere domeſticorum ſuorum, dummodo tempus ipſis ſuppetat ſaltem Miſſam audiendi. Verum extra memoratas circumſtantias vendere ſive per ſe ſive per domeſticos eſt peccatum contra præceptum ſanctificandi diem feſtum. Si tamen ipſi dubium videatur, conſulat Epiſcopum vel Vicarium Generalem, *Pontas*.

Nota. Quod declarare poteſt Epiſcopus, eo tacente declarat conſuetudo notoria.

CASUS IV. Cum tempore meſſis continuæ eſſent pluviæ, ita ut ſegetes in periculo verſarentur aut plenæ corruptionis, aut ſaltem notabilis deteriorationis, quæritur, an non die feſtiva aut Dominica liceat eas metere, aut horreis invehere, ſi forte tempeſtas faveat, & timendum ſit, ne brevi denuo ſuccedant pluviæ.

℟. Certum eſt, quod ruricolæ, qui non niſi ex fructibus agrorum ſuorum habent ſuſtentationem ſuam, eos autem in his circumſtantiis periculo corruptionis expoſitos cernunt, poſſint laborare diebus feſtis ac etiam Dominicis ſine ulla Dei offenſa, ut ſubſidia vitæ ſuæ periculo ſubtrahant, ac in tuto collocent, dummodo prius Miſſam ſaltem audiant. Requiritur autem ad hoc præter caſum neceſſitatis etiam licentia legitimi Superioris, ſi ea commode peti poteſt. *Opus corporale*, ait S. Thomas, *quod ordinatur ad imminens damnum*

rei

rei exterioris vitandum, *non violat Sabbatum. Unde dicit Dominus Matth.* 12. *Quis erit ex vobis homo*, *qui habet unam ovem*, *& ſi ceciderit ſabbato in foveam*, *nonne tenebit & levabit eam? Pontas.*

Nota. Ruri nomine legitimi Superioris ordinarie venit parochus, qui in ejusmodi circumſtantiis de conſenſu Epiſcoporum vel expreſſo, ut in noſtra diœceſi Auguſtana, vel ſaltem tacito eſt idoneus interpres mentis Eccleſiæ.

CASUS V. Epiſcopus privata auctoritate inſtituit quinque aut ſex nova feſta; cui novitati autem major pars Cleri, Magiſtratus ac populus ſeſe oppoſuerunt.

℞. Non poteſt eos cogere ad obſervationem ſui mandati Decretalis Gregorii IX. Epiſcopis poteſtatem tribuens inſtituendi nova feſta vult, ut id fiat cum conſenſu Cleri & populi. Certe ipſa Eccleſia quandoque non tam ſollicita erat pro multiplicatione quam pro diminutione feſtorum, ut patet ex pluribus Conciliis provincialibus, inter quæ illud Rhemenſe de anno 1583. *Pontas.*

Nota. Hoc tempore vix novum feſtum de præcepto introduci poſſet ab Epiſcopo ſine conſenſu Principis territorialis. Reductio ſaltem feſtorum paucis abhinc annis per totam Germaniam a ſummo Pontifice facta eſt ad inſtantiam maxime Principum ſæcularium.

CASUS VI. Quædam fœminæ ſe in confeſſionali accuſant, quod die Dominica laborarint ſine neceſſitate; cum vero Confeſſarius declararit, eas peccaſſe mortaliter, reponunt, ſe non laboraſſe pro mercede aut lucri gratia; hinc laborem iſtum non poſſe tam graviter peccaminoſum eſſe.

℞. Errant; nam actio de ſe ſervilis prohibita eſt die feſto independenter ab intentione, quam quis habere poſſet tali actione nihil lucrandi; ſicut etiam actio, quæ ex ſua natura non eſt ſervilis, per intentionem illa aliquid lucrandi talis non fit: ſola igitur ignorantia has poteſt excuſare fœminas. C. B.

CASUS VII. Petrus, Typographus ſe accuſat, quod quatuor impenderit horas Feria ſecunda Paſchæ in literis in ordinem conſtituendis, & altero die æquale temporis ſpatium conſumpſerit in imprimendo. Ipſius Confeſſarius judicat, illum utroque die transgreſſum fuiſſe præceptum.

℞. Si Petrus credidit, ſe reapſe utroque die violaſſe præceptum, judicium Confeſſarii eſt juſtum; ſive dein ſit, quod Petrus egerit contra ſuam propriam conſcientiam, ſive quod juxta opinionem multo probabiliorem opus mechanicum ſit

non ſolum formare exemplaria, ſed etiam literas in ordinem conſtituere *Suarez* de virt. relig. l. 2. c. 25. n. 8. *Palaus* part. 2. Tr. 3. Verum ſi Petrus ſe accuſat de uno & de altero ad majorem conſcientiæ ſecuritatem, licet crediderit, ſibi permiſſum fuiſſe conſtituere in ordinem literas, deciſio Confeſſarii non eſt exacta; cum hæc ſecunda opinio ſit adhuc probabilis. *Homob. Diana. Tambur. Aliique. C. B.*

Nota. Idem obſervandum circa Bibliopegos, ſi folia librorum in ordinem diſponant; dummodo mane publico officio Miſſæ, & Concioni, ac Veſperis interſint.

Vide *Dominica & Feſta. Labor ſervilis.*

FICTIO.

CASUS I. Petrus, ut induceret Paulum ad diminutionem cenſus annui ob ſummam pecuniæ mutuo ab ipſo acceptam ſolvendi, fingit ſe expuncturum hoc debitum; licet nec velit nec poſſit.

℞. Facta diminutio cenſus alias moderati ac liciti non poteſt haberi pro valida in foro conſcientiæ; quia, cum Petrus per dolum & fraudem Paulum induxerit ad diminuendum cenſum, dolus autem & fraus contractum, cujus ſunt cauſa, reddant nullum, evidens eſt, hanc diminutionem eſſe injuſte & invalide factam. Lugo de Contract. diſp. 21. n. 171. Lacroix L. 3. p. 2. n. 1018. C. B.

Nota. Petrus meo judicio peccat mentiendo; ſed contractus non eſt invalidus. Liberrimam enim reliquit Paulo optionem, ineundi contractum cenſualem cum alio.

CASUS II. Quidam Confeſſarius nolens manifeſtare eos, quos ſine abſolutione dimittit, pronunciat quidem abſolutionis formam ſuper eos, quos male diſpoſitos deprehendit, nullam tamen eos abſolvendi intentionem habet. Iſta fictio eſtne permiſſa?

℞. Non eſt licita; quia non poteſt non eſſe injuriosum Deo ad fictam abſolutionem uti verbis, quæ ex inſtitutione Chriſti ſunt forma Sacramenti pœnitentiæ. Hinc manifeſte peccat hic Confeſſarius, & quidem graviter. Dein quid ſimulatione opus, dum pœnitens indiſpoſitus absque abſolutione, nemine advertente, poſſit dimitti, ſi formæ ſacramentalis loco ſubmiſſa voce quædam ſuper eum preces pronuncientur pro impetranda ipſi emendationis gratia? C. B.

FIDEICOMMISSUM.

Vide *Donatio. Leges. Teſtamentum.*

FIDEJUSSOR.

1. Fidejuſſor dicitur ille, qui pro alterius facto ſpondet, & eadem cum illo obligatione tenetur. Uſus fidejuſſionum ad omnia obligationum genera extenditur. Triplex autem fidejuſſionum genus diſtinquitur: prima eſt, quæ voluntarie ſuſcipitur pro quacumque obligatione: ſecunda, quæ lege conſtituitur: tertia, quæ a Judice ordinatur, ſeu ex officio, ſeu ad inſtantiam aut oblationem partium.

2. Uxores poſſunt cautionem præſtare pro liberatione maritorum ſuorum ex carcere; ſicut & minorennis octodecim annos natus pro liberatione patris; ſed nec uxor nec minorennis amplius ſperare poterit reſtitutionem pro cautione præſtita.

3. Fidejuſſor ut talis ad majus obligari nequit, quam obligatur debitor principalis, pro quo fidejubet; quamvis poſſit ad minus. Poteſt quis fidejubere pro altero, etiam inſcio. Fidejuſſio adverſus leges aut bonos mores data eſt invalida. Sunt quædam obligationes, in quibus inhoneſtum foret fidejuſſorem exigere. Hæres defuncti fidejuſſoris de ipſius obligatione tenetur, extra caſum coactionis corporalis. Cum ſemel acceptata eſt cautio, altera jam exigi nequit, licet fidejuſſor ſolvendo impar evaſiſſet. Fidejuſſor, qui ſe non obligavit in ſolidum, conveniri non poteſt, niſi poſtquam principalis creditor facta excuſſione debitoris principalis ex ejus bonis ſolutionem obtinere non potuit: excipiuntur tamen ab hac regula, qui judicialiter ſe fidejuſſores conſtituerunt; item caſus, quo principalis debitor eſt abſens, nec ullum illius bonum comparet. Quando plures conjunctim fidejubent pro principali debitore, quilibet eorum tenetur in ſolidum. *Diviſionis Beneficium* vocatur jus illud, quod habent fidejuſſores dividendi inter ſe obligationes ſuas pro debitis civilibus: huic juri ſi renunciant, unus pro toto debito a creditore conveniri poteſt.

4. Principaliter obligatus tenetur fidejuſſori ſuo indemnitatem præſtare; id ſi renuat, fidejuſſori in eum competit actio. Si fidejuſſor creditori ſolutionem præſtitit ante diem præſtitutum, contra principaliter obligatum agere non poteſt, niſi poſt elapſum terminum. Creditor non poteſt convenire fidejuſſorem, niſi de eo, ad quod principalis debitor

tenetur. Si fidejuſſor ſolvat integrum debitum creditori, quin ſe ſubſtitui curet in jura creditoris, ſolum convenire poteſt debitorem primarium, non autem reliquos confidejuſſores: ſi vero creditor ipſum ſubſtituat in jura ſua, aut ipſe fidejuſſor in jura creditoris ſubſtitui ſe curet a Judice, actio ipſi datur etiam contra reliquos confidejuſſores.

5. Fidejuſſio extinguitur, ſi ſolvitur debitum; aut ſi in obligatione principali interveniat vitium eſſentiale; aut ſi innovetur titulus debiti inter creditorem & debitorem inſcio fidejuſſore. Denique ſi creditor fiat hæres debitoris, aut debitor creditoris, ceſſat obligatio fidejuſſionis, ratione confuſionis harum duarum perſonarum in unam.

CASUS I. Symmachus Simeoni mutuo dedit duo florenorum millia ad annum, cautionem præſtantibus Petro, Paulo & Andrea.

℟. Symmachus non poteſt agere contra fidejuſſores, niſi prius excuſſerit bona Simeonis, & actionem ſuam diviſerit inter omnes, qui fidejuſſerunt. Et hunc ordinem ſequi debet Symmachus; ſaltem niſi obligaverit tres fidejuſſores ad renunciandum his duobus beneficiis a jure conceſſis, nempe excuſſionis & diviſionis; ſecus enim poſſet actionem movere contra fidejuſſorem, quemcumque vellet, dummodo huic ſimul cedat omnia jura ſua, ut & iſte poſſit agere contra reliquos fidejuſſores. *Pontas.*

CASUS II. Elbidius mutuos accepit octingentos florenos a Juſtino fidejubente Antonio. Juſtinus poſtquam plures Elbidio ſolvendi dilationes indulſerat, non obtenta ſolutione fecit illum judicialiter declarari impotentem ad ſolvendum; ſicque pro ſolutione convenit Antonium, qui tamen eam recuſat, aſſerens, ob plures conceſſas dilationes Elbidium in hunc ſtatum deveniſſe.

℟. Si in hoc caſu ſimplex ac pura intervenerit obligatio, in qua Elbidius fatetur ſe debere Juſtino ſummam 800. florenorum, eamque ſe reſtituturum promittit, quamprimum pro ſolutione interpellatus fuerit, Antonius revera obligatur Juſtino tanquam fidejuſſor. Si vero obligatio continebat præfixum terminum ſolutionis, eumque Juſtinus propria authoritate ſine conſenſu Antonii pluries prorogaverit, ſibimet ipſi imputare debet Juſtinus, quod Elbidius eum in ſtatum devenerit, quo non amplius poſſit ſolvere. *Pontas.*

CASUS III. Achilles mutuos dedit Juliano 1000. florenos, fidejubentibus Titio & Mævio: cum vero non obtineret ſolutionem, facta licet excuſſione bonorum Juliani, imo nec Titius eſſet ſolvendo, aut cum omnibus mobilibus ſuis

migraſ-

migraſſet in regionem hoſtilem, ſolutionem totius ſummæ petit a Mœvio; qui autem reſpondet, ſe non teneri niſi ad dimidium debiti, cujus ſolutionem etiam offert: timens vero, ne ob authoritatem Achillis, qua ubique pollebat, condemnaretur ad ſolutionem totius, omnia mobilia ſua abſcondit.

℟. Injuſte agit Mœvius. *Pontas.*

CASUS IV. Baldericus rebus ſuis in deteriora labentibus a Georgio mutuos accipit 500. florenos, fidejubente Mutio mercatore prædivite: terminus ſolutionis conſtituitur annus. Hoc elapſo Georgius ſciens, Baldericum non eſſe ſolvendo, adigit ad ſolutionem Mutium; quam cum recuſaret, eidem minatur proceſſum tum ex hac, tum ex aliis gravibus cauſis, ſalvo regreſſu ad Baldericum.

℟. Georgius non poteſt abſque injuſtitia Mutium adigere ad ſolvendum, antequam egerit contra Baldericum, eumque fecerit judicialiter declarari impotentem ad ſolvendum; ſaltem niſi conventum fuiſſet inter eos, ut Georgio liberum ſit convenire, quemcumque ex ambobus voluerit. *Pontas.*

CASUS V. Caſſander minorennis ſedecim aut ſeptedecim tantum annos natus mutuos accepit a Marcello 100. florenos, fidejubente Paulino; ſed factus majorennis liberavit ſe ab obligatione ſolvendi debitum. Marcellus itaque agit contra Paulinum, ut condemnetur ad ſolutionem hujus ſummæ.

℟. Quamvis Caſſander liberaverit ſe ab obligatione debiti, non tamen cenſetur liberatus eſſe fidejuſſor. Si tamen minorennis ex hac ſumma traxit commodum aut utilitatem ſuam, fidejuſſor poteſt agere contra ipſum ad præſtandam indemnitatem. *Pontas.*

CASUS VI. Eulogius debet 500. florenos Flodoardo ſub cautione Matthæi, Lucæ & Joannis. Flodoardus cum non poſſet obtinere ſolutionem ab Eulogio, agit contra Matthæum, qui & condemnatur ad ſolvendam totam ſummam.

℟. Matthæus juſte non poteſt convenire Lucam & Joannem, ſed tantum Eulogium debitorem principalem, niſi ſe ſubrogari fecerit in jura Flodoardi creditoris. *Pontas.*

CASUS VII. Phœbus fidejuſſit pro Juſtino de 400. florenis mutuo acceptis ad unum annum ab Hieronymo; cum vero vellet celerius liberari a ſua obligatione, elapſis ſex menſibus ſolvit totam ſummam Hieronymo, repetitque hanc ſummam a Juſtino, addita comminatione movendæ litis. Juſtinus reſpondet, ante lapſum termini, videlicet unius anni, non teneri ſe ad ſolutionem.

℟. Phœbus tenetur exſpectare lapſum termini, ut poſſit Juſtinum compellere ad ſolutionem; ſaltem niſi indemnitas ipſius incurrat periculum. *Pontas.*

CASUS VIII. Sylvanus vendidit Claudio decem ſcaphas farinæ 75. florenis, cum obligatione farinam extradendi intra octiduum. Artus Claudio ſe Fidejuſſorem conſtituit. Si jam farina caſu fortuito pereat, manetne Artus ſemper obligatus?

℟. Si farina ante lapſum termini caſu fortuito pereat, nec Sylvanus nec Artus tenetur ferre damnum. Si vero Sylvanus fuerit in mora, ac negligens quoad traditionem farinæ intra præſtitutum tempus, eaque poſt lapſum termini corrumpatur, tam venditor quam Fidejuſſor obligantur Claudio. *Pontas.*

CASUS IX. Theophanes præſtitit Eugenio cautionem pro 250. florenis Judæ mutuò datis. Theophanes moritur interea, & Judas non eſt ſolvendo.

℟. Eugenius tuta conſcientia ſolutionem debiti petere poteſt ab hæredibus Theophanis. *Pontas.*

CASUS X. Richardus præſtat Antonio cautionem pro Sulpitio de 150. florenis; hoc Sulpitius Antonio debitum repetenti ſolvit. Verum Richardus hujus ſolutionis ignarus eandem ſummam Antonio ſolvit, qui & eam mala fide recipit. Cum poſtea Richardus Sulpitium conveniret pro compenſatione ſoluti, hanc ille recuſat, dicens, ſe monendum fuiſſe ante ſolutionem a Richardo; & Richardus econtra prætendit, ſe monendum fuiſſe de jam facta ſolutione a Sulpitio.

℟. Si Antonius exegit ſolutionem debiti a Richardo; hicque metu intentatæ ab Antonio excuſſionis bona fide ſolvit, merito convenit Sulpitium de indemnitate præſtanda. Si vero ultronee ſolvit, quin fuerit requiſitus, & quin monuerit Sulpitium debitorem principalem, non poteſt compenſationem ab eo exigere. *Pontas.*

CASUS XI. Vindonius mercator cautionem præſtitit in ſolidum pro Similiano, qui a Theotimo ad unum annum mutuos accepit 1000. florenos. Elapſo termino Similianus negligit ſolvere. Theotimus itaque utrumque, Similianum debitorem & Vindonium Fidejuſſorem trahit ad tribunal. Similianus tandem condemnatur ad ſolutionem; ſed Vindonius petit ab eo compenſationem expenſarum litis, ac damni, quod interea ſuo in commercio pertulit. Similianus primum in ſe recipit; alterum recuſat. *Pontas.*

℟. Similiànus in conſcientia tenetur ad utrumque. *Pontas.*

CASUS XII. Hanibal debet 400. florenos hæredibus Andreæ; hoc debitum ceſſit Matthiæ uni ex cohæredibus, qui voluit, ut Hanibal ſibi conſtitueret Fidejuſſorem, quod & factum eſt. Cum autem poſt aliquod menſes Matthias cogeretur cedere portionem hæreditatis ſuæ Joanni, fidejuſſor prætendit, ſuam quoque per hoc obligationem extinctam eſſe, eoquod tantum fidejuſſerit in gratiam Matthiæ: Joannes econtra vult, etiamnum ſubſiſtere hanc obligationem.

℟. Joannes jure vult ſubſiſtere obligationem: in quascumque enim manus hæreditas devenerit, ſemper ſubſiſtit Fidejuſſio. Ratio eſt; quia, ſi noluiſſet fidejubere pro Hannibale debitore, certe compulſus fuiſſet ad ſolutionem. *Pontas.*

CASUS XIII. Bonifacius fidejuſſit pro Ægidio, qui 105. florenos mutuos accepit ab Auguſtino. Cum vero Bonifacius Auguſtino exhibuiſſet obſequium magni momenti, is Bonifacio generoſe dedit apocham, qua totam ipſi ſummam remittit.

℟. Si ex modo tendendi ac ex verbis, quibus Auguſtinus creditor in ſua donatione uſus eſt, colligi non poteſt, quod per hoc totam ſummam donare voluerit Bonifacio, ſed ſolum quod eum ab obligatione fidejuſſoria liberare voluerit, ſemper adhuc remanebit Auguſtino jus ſuum repetendi debitum ab Ægidio, extincta ſola obligatione fidejuſſoris. Si vero ex modo tendendi appareat animus donandi Bonifacio totam ſummam ab Ægidio debitam, Bonifacius poſſet hanc ſummam ab Ægidio repetere. *Pontas.*

CASUS XIV. Pelagius pro reſtitutione rei ſuæ domeſticæ 1000. florenos mutuos petit a Petro, qui conſentit in mutuum, ſi fidejuſſorem conſtituat Ferdinandum: Ferdinandus autem exigit a Pelagio pro hoc obſequio 50. florenos ratione incurrendi ex fidejuſſione periculi.

℟. Ferdinandus abſque injuſtitia non poteſt exigere aut acceptare 50. florenos: non enim alius ipſi ſuppeteret titulus, niſi quod ſolvendo non ſit Pelagius; ex eo autem, quod quis ſolvendo non ſit, non naſcitur legitimus titulus lucrandi. Inſignes tamen Theologi exiſtimant, fidejuſſorem, qui ſuſcipit obligationem pretio æſtimabilem, diſtinctam ab omni debito, poſſe exigere quidpiam a debitore, pro quo cautionem præſtat. Ratio eorum eſt; quia fidejuſſor in omnem eventum tenetur ſolvere, & ſic ſemper pecuniam habere paratam, quod valde oneroſum eſt.

Hinc

Hinc ſicut exigi quidpiam poteſt pro obligatione mutuandi ad annum, ſic idem fieri poteſt pro obligatione fidejubendi ad annum pro debito alterius. *Pontas.*

Vide Caſum ſeq.

CASUS XV. Maximus mutuos dedit 200. florenos Andreæ, cum autem res ipſius indies magis collaberentur, implorat Jacobum ad fidejubendum pro Andrea, oblatis ipſi quatuor aureis.

℟. Jacobus tuta conſcientia poteſt acceptare quatuor aureos oblatos ſibi, ut fidejubeat pro Andrea; quia hic non intervenit mutuum, ſed ſolum aſſecuratio ſummæ capitalis, quam exigit Maximus, & periculum, quod in ſe ſuſcipit Jacobus. *Pontas.*

CASUS XVI. Leidradus præſtat Theogeni cautionem pro ſumma 2500. florenorum, quam mutuam dederat Joſepho: poſtmodum autem pœnitentia ductus offert Theogeni 100. florenos, ut ab obligatione fidejuſſoris liberetur. Theogenes cum videret Joſephum de facto eſſe ſolvendo, accipit ſummam oblatam, & liberat Leidradum ab obligatione.

℟. Theogenes non egit contra juſtitiam. Eadem Ratio eſt cautionis ac aſſecurationis: aſſecurator remoturus a ſe obligationem aſſecurandi tenetur pro ſua liberatione ſolvere quidpiam illi, in cujus favorem aſſecurationem præſtitit. Idem dicendum de fidejuſſore. *Pontas.*

CASUS XVII. Flavianus collabente re ſua domeſtica mutuos accepit a Jacobo 500. florenos, fidejubente Joanne, qui nullam de peſſimo Flaviani ſtatu habebat notitiam. Paulo poſt moritur Flavianus, ac ipſius bonis non ſufficientibus ad ſolutionem præſtandam pluribus creditoribus anterioribus, cogitur Joannes ſolvere 500. florenos, pro quibus fidejuſſit. Cum tamen Joannes debuerit ex alia cauſa Flaviano defuncto 150. florenos, ac totidem eidem debuerit Paulus amicus Joannis; de quo debito, utpote occulto, Jacobus ac alii creditores non habent notitiam, cogitat hanc ſuam & Pauli obligationem computare in compenſationem 500. florenorum, quos pro Flaviano ſolvere compulſus eſt.

℟. Joannes abſque injuſtitia retinet 150. florenos a ſe Flaviano debitos in compenſationem 500. florenorum pro Flaviano ſolutorum: non tamen retinere poteſt alios 150. florenos a Paulo Flaviano debitos; hi enim debentur creditoribus. *Pontas.*

Vide *Ceſſio bonorum.* Caſ. 6.

CASUS XVIII. Angueraudus mercator debet 200. florenos Stephano pariter mercatori, cui Fidejuſſorem conſtitue-

re cogebatur; utque Angueraudus facilius ſolutionis dilationem obtineret, pro fidejuſſore ſe obligavit Alexander. Poſt tres menſes Stephanus exiſtimans, Angueraudo res eſſe ſatis proſperas, ipſi vendit aliquot texta panni Anglici, cujus duas partes tertias Angueraudus ſolvit in numerata pecunia, pro reſiduo intra quatuor menſes ſolvendo tradit ipſi ſyngrapham, in qua Stephanus etiam comprehendi voluit 200. florenos, pro quibus fidejuſſit Alexander, obtinetque a Stephano ſolutionis apocham. Verum paulo poſt cum Angueraudus collapſo ſuo commercio non amplius ſolvendo eſſet, Stephanus pro ſolutione 200. florenorum convenit Alexandrum fidejuſſorem.

℟. Alexander in conſcientia non tenetur ad hanc ſolutionem; cum enim debitum creditorem inter ac debitorem fuerit innovatum, & Fidejuſſor non de novo ſe obligaverit, extincta eſt ipſius obligatio. Idem dicendum foret de locatione, cujus Alexander cautionem præſtitiſſet: ſi enim Dominus rei renovat locationem cum conductore, aut uſum rei locatæ per tacitum contractum diutius concedit, quin Alexander de novo fidejuſſerit, prior fidejuſſionis obligatio expirat, & nequaquam ſe extendit ad ſecundam locationem aut tacitam reconductionem. *Pontas.*

CASUS XIX. Robertus rogat Hieronymum, ut mutuos det 1000. florenos Franciſco, pro quo offert cautionem. Robertus autem ſcit, nec ſe ipſum eſſe ſolvendo nec Franciſcum; quamvis Hieronymus credat, ambos eſſe optimæ fortunæ, alioquin non mutuaturus tantam pecuniæ ſummam.

℟. Robertus mortaliter peccavit contra juſtitiam, cum fuerit cauſa damni adeo notabilis Hieronymo illati. *Pontas.*

CASUS XX. Poteſtne quis fidejubens pro alio percipere lucrum ex obſequio fidejuſſionis alteri præſtito?

℟. Praxis hæc eſt valde periculoſa, & gravibus inconvenientiis obnoxia, ita ut nunquam permitti debeat. *Pontas.*

FIDES.

1. Iſte terminus ſumitur 1. ad ſignificandam perſeverantiam in exacte ſervando promiſſo ſuo. 2. Pro conſcientia, ut ſi de poſſeſſore cujusdam rei dicatur, quod eam bona vel mala Fide retineat. 3. Pro promiſſo ſeu fidelitate, ut ſi dicatur quis violaſſe Fidem, quando promiſſo non ſtetit. 4. Pro aſſenſu, qui alicui rei præbetur ob authoritatem loquentis,

tis, aut ob rationes in veritatem rei allatas, & ſic dicitur, tali aut tali verbo Fidem adhiberi. 5. Pro authoritate, ut ſi dicitur, argumentum, vel probationem, quæ affertur, Fidem facere in judicio, aut alio modo. In hoc ſenſu accipienda ſunt verba S. PAULI: *Fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum a mortuis.* Aſt quia authòritas, quæ nobis veritatem rei perſuadet, poteſt eſſe humana, aut Divina, ideo diſtinguitur Fides dupliciter, in Fidem divinam, & Fidem humanam: hic ſolum agetur de Fide divina, quæ etiam *Theologica* vocatur, & definitur: *Donum Dei, ac lumen, quo illuſtratus homo firmiter aſſentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Eccleſiam credenda propoſuit, ſive in ſacris literis illa ſcripta ſint, ſive non ſint.*

2. Fides Theologica dividi poteſt in Fidem *formatam* & *informem*, in Fidem *vivam* & *mortuam*, in Fidem *explicitam* & *implicitam*.

3. Fides *formata* eſt Fides gratia habituali & charitate informata; Fides vero *informis* ideo vocatur, quia utraque eſt deſtituta. Fides *viva* eſt, quæ per charitatem operatur. Fides *mortua* vero, deſtituta eſt operibus charitatis. Fides *explicata* eſt, qua creditur aliquis articulus particularis Fidei conſideratus ut talis & modo expreſſo & diſtincto. Fides vero *implicita* eſt, qua creditur aliquod Fidei punctum conſequenter ad alium articulum, qui creditur Fide explicita.

4. Fides generaliter conſiderata certas nobis reddit veritates occultiſſimas, & ferme incomprehenſibiles humano intellectui.

5. Fides, & perfecta ipſi debita ſubmiſſio a Jeſu Chriſti temporibus ad nos usque pertranſiit in omnes Fideles, quibus illa annunciata eſt per *ſacram Scripturam*, cujus unica Cuſtos, Depoſitaria, & infallibilis interpres Eccleſia eſt, & per *Traditionem.* Quilibet Chriſtianus, ut ſe conſervet in Fide pura, tenetur adhærere utrique inviolabiliter.

6. Ut quis juſtificetur & ſalvetur, ſemper neceſſaria fuit Fides in Deum Remuneratorem, & poſt peccatum primi hominis, Fides quoque in Jeſum Chriſtum Mediatorem.

7. Ad ſalutem conſequendam juxta multos Theologos ſemper neceſſaria fuit *neceſſitate Medii Fides* explicita Myſterii SS. Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, Reſurrectionis univerſalis mortuorum, Remunerationis æternæ bonorum, & Supplicii æterni malorum. Dantur tamen alii graves Theologi, qui docent oppoſitum, aſſerentes, ſalvari poſſe Ethnicos per Fidem horum articulorum implicitam. Præter hanc neceſſitatem *Medii* datur etiam alia quæ vocatur

tur neceſſitas *Præcepti*, quæ conſiſtit in eo, ut ſaltem quoad ſubſtantiam quis ſciat Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Dei & Eccleſiæ, Orationem Dominicam, nec non inſtructus ſit quoad Sacramenta neceſſaria, & quoad ſtatus ſui obligationes.

8. Talis debet eſſe vera Fides Chriſtiani, juxta quam non poteſt communicationem habere cum ſuperſtitionibus Infidelium, Paganorum, Idololatrarum nec etiam cum falſa Hæreticorum Religione. Non ſufficit credere interne & corde veritates Chriſtianas, ſed præceptum Divinum obligat ad confeſſionem Fidei corde & ore ac operibus declarandam. Hinc Chriſtianus interrogatus de ſua Fide & Religione a judice authoritate publica conſtituto, tenetur corde & ore ſuam profiteri Fidem, & non licet eam ſilentio celare, quo daretur Fidelibus ſcandalum, aut quo Fidei aliquod pateretur detrimentum.

9. In Congreſſu Cleri Gallicani 1700. celebrato ſequentes Propoſitiones jam antea ab Alexandro VIII. & Innocentio XI. proſcriptæ Cenſura notatæ ſunt:

Propoſitio VII. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi Præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

VIII. Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.

CENS. *Hæ duæ Propoſitiones ſunt ſcandaloſæ, in praxi pernicioſæ, erroneæ, oblivionem Evangelii & Fidei inducentes.*

XI. Aſſenſus Fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

CENS. *Hæc Propoſitio ſcandaloſa eſt ac pernicioſa & evertit definitionem Apoſtolicam Fidei.*

X. Si a Poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri ut Deo & Fidei glorioſum conſulo: tacere ut peccaminoſam per ſe non damno.

CENS. *Hæc Propoſitio eſt ſcandaloſa, aperte contraria Præceptis Evangelicis & Apoſtolicis, & hæretica.*

XI. Religio Chriſtiana eſt evidenter credibilis: nam evidens eſt prudentem eſſe, quisquis eam amplexatur: non evidenter vera etiam.

CENS. *Doctrina in hac Propoſitione contenta eſt impia, blaſphema, erronea, & inimicis Religionis Chriſtianæ favens.*

XII. Evidens non eſt evidentia morali proprie dicta & phyſica, Religionem Catholicam eſſe veram.

CENS.

CENS. *Hæc Propoſitio, continens doctrinam præcedenti conſentaneam, temeraria eſt, ac in errorem inducens.*

XIII. Non niſi Fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.

XIV. Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.

XV. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem, neſciat Myſterium SS. Trinitatis & Incarnationis Domini.

CENS. *Hæ tres Propoſitiones injurioſæ Deo remuneratori, & Jeſu Chriſto mediatori, ſunt erroneæ & hæreticæ.*

CASUS I. *Jodocus* paſtor Sabbatho ſancto confeſſurus, ut præcepto de annua confeſſione ſatisfaceret, a Parocho, qui ſcire cupiebat, an confitens ſufficienter ſit inſtructus circa myſteria Religionis, interrogatus ex Catechiſmo, ſe tali interrogatione offenſum reputans reſpondit; ſe generaliter credere omnia, quæ Eccleſia Fidelibus credenda proponit. Parochus vero reponit, iſtam Fidem generalem non ſufficere ad ſalutem, ſed requiri in illo, qui uſum rationis adeptus eſt, ut habeat fidem explicitam plurium veritatum, quarum actus elicere deberet diſtinctos. *Jodocus* reſpondet, alios Confeſſarios nunquam ſibi de tali obligatione locutos eſſe, & mox ex confeſſionali diſcedit.

℟. Parochus in hac occaſione ſatisfecit ſuæ obligationi. Fides explicita certarum veritatum eſt abſolute neceſſaria ad ſalutem, & earum quædam ſunt, quarum fides explicita & actualis neceſſaria eſt neceſſitate medii, quædam vero, quarum fides neceſſaria eſt neceſſitate præcepti. *Pontas.*

CASUS II. Tucidides Parochus parœciæ media in ſylva ſitæ parochianos habet rudes & agreſtes, quorum major pars nec Symbolum nec Præcepta callet.

℟. Non poteſt abſque peccato illis impertiri abſolutionem, quamdiu ſua culpa ignorant myſteria principaliora Religionis, & prima vitæ Chriſtianæ principia. Dantur homines inculti adeo, ut non poſſint diſtincte ac de verbo ad verbum recitare ea, quæ in juventute didicerunt, & ſcire tenentur; intelligunt tamen ea confuſe & quoad ſubſtantiam: hi poſſunt abſolvi, ſi de cætero vivant Chriſtiane & conformiter ad præcepta Evangelii & principia fidei. *Pontas.*

CASUS III. Antenor in publica diſputatione omni argumentorum genere probare nitebatur, nullam propoſitionem fide divina ſeu theologica eſſe credendam, niſi in aliquo Concilio œcumenico fuiſſet definita. Armandus tuebatur contrarium. Cujusnam ex parte ſtat veritas? ℟.

℟. Ex parte Armandi: Eccleſiæ enim univerſalis per orbem diſperſæ eadem eſt infallibilitas in ſuis de doctrina fidei judiciis, quæ eſt Eccleſiæ in Concilio œcumenico congregatæ, Sic docent S. Auguſtinus in reſponſione ad duas Pelagianorum epiſtolas, Facultas Theologica Pariſienſis in cenſura propoſitionum Theophili Brachet, & Clerus Gallicanus in approbatione Libri, cujus author *Petri Aurelii* ſibi nomen adſcivit. *Pontas.*

Nota. Verum id eſt; quia promiſſa Chriſti Eccleſiæ Spiritus ſancti aſſiſtentia nunquam poteſt deeſſe toti Eccleſiæ. Sed utrum aliqua propoſitio *certo & uniformiter* ad univerſalem Eccleſiæ doctrinam pertineat, vix conſtare poteſt niſi per Concilium generale.

CASUS IV. Eleutherius recens Concionator, in Panegyri de quodam Sancto ſæculi quarti auditoribus ſuis dixit, de ipſius beatitudine dubitari non poſſe absque peccato contra fidem Catholicam, ſeu hæreſi. Sequenti die quidam eum admonuit dicens, nihil eſſe de fide Catholica ſeu Divina, niſi a Deo immediate revelatum ſit ſuæ Eccleſiæ, & conſequenter ipſius propoſitionem de beatitudine hujus Sancti non fuiſſe veram, cum Deus beatitudinem iſtius Sancti non revelarit immediate Eccleſiæ. Eleutherius vero repoſuit: ſi beatitudo Sancti, de quo in Panegyri dixi, non eſſet de fide Catholica, permiſſum eſſet dubitare de ea, quod tamen ſine peccato fieri poſſe haud credo.

℟. Condemnanda eſt Sententia Eleutherii; nam fide Divina ſolum credendæ ſunt veritates, quas in ſacra Scriptura, & Traditione contineri definivit Eccleſia. Optandum eſſet, ut illi, qui concionandi aut alios docendi munus in ſe ſuſcipiunt, nunquam aliquid proferant, niſi de quo ipſimet plene ac perfecte edocti ſunt. Nihilominus certiſſimum eſt, absque errore non poſſe impugnari cultum Sanctorum, quem Eccleſia fidelibus proponit. *In Eccleſia*, inquit S. Thomas, *non poteſt eſſe error damnabilis; ſed hic eſſet error damnabilis, ſi veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit & mortuus eſt peccator. Pontas.*

CASUS V. Paſchaſius recens parochus in prima ſua concione de Fide docuit, exercitium hujus virtutis Theologicæ tam neceſſarium eſſe illis, qui uſum rationis habent, & ſufficienter inſtructi ſunt quoad myſteria Religionis, ac Sacramentum Baptiſmi, imo magis in quodam ſenſu. Dominus loci, qui præſens erat, hac propoſitione obſtupefactus dixit, Paſchaſium habendum eſſe ſuſpectum de novitate doctrinæ, & nimio in diſciplina morum rigore.

℟. Dominus loci certe peccavit ita loquendo de parocho, ac non ſolum violavit charitatem, ſed etiam falſam aſſeruit rem. Paſchaſius enim aliud in concione non protulit, quam quod S. Paulus, S. Bernardus, & Concilium Tridentinum docent. *Pontas.*

CASUS VI. Parochi, & alii Clerici Decanatus S. Gratiani in diœceſi Anconitana congregati ad Conferentiam, in qua diſcutiebantur quæſtiones circa fidem, in ſuis opinionibus, quoties adultus teneatur elicere actum fidei, non conveniebant. Hierotheus parochus ad S. Urbinum dicebat, ſufficere, ſi quis eliciat actum fidei circa veritates credendas fide actuali ac explicita, 1. quando uſum rationis fuerit adeptus, & ſufficienter imbutus ſit, circa veritates a Deo revelatas, & ab Eccleſia propoſitas. 2. Quando quis tentatur contra fidem, & alio modo tentatio ſuperari nequeat. 3. Quando quis in evidenti mortis periculo conſtitutus eſt. Philethus vero parochus ad S. Callixtum tuetur, præceptum fidei obligare ſaltem per accidens, ut quis in aliis quoque occaſionibus eliciat actum fidei, licet id in Scriptura non ſatis clare exprimatur, nec ex Traditione determinetur, quod tamen optandum foret.

℟. Miſſa Hierothei ſententia ſentiendum cum Philetho, nimirum obligationem eliciendi actum fidei in adulto latius eſſe extendendam. Sic datur obligatio eliciendi fidem 1. quoties tenemur elicere actus ſpei & charitatis. 2. Quando datur obligatio recipiendi Sacramenta. 3. Dum urget præceptum precandi ad Deum. 4. Quando datur obligatio exterius profitendi Fidem; ejusmodi enim profeſſio ſine actu interno mera eſſet hypocriſis. Interim dantur homines, qui eliciunt actus Fidei, quin exactam de fide notionem ſibi formare poſſint; & idem dicendum de cæteris virtutibus Theologicis. Et hi apte cum Thoma a Kempis dicere poſſunt: *opto magis ſentire compunctionem, quam ſcire ejus definitionem. Pontas.*

NOTA. Obligatio eliciendi actum fidei *generalis*, quo aſſentimur omnibus articulis Fidei ſimul ſumptis, non eſt adeo frequens, ut obligatio eliciendi actum fidei *particularis*, qui reſpicit ſolum articulum particularem, ſine quo utique nullus actus Religionis Deo exhiberi poteſt. Et hic circa fidem particularem non ſemper requiritur actus *formalis*, *explicitus* ac *reflexus*, quo homo advertit ſe credere, & ſatisfacere huic obligationi, ſed ſufficit *virtualis*, *implicitus* ac *interpretativus*. Dein in omni actu fidei particularis per ſe virtualiter continetur actus Fidei generalis. Dum hic ſermo eſt de præcepto, neutiquam negari poteſt, melius eſſe, ſi quis in omni actu Religionis aut receptione Sacramenti eliciat primum actum Fidei generalis circa omnia credenda ac a Deo revelata, ac dein actum

Digitized by Google

actum Fidei particularis circa peculiare myſterium, quod ſibi quis pro objecto ſpeciali hic & nunc conſtituit.

CASUS VII. Durandus vere credit omnes articulos Religionis Catholicæ; de unico tamen dubitat, ſcilicet de dogmate Tranſubſtantiationis, incertus, an Deus illud clare ac certo revelaverit. Peccatne graviter contra Fidem?

℟. Falſo aſſeritur, Durandum vere credere omnes articulos Fidei Catholicæ; Fides enim illius eſt vacillans & conjuncta cum dubio voluntario, quod ſine peccato fieri non poteſt; quia *dubius in Fide infidelis eſt.* Hinc ſi voluntarie perſeveret in dubio de Tranſubſtantiatione, a peccato mortali excuſari non poteſt. Quæſtio autem eſſe poteſt, utrum ille, qui dubitat de quodam Fidei articulo, quem ſcit definitum ab Eccleſia ut revelatum a Deo, per hoc ſolum dubium incurrat excommunicationem. Et reſpondendum; quodſi dubium ſit tantum internum ac mentale, excommunicationem non incurri; ſi autem manifeſtatur exterius, & conjunctam habeat pertinaciam, incurri pœnam latam in hæreticos. *Pontas.*

CASUS VIII. Bertarius mercator perbene inſtructus in rebus ſuæ religionis, ſed in ſtudiis literarum ultra humaniora non progreſſus commoratur in eadem domo cum Calviniſta, a quo ſæpe ſollicitatur ad diſputandum in materia Fidei. Bertarius igitur bono alias præditus ingenio & vir multæ lectionis ſæpiſſime cum eo diſputat ſuper articulis Fidei, ſed abſque ſucceſſu.

℟. Bertarii zelus hac in re indiſcretus eſt, isque exponit ſe periculo vacillandi circa quoſdam Fidei articulos: hæretici enim ſolent afferre varios Scripturæ textus, quos pro ſuo arbitrio torquent in alienos ſenſus, ut alios ſeducant. Hinc Bertarius tenetur declinare omnem diſputandi occaſionem cum hoc hæretico, niſi juſta neceſſitas urgeat, imo juxta conſilium Apoſtoli illum etiam devitare. Ipſis Clericis, niſi ſint ſatis verſati in polemicis, ut poſſint hæreticos confundere, diſputationis alea cum ipſis tentanda non eſt. *Pontas.* vide *Religio.*

FORNICATIO.

1. *Fornicatio* in Scriptura frequenter ſumitur in ſenſu analogico pro idololatria & aliis criminibus cum ea ordinarie conjunctis; item pro hæreſi aut quavis alia violatione fidei Deo debitæ.

2. In jure hic terminus eſt generalis, & ſæpe accipitur

pro quolibet actu carnali & peccaminoſo, ut eſt adulterium, inceſtus, ſacrilegium &c.

3. Hic autem tantum ſumitur iu ſenſu proprio, & in hoc ſenſu fornicatio eſt *carnalis copula ſoluti cum ſoluta corrupta.* Per verba *ſoluti cum ſoluta* intelliguntur duæ perſonæ, quæ nec matrimonio, nec voto caſtitatis, nec aliquo ſacro Ordine ligatæ, aut conſanguinitate vel affinitate conjunctæ ſunt. Si alterutra aut ambæ conjugatæ ſint, dicitur *adulterium*; ſi ſint ligatæ voto caſtitatis aut ſacro Ordine initiatæ, *ſacrilegium* eſt; & ſi ſint conſanguineæ aut affines, *inceſtum* committunt. Additur *corrupta*, id eſt, non amplius virgine, ad diſtinguendam fornicationem a *ſtupro*, quod eſt *illicita defloratio virginis invitæ*, ſeu *clauſtri virginalis corruptio per copulam carnalem illicitam.* Jus naturale æque ac divinum prohibent fornicationem, eaque nunquam a peccato mortali excuſari poteſt.

4. Clerus Gallicanus in conventu de anno 1700. damnavit duas propoſitiones erroneas, quarum prima ad hunc titulum pertinet, & eſt hæc: *PROPOSITIO* 42. *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malum, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum eſſe videatur. CENSURA: Propoſitio ſcandaloſa, pernicioſa, caſtarum & piarum aurium offenſiva & erronea.*

CASUS I. Bertoldus induxit Paulinam ad fornicationem partim falſis promiſſionibus dandæ pecuniæ, partim importunis ac violentis ſollicitationibus; quin tamen illi matrimonium promiſiſſet. Interea peccatum illorum fit notorium in tota vicinia, & ambo æqualis ſunt conditionis.

℟. Cum dictæ ſollicitationes fuerint tales, ut iis honeſta puella reſiſtere vix potuerit, & aliquo modo vim coactionis habuerint, Bertoldus, qui ſollicitationibus fraudem quoque junxit ac mendacium, in foro interno ac externo tenetur Paulinam ducere, aut ſaltem, ſi juſta ab hac obligatione ſeſe eximendi cauſa ipſi ſuppetat, eam convenienter dotare. Ita ſentiunt S. Antoninus, & Cardinalis Toletus, qui id deducit ex cap. 22. v. 16. Exodi, & ex Decretali S. Gregorii M. *Pontas.*

CASUS II. Leopoldus ſub ficta promiſſione conjugii corrupit Cæciliam ejuſdem ſecum conditionis, honeſtiſſimam, & optimæ antea apud omnes famæ puellam.

℟. Ex duplici ratione tenetur eam ducere: 1. propter ſcandalum, cui puellam expoſuit, & propter damnum illi illatum, quod utrumque modo meliori reſarciri non poteſt.

2.

2. Ex juſtitia commutativa tenetur corruptor ad dandum conſenſum & tradendum corpus, cum id ipſum receperit a corrupta; & hic eſt proprie contractus *do ut facias*, unus ex illis, qui in Jure vocantur *contractus innominati*, quem cum Cæcilia ex parte ſua implevit, tenetur eum & Leopoldus adimplere. *Pontas.*

NOTA. Plurium ex Authorum ſententia contractus turpes ſunt jure naturæ invalidi.

CASUS III. Tetradius nobilis aut in dignitate conſtitutus corrupit per fraudem Adelhaiden puellam plebejam ac pauperem. Teneturne eam ducere non obſtante inæqualitate conditionis, ſi cum ea peccavit ſub promiſſione matrimonii, & illa alioquin infamaretur?

℟. Si Adelhaidis ſcivit inæqualitatem conditionis inter ſe & Tetradium, aut ex circumſtantiis vel quibusdam conjecturis facile cognoſcere potuit fictum Tetradii animum, ſibimet ipſi ſuam imputare debet infamiam, & Tetradius nullatenus tenetur eam ducere. Tenetur tamen reparare damnum ipſi illatum *ſecundum ſuam facultatem & mulieris indigentiam.* Si vero Adelhaidis ignoravit conditionis inæqualitatem, & nec potuit nec etiam debuit rationabiliter præſumere promiſſionis falſitatem, imo ſi ex oppoſito bona Fide credidit, Tetradium ſincerum habuiſſe animum ſibi nubendi, ſi voluntati ipſius conſenſerit, is tenetur ſtare promiſſo, aut ſaltem eam dotare pro congruentia ſtatus. Et hoc ſecundum medium reparandi damnum Adelhaidi illatum in foro interno videtur ſufficere, quin Tetradius in rigore teneatur eam ducere. *Pontas.*

CASUS IV. Geduinus corrupit Annam ex falſa promiſſione matrimonii. Mutato autem poſtea animo reipſa vult ei nubere, ſed illa matrimonium renuens, ſummam pecuniæ pro reparatione damni exigit.

℟. Si Anna eſt nobilis, & Geduinus conditionis longe inferioris, hic in conſcientia tenetur illi dare dotem aut ſummam pecuniæ, quin Anna teneatur acceptare oblatum matrimonium. Si ambo ſunt æqualis conditionis, quidam Authores exiſtimant, Annam, ſi recuſet oblatum matrimonium, omni jure excidiſſe aliam compenſationem exigendi; idque probant ex illa regula juris: *Imputari non debet ei per quem non ſtat, ſi non faciat quod per eum fuerat faciendum.* Et ſane nulla ratione Geduinus poteſt obligari ad aliam pœnam, niſi ad eam, ad quam ſe obſtrinxit expreſſe conſentiente Anna. *Pontas.*

 BIBLIOTECA NAZ. ROMA NOTA.

Nota. In foro externo Judex poteſt talem compenſationem injungere in poenam.

CASUS V. Theogenes peccat cum Suſanna facta promiſſione matrimonii, quod tamen inire nunquam cogitaverat. Suſanna quoque decipere conatur Theogenem dicens, ſe eſſe divitem ac virginem, licet eſſet inops, & cum aliis jam peccaverit. Teneturne Theogenes ducere impraegnatam a ſe Suſannam?

℞. Videtur cum fundamento defendi poſſe, Theogenem in iſta hypotheſi non obligari ad ducendam Suſannam ob factam mutuam fraudis compenſationem. Nihilominus tamen juſtitia exigit, ut, ſi Suſanna publicam incurrat infamiam, Theogenes illatam illi falſa promiſſione matrimonii injuriam reparet. Quamvis ea non amplius fuerit virgo, dum peccavit cum illo; publice tamen talis cenſebatur, & ex ſolo peccato cum Theogene commiſſo famae jacturam fecerat. Hoc igitur damnum illi reſarcire tenetur Theogenes pro poſſe & juxta viri docti ac prudentis arbitrium. *Pontas.*

CASUS VI. Caliſtratus emiſſo voto ſimplici Religionis aut caſtitatis perpetuae peccavit cum Juſtina ſub promiſſione matrimonii conjuncta dolo aut violentiae Teneturne eam ducere non obſtante voto, ut ſic reparet infamiam corruptae & datum ſcandalum? Aut num poteſt exequi votum ſuum, & debitam Juſtinae compenſationem numerata pecunia redimere?

℞. Caliſtratus tenetur ducere Juſtinam, ſi ea de voto illius notitiam non habuit; priuſquam tamen illi nubat, pro aſſecuranda conſcientia petenda eſt diſpenſatio a voto. *Secunda regula eſt*, ait S. Antoninus, *ſi duo vincula diſparis potentiae incompoſſibilia contrahuntur, fortius repellit minus forte.* Altera obligatio Calliſtrati eſt obligatio juſtitiae, & prior ſolum charitatis. Obligatio erga Deum eſt quidem praeferenda obligationi erga hominem, ſed non niſi caeteris paribus; non autem tunc, quando voto ſupervenit notabilis mutatio, ut in praeſenti caſu accidit. *Pontas.*

CASUS VII. Brigida emiſſo voto viginitatis & perpetuae caſtitatis falſis promiſſis a Joanne ſeducta peccavit cum eo. Joannes ſciens votum Brigidae, teneturne eam ducere, aut ſubſidio datae pecuniae procurare illi matrimonium conditioni ipſius conveniens?

℞. Cum Brigida votum emiſerit ante commiſſum peccatum, Joannes nec eam ducere, nec aliud eidem matrimonium procurare tenetur; quia ſtante voto absque ſacrilegio nubere non poteſt, & licet virginitatem amiſerit, manet tamen obligatio deinceps ſervandi continentiam. Si tamen

men Brigida fuiſſet imprægnata, ac propterea infamaretur, Joannes in conſcientia teneretur illi reparare hoc damnum modo meliori, quo fieri poſſet. *Pontas.*

CASUS VIII. Engelbertus Acolythus & Eccleſiæ Collegiatæ Canonicus ſincere promiſit Clementiæ matrimonium, eamque per hoc promiſſum ad peccatum induxit.

℞. Tenetur in conſcientia renunciare ſuo Beneficio ac ſtatui eccleſiaſtico, & puellam ducere. Si tamen ea mallet ſummam pecuniæ recipere, Engelbertus ab obligatione eam ducendi liber foret. Idem dicendum, ſi ille graves rationes habeat præſumendi, quod puella ſtudioſe voluerit decipi, ut ſi v. g. is illuſtri eſſet ſanguine ortus, & ea plebejo. *Pontas.*

CASUS IX. Cæcilia fuit corrupta a Leopoldo per violentiam aut per fraudem. Cum autem non fuerit effecta gravida, crimen manet occultum, nec exinde oritur ſcandalum aut infamia, ita ut Cæcilia, ac ſi nunquam peccaſſet, proficuum cum alio matrimonium inire poſſit.

℞. Si Leopoldus Cæciliæ non promiſit matrimonium; videtur ad aliud non teneri, niſi ut agat pœnitentiam de peccato ſuo, maxime ſi ipſa Cæcilia voluntarie conſenſit in peccatum: leges enim Canonicæ & Doctores non obligant ad compenſationem damni niſi eos, qui corruptæ intulerunt violentiam, aut ad ſeductionem ejus dolo uſi ſunt. In foro tamen externo ſemper ſtat præſumptio pro corrupta. Et hinc cum Cæcilia ponatur in caſu violentiam paſſa aut dolo ſeducta, Leopoldus nec coram Deo nec coram mundo eximere ſe poteſt ab obligatione eam ducendi. *Pontas.*

CASUS X. Henricus intra ſimeſtre ſæpius fornicatus eſt cum ancilla ſua: morbo paulo poſt correptus incidit in amentiam, qua durante idem peccatum continuavit. Quæritur, an reum ſe fecerit peccati mortalis quoties in ſtatu dementiæ relapſus eſt, aut utrum excuſari poſſit per hoc, quod liberum rationis uſum non habuerit.

℞. Si Henricus ſinceram egit pœnitentiam de peccatis commiſſis ante dementiam, omneſque præcautiones adhibuit ad evitandum relapſum neceſſarias, non cenſetur peccaſſe in eadem peccata relabendo in ipſa actuali privatione uſus rationis. Verum abſque hac pœnitentia, & neglectis mediis efficacibus contra relapſum, antequam in amentiam incidit, relapſus ipſius non obſtante dementia a peccato mortali excuſari non poſſunt. *Pontas.*

FUCUS MULIEBRIS.

Fucus adhibetur a mundanis mulieribus ad nitorem faciei procurandum. Eo utebantur quidem pagani, ſed ii ipſi quoque ejusdem uſum condemnabant. Patres Eccleſiæ acerbe invehuntur in Chriſtianas fœminas, quæ in hoc paganos imitantur. Videbitur hic, quid de fuco cenſendum.

CASUS I. Lydia matrona nobilis ordinarie utitur fuco & muſcis, ut conſuetudinem vix non generalem fœminarum ſui ſtatus imitetur.

℞. Juxta S. Cyprianum uſus fuci præſefert ſpeciem illatæ Deo violentiæ. S. Auguſtinus fucum dicit artificium non conveniens pudicitiæ. Et S. Clemens Alexandrinus fuco indicari exiſtimat ægritudinem animæ. Ex hiſce principiis Lydia non poteſt excuſari a peccato, quod juxta S. Antoninum 2. part. Summ. Theol. tit. 1. cap. 23. d. 13. in fine poteſt fieri mortale, pro ratione ſcilicet intentionis, quam in uſu ejusdem ſibi format. *Non ſemper tamen*, inquit S. Thomas, *talis fucatio eſt cum peccato mortali, ſed ſolum quando fit propter laſciviam vel in Dei contemptum.* Et in hoc ſenſu explicat invectivam S. Cypriani. *Aliud eſt fingere*, addit Doctor Angelicus, *& aliud occultare turpitudinem ex aliqua cauſa provenientem, puta ægritudine vel aliquo hujusmodi: hoc enim licitum eſt; quia ſecundum Apoſtolum* 1. *Cor.* 12. *quæ putamus ignobiliora membra corporis eſſe, his honorem abundantiorem circumdamus. Pontas.*

NOTA. Cooperari absque neceſſitate ad conſuetudinem generalem graviter oppoſitam honeſtati legis & obſervantiæ Chriſtianæ, eſt ex ſuo genere peccatum mortale. Hæc regula habet frequentem uſum in omni ſtatu hominum; & ob ejus neglectum veroſimile eſt, plurimos cum bona, ut ipſi exiſtimant, conſcientia, attamen erronea, damnandos ad æternas tenebras, mendaci fuco conſuetudinis incaſſum patrocinante.

CASUS II. Ancelinus negotiator pigmentarius componit & vendit fucos. Num licite?

℞. Non poteſt id fieri absque peccato. *Si quæ ars eſt*, ait S. Thomas, *ad faciendum opera, quibus homines uti non poſſunt absque peccato; per conſequens artifices talia faciendo peccarent.* Cenſetur tamen id non ſtatim dici poſſe mortale, niſi in caſu, quo Ancelinus rationabiliter judicare poſſet, fucum adhiberi ad peccatum mortale, ut advertit Hoſtienſis in C. Multa. Ne Clerici vel Monachi *Non eſt*, inquit Sylvius, *in malo ſtatu, qui talia facit aut vendit, niſi vendat ei, quem probabiliter dubitat hujusmodi rebus uſurum ad mortale. Pontas.* Vide *Ornatus mulíebris.*

FUN-

FUNDATIO.

Poſtquam Principes ac Imperatores Fidem Chriſtianam amplexi ſunt, nemo non Eccleſiis bona ſua donare aut iisdem fixos reditus aſſignare liberrime poterat; ex quo ipſo ſtudium augendi bona Eccleſiarum per quævis media ſemper magis ac magis invaluit. Auctis autem fundationibus aucta quoque fuerunt onera ac miniſteria Eccleſiarum, quibus qua ratione ſatisfieri debeat, indicabunt caſus ſequentes.

CASUS I. In Communitatem quamdam eum in finem fundatam, ut pauperes puellæ educentur, & variis artibus ſexui convenientibus inſtituantur, virgo quædam recepta eſt omnibus dotibus inſtructiſſima, ibique per quinquaginta annos Magiſtræ munus obiit. Cum autem in ea Communitate vota non emittantur, ea a Directrice dimiſſa eſt cum aſſignatione penſionis; quæ tamen non ſolvebatur.

℟. Abſque cauſa legitima virgo hæc non potuit dimitti ex Communitate. Et hinc a Directrice aut ejus hæredibus vel ipſi ſolvenda conſtituta penſio, vel ob ſervitia tamdiu præſtita ac ob merita perſonalia denuo ea in Communitatem recipienda, ut ibidem, quod ſupereſt vitæ tranſigat. *Fromageau.*

CASUS II. Facta eſt fundatio bono publico ſumme proficua, v. g. ut Moniales pauperes puellas recens ad fidem Catholicam converſas alant & honeſtis artibus imbuant, usque dum ſibi ipſis vitæ neceſſaria procurare poſſint. Poteſtne Epiſcopus hanc fundationem commutare in aliud opus pium, minoris tamen momenti, bonoque publico ac Eccleſiæ minus utile?

℟. Non poteſt; nec tuta conſcientia executores teſtamentarii ac fundatoris hæredes in ejusmodi commutationem conſentire poſſent. *Fromageau.*

CASUS III. Cuidam Monialium monaſterio notabilis pecuniæ ſumma debetur a conſanguineis fundatoris. Poſſuntne Moniales cum hisce debitoribus tranſigere, ita ut illis remittatur debitum hac conditione, ut renuncient omnibus juribus pro bono familiæ fundatoris in fundatione ſtipulatis?

℟. Moniales iſtæ, cum tantum ſint adminiſtratices bonorum Monaſterii, pro bono ac utilitate ejusdem vel maxime invigilare debent; ſicque tranſactionem iſtam inire nequaquam poſſunt. Aliunde conventio quæcumque demum non extingueret jus fundatoris, niſi ipſe pure ac ſimpliciter eidem renunciet. *De Lamet.*

CASUS IV. Paterfamilias fundat Canonicatum ea conditione, ut filiorum ſuorum quiſpiam eo provideatur.

℞. Fundatio hæc eſt ſimoniaca. Filius quoque, ſi ſciens intentionem patris acceptet Beneficium, ſimoniam incurrit; nec id retinere poteſt, niſi a Superiore diſpenſandi poteſtatem habente de novo eo provideatur. Imo & Capitulum ſub hac conditione fundationem acceptans ſimoniæ ſe reum conſtituit. *Fromageau.*

Nota. Fundatio hæc non videtur eſſe ſimoniaca; eoquod fundator poſſit ſibi reſervare jus præſentandi magis idoneum ac digniorem quemcumque demum.

CASUS V. Capitulum generale obſervantiæ laxioris permittit cuidam Religioſo Beneficiario, ut quoad dies vitæ impendere poſſit ad pias fundationes, quidquid aquiſierit ex reditibus ſui Beneficii, aut alio legitimo titulo.

℞. Capitulum potuit id permittere, & Religioſi ſtrictioris obſervantiæ, ſi forte in Beneficio ſucceſſerint, tenebuntur in conſcientia exequi fundationes iſtas, ſi Canonice factæ fuerint. *Fromageau.*

Nota. Si illud Beneficium eſt ſæculare, vera eſt reſponſio. Si vero eſt regulare, non videtur id concedendum.

CASUS VI. Parochus & Curatores Eccleſiæ jus nominandi Capellanum, quo jam ab aliquo tempore gaudebant, in gratiam novæ fundationis cedunt laicis.

℞. Potuerunt id cedere abſque ulla ſimonia. *De Lamet.*

CASUS VII. Titia ſcripſit hæredem particularem fratrem ſuum, & ordinavit, ut reſiduum bonorum adminiſtretur a quæſtore mercede conducto, reditusque impendantur ad dotandas puellas pauperes, inſtituendosque in variis artibus utriusque ſexus juvenes patriæ ſuæ, quorum electio penes fratrem & Magiſtratum ſit, quibus & ab adminiſtratore dictorum bonorum annuatim reddenda ratio. Hæc omnia per quadraginta annos fideliter executioni data ſunt, reditusque valde accreſcebant. Erat autem in eadem urbe hoſpitale unice ægrotantibus deſtinatum, cui Moniales tanta charitate ac ſolertia inſerviebant, ut etiam perſonæ divites illud frequentarent. Cum vero ejusdem reditus valde mediocres eſſent, agitur de unione bonorum a Titia relictorum cum bonis hoſpitalis hujus, ut hac ratione hoſpitale commune fiat.

℞. Epiſcopus poteſt quidem tuta conſcientia facere hanc unionem, ſicque mutare deſtinationem bonorum Titiæ, ſi id

id ponderatis circumſtantiis ad majorem Dei gloriam fore, & ad bonum publicum ac Eccleſiæ magis conducere perſpexerit; non tamen ſine conſenſu hæredum ac Magiſtratus a teſtatrice nominatorum. *De Lamet.*

NOTA, Epiſcopi non poſſunt mutare ultimas voluntates, quamdiu perſeverant eſſe rationabiles & moraliter obſervabiles, niſi ex intentione fundatorum evidenter præſumpta; quando devolvuntur ad circumſtantias a fundatore non prævisas.

CASUS VIII. Danturne legitimæ cauſæ, ob quas Fundationes reduci poſſunt?

℟. Fundationes ejuſdem antiquitatis cum Eccleſia, ad quam factæ ſunt, nunquam poſſunt reduci; cum ſint privilegiatæ. Aliæ fundationes fundis earum imminutis authoritate Epiſcopi reduci poſſunt. Eadem authoritate poſſunt abrogari officia earum fundationum, quarum proventus omnino perierunt, facta tamen fundatorum in aliis precibus commemoratione. Vicarii Generales Capitulorum ſede vacante non poſſunt reſtringere fundationes in favorem propriæ Eccleſiæ. *De Lamet.*

Vide *Beneficiatus. Legatum. Miſſa.*

FUNDATOR.

Fundator dicitur, qui fundavit Hoſpitale, Religioſam domum, aut Beneficium, ſufficientesque reditus aſſignavit ad ſuſtentationem pauperum, perſonarum Religioſarum ac illius, qui Beneficio deſervit. Fundatoribus ſucceſſu temporis tantum in Eccleſia authoritatis acceſſit, ut Patroni jus aſſecuti præſentarent ad Beneficia; unde orti ſunt Patronatus, qui multum derogarunt juri antiquo Epiſcoporum, a quibus ſine ulla reſtrictione omnes Diœceſis Eccleſiæ dependebant. Hinc Patroni Eccleſiæ vocantur, qui illam fundarunt aut dotarunt; & ſic ejuſdem Eccleſiæ plures Patroni eſſe poſſunt.

CASUS. Quid obſervandum circa jus Fundatorum ingrediendi in clauſtra Monialium?

℟. Plures perſonæ diverſarum familiarum poſſunt gaudere juribus Fundatorum in eadem Communitate Monialium; & ii, qui aquirunt fundos ac prædia Fundatorum, ſuccedunt in omnia jura eorum. Verum nec viri nec fœminæ Fundatoribus ſuccedentes ex eo præciſe titulo habent jus ingrediendi monaſteria Monialium, aut alios quosvis ſecum ducendi. Moniales iis perſuadere ſatagant, ut quoad hoc ſe ſubiiciant decretis ac ordinationibus Eccleſiæ; quod ſi renuant, recur-

ren-

rendum erit ad Epiſcopum, ut interpoſita ſua authoritate medeatur. *De Lamet.*

Vide *Beneficium. Fundatio. Patronus.*

FURTUM.

1. *Furtum eſt injuſta & occulta rei alienæ acceptio.* Dicitur 1. *injuſta*; quia per furtum aufertur bonum proximi contra ipſius voluntatem: ſi enim quis juſte illud acciperet, vel titulo juſtæ compenſationis, aut conſequenter ad denegationem illius, quod ex juſtitia debebatur, aut in extrema neceſſitate, furtum non committeret. Dicitur 2. *occulta*, ut diſtinguatur furtum proprie dictum a rapina, quæ eſt furtum aperte ac cum violentia factum. Dicitur 3. *Rei alienæ*, id eſt, rei, cujus dominium, aut poſſeſſio, aut uſus penes alium eſt; unde ſequitur, furtum committi, ſi alicui furtive ſurripiatur res ſibi oppignorata ad aſſecurationem debiti. 4. Denique dicitur, *acceptio*, quo intelligitur injuſta detentio rei, quæ antea etiam juſte fuiſſet ablata.

2. Præter furtum in genere dantur adhuc plures furti ſpecies; ut RAPINA, quæ eſt *injuſta & violenta rei alienæ acceptio*; PLAGIUM, quod eſt *liberi hominis injuſta acceptio*; PECULATUS, qui eſt *ablatio pecuniæ publicæ*; & ABIGEATUS, qui eſt *pecudum injuſta & violenta doloſave abductio.*

3. Furtum generatim eſt ſemper peccatum mortale, quando res ablata eſt notabilis ſive in ſe ipſa, ſive intuitu illius, cui aufertur. Peccatum veniale eſt, quando res ablata ex natura ſua, aut intuitu commodi, quod exinde conſequitur proximus, valde levis eſt. Difficile tamen eſt, aſſignare, quantum requiratur, ut furtum ſit peccatum mortale; cum modicum damnum non raro multum poſſit nocere proximo.

4. Pœna furti capitalis eſt; maxime ſi ſit furtum domeſticum, nocturnum, violentum, & in publico itinere commiſſum. In aliis tamen circumſtantiis mitius punitur furtum.

5. Conventus Cleri Gallicani anno 1700. damnavit ſequentes propoſitiones.

Propoſitio XLV. Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi. CENSURA: *Hæc propoſitio, quatenus furtum permittit in gravi neceſſitate, falſa eſt, temeraria, & Reipublicæ pernicioſa.*

Propoſitio XLVI. Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt. CENSURA: *Hæc pro-*

propoſitio falſa eſt, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat.

Propoſitio XLVII. Poteſt uxor viro ſurripere pecuniam, etiam ad ludendum, ſi mulier talis ſit conditionis, ut ludus honeſtus pari loco cum alimentis ac victu habeatur. CENSURA: *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandoloſa, & familiarum pacem perturbat.*

Propoſitio XLVIII. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt ſucceſſive per furta minuta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis. CENSURA: *Hæc propoſitio eſt falſa, pernicioſa, & furta etiam gravia approbat.*

Propoſitio XLIX. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem illius damni illati.

Propoſitio L. Etiamſi donatario perſpectum ſit, bona ſibi donata a quopiam ea mente, ut creditores fruſtretur, non tenetur reſtituere, niſi eam donationem ſuaſerit, vel ad eam induxerit. CENSURA: *Hæ propoſitiones falſæ ſunt, temerariæ fraudibus & dolis patrocinantur, & juſtitiæ regulis repugnant.*

CASUS I. Guillardus œconomus cujusdam prædivitis ac potentis Domini ei abſtulit octo florenos.

℞. Præter hoc, quod furtum ex natura ſua peccatum mortale ſit, circumſtantia domeſtici ac famuli Guillardum adhuc magis peccati mortalis reum conſtituit; etſi ſumma hæc relate ad Dominum hunc prædivitem levis videretur. Dein octo floreni in ſe jam conſtituunt ſummam notabilem, quam ne quidem diviti præceptum eleemoſynæ prorſus negligenti liceret ſurripere, etſi animo totam ſummam convertendi in eleemoſynas. *Et ſi*, inquit S. Auguſtinus, *totum tribuat pauperibus quod abſtulerit, addit potius peccata, quam minuat.*

Nota. Advertant Confeſſarii, non ſolum eſſe reprehendendam malitiam furti, ſed etiam infidelitatis. Ut autem diſtingui poſſit circa furtum peccatum mortale a veniali, attendi debet & ad quantitatem rei ablatæ, & ad ſtatum ac conditionem perſonarum furto læſarum. Ablatio unius floreni cum dimidio, aut alterius rei pretio æquivalentis etiam reſpectu Regis aut Principis ſufficit ad peccatum mortale: quadraginta crucigeri reſpectu perſonarum, qui, ut ſcholæ loquuntur, non adeo ſplendide vivunt: viginti crucigeri reſpectu opificum, qui multum lucrantur; decem reſpectu eorum, quorum profeſſio minus lucrativa: quinque aut ſex crucigeri aut etiam minus reſpectu pauperum. Sic communius ſentiunt Theologi.

CASUS II. Numerianus filius unicus identitem ſurripit patri ſuo pecunias, quas utiliter ſuum ad commercium adbibet.

℞. Si

℟. Si ſumma ablata multum excedit ſummam, quam auferendo peccaret extraneus, peccat mortaliter; licet ſit hæres præſumptivus. *Qui ſubtrahit aliquid a patre ſuo, & a matre; & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt* Prov. 28. v. 24. S. Antoninus, Gerſon & alii idem docent. Obſervandum tamen 1. Ad peccatum mortale in furto liberorum, ut jam dictum eſt, requiritur major ſumma quam in furto extraneorum. 2. Ad dimetiendam gravitatem furti in liberis debet attendi affectio paterna in liberos, ſtatus negotiorum ac rei domeſticæ, & demum uſus bonus vel malus ablatorum. 3. Si pater non præbet filio neceſſaria ad victum & ſuſtentationem, & filius tantum furatur parentibus, ut ſuppleat hunc defectum, ad peccatum mortale requiritur longe major ſumma, quam ſufficeret, ſi pecuniam furtivam impenderet ad luſum aut alium malum uſum. 4. Si pater eſſet pauper, furtum filii citius aſcenderet ad malitiam peccati mortalis, quam ſi eſſet dives. Caveat autem univerſim Confeſſarius, ne ad ejusmodi furta liberorum ſit nimis indulgens, facilique ac præcipitata abſolutione illis occaſionem præbeat continuandi furta ſua. *Pontas.*

CASUS III. Dionyſia plenam a marito accepit poteſtatem curandi œconomiam domus, recipiendique ac expendendi pecunias pro neceſſitate ac utilitate rei domeſticæ. Poteritne expendere pecunias privata authoritate in luſum, in donationes erga amicos, aut alios uſus arbitrarios?

℟. Dionyſia verum committit furtum, ſi ſine conſenſu mariti notabilem ſummam expendat in memoratos aut ſimiles uſus. Uxoribus non competit poteſtas inſciis maritis diſponendi de re notabili ex bonis communibus, maxime ad luſum. Juxta leges (*L.* 23. *Cod. de jure dot.*) uxor ne quidem poteſt diſponere de dote ſua, quamvis non ſit confuſa cum bonis mariti ſui. Ex hoc principio Vicarii Generales Pariſienſes anno 1658. oppoſitam ſententiam contentam in libro *Apologia Caſuiſtarum* ſequenti cenſura profligarunt: *Hæc doctrina, quatenus furtum uxoris approbat marito factum ad luſum, temeraria eſt, ſcandaloſa, ac aliena a mente uxoris honeſtæ ac Chriſtianæ, pernicioſam inducit licentiam, familiarumque diſturbat concordiam.* Dantur tamen caſus, in quibus uxori licet aliquid clam marito ſurripere de bonis communibus ex juſta neceſſitate, v. g. ſi maritus comeſſando ac potando dilapidaret bona tam uxoris dotalia, quam ſua propria, nec præberet uxori abſolute neceſſaria pro ſuſtentatione familiæ. *Pontas.*

Nota. *Ad hos caſus præter parapharnalia pertinet etiam pars aquiſitorum per aquæſtum communem.*

Vide *Communio Bonorum.*

CASUS IV. Porcianus ſartor retinet ſibi panni reliquas, quæ ex confectis veſtibus ſolent eſſe reſiduæ.

℞. Non poteſt excuſari a peccato & obligatione reſtituendi, niſi perſonæ illæ, pro quibus veſtes conficit, nollent recipere reliquias panni, ſi offerrentur; id quod ex ſola experientia certo ſciri poteſt. Fruſtra ſartor ad excuſandam ſuam praxin prætendit, competentem ac juſtam ſibi mercedem non ſolvi pro confectione veſtium, multumque temporis eſſe impendendum in coemptionem panni, aliarumque rerum neceſſariarum, & pro hac induſtria nil prorſus compenſationis ſe recipere: his enim prætextibus ſatis reſponſum eſt ad articulum *Compenſatio.* Et, ſi non repetantur reſidua panni, vel fit ex confidentia in juſtitiam ac fidelitatem ſartorum, vel ne mentiendi anſa ipſis præbeatur. *Pontas.*

CASUS V. Metrophanes œconomus opulentiſſimi Quæſtoris, cum pro menſa Domini ſui victualia aliaque utenſilia emeret, ſæpe aliquot crucigeros pro ſe retinuit, ita ut furta hæc minuta in notabilem ſummam accreverint.

℞. Peccavit mortaliter, teneturque ad integram reſtitutionem. Idem dicendum, ſi quis ſurripit rem exigui valoris, quæ non niſi materiam peccati venialis conſtituit, animo tamen continuandi talia furta minuta. *Non id, quod furto ablatum eſt*. inquit S. Hieronymus Can. Fur. 4. 14. q. 6. *ſed mens furantis attenditur.* Neque per hoc, quod ſingulis vicibus tantum auferat modicum, gravitatem peccati œconomus diluere potuerit: ſequeretur enim, nec illos peccare graviter, qui utuntur falſo pondere aut menſura, ſic ut cuivis in particulari tantum inferant leve damnum duorum aut trium obolorum; quod tamen S. Scripturæ adverſatur, ubi dicitur Deutr. 25. *Non habebis in ſacculo diverſa pondera. majus & minus, . . Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc. Pontas.*

CASUS VI. In publica conferentia Theologica fuit propoſita hæc quæſtio: an quis poſſit peccare mortaliter auferendo rem minutiſſimam v. g. acum, calamum ad ſcribendum, aut aliud quid ſimile. Alii affirmabant, alii negabant.

℞. Si quis auferendo talem rem habet animum alteri grave damnum inferendi, aut actu tale inferat, ut ſi ſartori auferret acum, quam habet unicam, isque per unum aut plures dies laborare ac ſuſtentationem ſuam lucrari non poſſet, peccaret mortaliter. *Illud, quod modicum eſt*, inquit S. Tho-

mas

mas 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3. *ratio apprehendit quaſi nihil, & ideo in his quæ minima ſunt, homo non ſibi reputat nocumentum inferri: & ille qui accipit, poteſt præſumere hoc non eſſe contra voluntatem ejus, cujus eſt res, & pro tanto; ſi quis furtive hujuſmodi res minimas accipiat, poteſt excuſari a peccato mortali: ſi tamen habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum. Pontas.*

CASUS VII. Metaphraſtes conſtitutus in extrema neceſſitate ac periculo vitæ cauſa famis, abſtulit panes decem librarum, quibus per decem dies vitam ſuſtentavit. His conſumptis in eadem denuo neceſſitate comprehenſus abſtulit alios panes.

℟. Certum eſt, quod Metaphraſtes non peccaverit: extrema enim neceſſitas bona reddit communia. Sic David in defectu aliorum panum propter neceſſitatem famis comedit panes propoſitionis. Unde ſequitur, quod in caſu extremæ neceſſitatis quis poſſit licite ſurripere rem alienam, ſicut ad propriam, ita etiam ad ſublevandam neceſſitatem alterius. *In caſu ſimilis neceſſitatis*, ait S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 7. ad 3. *etiam poteſt aliquis occulte rem alienam accipere, ut ſubveniat proximo ſic indigenti. Pontas.*

Nota. Ille, qui in extrema neceſſitate ſurripit rem alienam, ea ſublata tenetur reſtituere ablatum 1. Si res ablata exiſtit adhuc in ſpecie, ut ſi quis arripuiſſet equum alterius ad effugiendum ſicarium. 2. Si rem ſumpſit titulo emptionis aut mutui. 3. Si alibi poſſidet bona: ſic enim non foret abſolute pauper. Si vero eſt pauper *re & ſpe*, non tenetur ad reſtitutionem, etſi contingenter ad meliorem fortunam pertingeret.

CASUS VIII. Lomerius non quidem conſtitutus eſt in extrema neceſſitate, ſic ut periclitaretur de vita, niſi furetur; in tali tamen indigentia deprehenſum ſe cernit, ut incurrere poſſit notabilem infamiam ratione ſui ſtatus, ſi tam abjecte vivendum ſibi foret, imo pateretur etiam aliquod detrimentum ſanitatis.

℟. Hæc neceſſitas eum non excuſat a peccato, ſi furetur; hocque peccatum poteſt eſſe graviſſimum, ſi ſua vivendi licentia in hunc ſe ſtatum conjecit. Innocentius XI. confixit hanc propoſitionem: *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Nobiles, qui ſub prætextu conſervandi ſplendorem familiæ, aut ad expenſas ſæpe inutiles ac ſuperfluas occupant bona aliena, aut accipiunt mutuum a mercatoribus aut opificibus, etſi certi, ſe nunquam hæc debita diſſoluturos, vere furti ſe reos conſti-

tuunt.

tuunt. Applicare ſibi deberent illud Sapientis Prov. II. v. 24. *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt; alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Pontas.*

CASUS IX. Laurentius mercator Batavus, profectus in Indias orientales, captus eſt a pirata Sinenſi. Poteritne Domino ſuo tantum ſurripere, quantum ſufficit pro emenda libertate?

℟. Peccato furti ſe obſtringeret, ſi Domino ſuo tantum pecuniæ ſurriperet, quantum pro redemptione requireretur. *Pontas.*

Nota. Reſponſioni huic inſiſtendum non foret, ſi pirata evidenti injuſtitia captivum abſtraxiſſet v. g. in bello certe injuſto. Dein fors captivus poſſet præſumere de voluntate Domini, ſi crederet ſe brevi conſtituendum in ſtatum reſtituendi.

CASUS X. Quidam ex metu gravis mali ſuſtinet ſcalam juvandi vel citius conſummandi furti cauſa. Item famulus domeſticus ſcit, multa licet fidei ac cuſtodiæ ſuæ non commiſſa a conſervis aut extraneis hero ſuo ſurripi.

℟. Qui furi ſuſtinet ſcalam, cooperatur furto, & conſequenter tenetur ipſe ad reſtitutionem, ſi principaliter furantes non reſtituant. Sic & famulus domeſticus tenetur monere herum de damno illato vel inferendo, ſive a condomeſticis ſive ab extraneis: ejus enim ſilentium foret occaſio frequentandorum furtorum. *Fromageau.*

Nota. Qui compellitur ad furandum vel cooperandum, tenetur monere vel rei ablatæ Dominum, vel Judicem, prout magis expediet. Imo tenetur ſemetipſum offerre in teſtem.

CASUS XI. Simon abſtulit enſem furioſo, ac ampullam vini ebrioſo. Quandoque etiam perſonæ rerum ſervandarum incuriæ ſurripit pretioſa ornamenta, ut redderet eam magis induſtriam. Suntne hæc vera furta?

℟. Non committitur furtum, quando ſubtrahitur aut retinetur bonum alterius ex bono fine. Conſequenter quoad priora duo puncta Simon tam parum peccavit, ac ille peccaret, qui libros hæreticos aut bonis moribus periculoſos ſurriperet illi, qui iis ad propriam aut aliorum ſeductionem foret abuſurus. Neque peccavit quoad tertium punctum, ſaltem niſi prævideat, ſe ex occultatione ornamentorum anſam præbiturum litibus, vehementibus iracundiæ motibus, aut temerariis judiciis. C. D.

CASUS XII. Annetta ancilla dominæ ſuæ variis occaſionibus abſtulit decem cruciferos, animo ſubtrahendi

 plu-

plura; ſed obſtitit vigilantia dominæ. Peccavitne graviter per hoc ſuum propoſitum?

℟. Furta æque ac homicidia ac adulteria de corde exeunt, ut inquit Chriſtus Matth. 15. Et hinc voluntas auferendi aut retinendi rem alienam non minus peccaminoſa eſt ac ipſa realis uſurpatio rei alienæ. Annetta ergo peccavit graviter hac ſua voluntate, Confeſſariique tenentur interrogare ejusmodi pœnitentes 1. An non ſæpius renovaverint pravam voluntatem furandi, antequam ipſo opere executi fuerint. 2. An non habuerint propoſitum plus auferendi, quam actu abſtulerunt. 3. An non perſiſtente hoc propoſito Sacramenta perceperint. C. D.

CASUS XIII. Matthæus officialis ærarii regii ſub prætextu compenſandi ſibi expenſas pro adipiſcendo hoc Officio factas auget exactiones ultra taxam conſtitutam. Num prætextus iſte, aut exemplum aliorum vectigaliariorum, aut ſilentium vel conniventia Præfectorum Matthæum a peccato excuſant?

℟. Hæc compenſatio nec fundata, nec licita eſt; Matthæusque graviſſime peccat, ut & alii quæſtores ac telonarii, qui variis diteſcendi artibus utuntur in detrimentum Publici. Juvat hic nonnullas ejusmodi technas manifeſtare, ut Confeſſarii data occaſione ſollicite in eas indagare poſſint, apteque interrogare id genus fraudulentos, ac abſolutionem denegare, niſi pravis hisce artibus renuncient, & ablata reſtituant. Quidam reddendis rationibus obnoxii nonnullos articulos inter accepta non referunt, aut ſummam acceptorum minuunt, aut falſas expenſas vel juſto majores rationibus ſuis inferunt. Alii exactiones augent ultra taxam a Principe conſtitutam, aut ex mercibus ampliora vectigalia exigunt, quam a lege ac publica authoritate præſcripta ſunt, id quod S. Joannes Baptiſta publicanos, ne facerent, hortatus eſt Luc. 3. v. 13. Nonnulli celant aliquamdiu relaxationes tributorum a Principe indultas, & interea exigunt obligationes ſummarum relaxatarum, adſcriptione anterioris diei notatas. Aliqui pro conceſſa dilatione ſolutionis varias ſportulas, imo & cenſum exigunt ac recipiunt. Quidam ſuis ratiociniis falſas ac ſuppoſititias jacturas ingerunt, aut iterato exigunt ſolutionem, licet eam jam receperint, ſed ſyngrapham ſoluti non expedierint, aut eam ſcite retraxerint. Sunt denique, qui pecunias receptas ærario Principis non inferunt, ſed eas in manibus retinent, & ex iis amplos cenſus a mercatoribus aut aliis negotiatoribus, imo ab ipſo Principe recipiunt, cui eas mutuo dant, tanquam a ſe ipſis mutuo

acceptas. Ad hæc omnes, qui ſua authoritate vel præſtito auxilio ejusmodi malas artes fovent, peculatus ſe reos conſtituunt, & univerſim omnes, qui absque commiſſione Principis a ſubditis pecunias extorquent, aut quocumque demum modo fraudulenter adminiſtrant reditus publicoſ, aut non ſervata juſtitia & æqualitate tributa partiuntur contra conſtitutionem Principis, aut quavis alia arte defraudant jura ac tributa Principi debita. C. D.

CASUS XIV. Servianus amplos reditus percipit ex commiſſo ſibi negotio aut officio, quo tamen negligenter perfungitur. An furtum committit?

℟. Peccat mortaliter, veriqne furti ejusmodi perceptio redituum rationem obtinet: æquitas enim naturalis exigit, ut, quicumque percipit fructus ex officio, ejusdem quoque labores ſubeat, juxta regulam juris: *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum.* C. D.

CASUS XV. Juvenes valde copioſi intrant vineam, ut manducent aut auferant uvas. Peccantne mortaliter?

℟. Affirmative. Idem dicendum de turba venatorum, qui per ſe ipſos aut per canes ſuos notabile agris conſitis damnum inferunt, & generaliter de omnibus, qui per furta minuta quaſi ex condicto cooperantur ad inferendum proximo notabile damnum. C. D.

CASUS XVI. Pauperes paſſim ex ſilvis aſportant ligna ſub prætextu neceſſitatis; quia alia materia combuſtibilis ipſis non ſuppetit, qua contra frigus ſe muniant, panemque aut alios cibos neceſſarios coquant. An non movendus ipſis deſuper ſcrupulus a Confeſſariis.

℟. Non extat lex permittens pauperibus collectionem lignorum aridorum, aut varii generis frutetorum, quæ plerumque privative pertinent ad quosdam uſufructuario aut cuſtodes ſilvarum. Hinc, ſicut non licet ipſis titulo neceſſitatis ſumere frumenta ex agris aut alia comeſtibilia, ſic nec ex eo titulo poſſunt auferre ligna ex ſilvis. Peccant ergo contra ſeptimnm præceptum, dum aſportant ligna ex ſilvis; niſi ſint redacti ad extremam neceſſitatem: in hoc enim caſu bona fiunt communia, præſummunturque Domini ſilvarum in hoc conſentire. Dnm pauperes ſunt in graviſſima neceſſitate, ex conſenſu tacito vel expreſſo Dominorum licet ipſis pro ſua neceſſitate in ſilvis colligere ligna arida, ramos ex arboribus deciduos, fruticesque non niſi ad combuſtionem utiles. Et in hoc ipſo conſenſu fundatur conſuetudo plurium locorum, vi cujus pauperes colligunt ejusmodi ligna, cuſtodibus ſilvarum ſe non opponentibus. Nunquam au-

autem pauperibus permiſſum eſt devaſtare ſilvas, aut decorticare vel decacuminare quercus aliasque proceras arbores. Rariſſimus eſt caſus, quod pauperibus liceat auferre ligna ex ſilvis, eaque vendere pro ſuſtentatione familiæ ſuæ: vel enim tenentur labore manuum ſibi victum comparare, vel, ſi id fieri non queat, imploranda ipſis miſericordia & charitas aliorum, & potius mendicato vivendum. Accedit, quod colligendo aut cædendo ligna frequentiſſime ſeſe exponerent mulctis ac duritiei venatorum ac cuſtodum ſilvarum. C. D.

Vide *Reſtitutio.*

G.

GLORIA HUMANA.

Vide *Vana Gloria.*

GULA.

1. *Gula* eſt inordinatus appeditus aut inordinatus uſus cibi & potus. Peccata Gulæ accommode exprimuntur hoc verſiculo: *Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe*; hoc eſt, manducare ante tempus conveniens, nimis ſumptuoſe ac delicate, cum exceſſu, nimis feſtinanter aut voluptuoſe.

2. Peccatum hoc recenſetur inter capitalia, cum ſit radix multorum aliorum peccatorum; quamvis non ſemper ſit mortale.

CASUS I. Andreas infirmitatem contraxit ex eo, quod aut nimium comderit, aut cibos ſumpſerit, quos ſanitati ſuæ nocivos noverat.

℟. Si Andreas ſcivit, quantitatem aut qualitatem ciborum & vini, quibus uſus eſt, gravi corpori ſuo nocumento futuram, & conſequenter cum ſufficienti deliberatione exceſſum commiſit, difficillime excuſari poterit a peccato mortali. *Pontas.*

NOTA. Si per iteratos exceſſus de ſe leves quis advertat, ſucceſſive inferri grave nocumentum ſanitati aut rei familiari; tunc incipit obligatio gravis deſiſtendi; ſicut in materia furti, quando advertitur, furta minuta aſcendere ad materiam gravem. Idem fit circa iteratas contriſtationes parentum, detractationes, omiſſiones obligationum ſtatus etiam levium &c.

CASUS II. Sidonius plerumque comedit ac bibit ad ſatietatem uſque, idque principaliter cauſa voluptatis, quam percipit ex cibo ac potu; quin tamen excedat aut ſanitati noceat.

℞. Peccat ratione finis, quem ſibi ponit. Poteſt quidem abſque peccato etiam voluntarie percipi voluptas, quam Deus comeſtioni ac potationi conjunxit; id tamen fieri debet non ob ſolam voluptatem, ſed ea intentione, ut vires corporis reparentur, & conſervetur ſanitas. *Cum vero*, ait S. Auguſtinus, *ſuppleta neceſſitate amor edendi animum ſollicitat, jam libido eſt, jam malum eſt, cui cedendum non eſt, ſed reſiſtendum.* Unde Innocentius XI. & Clerus Gallicanus ſequentem propoſitionem ut temerariam, ſcandaloſam, pernicioſam, erroneam & ad Epicuri ſcholam ablegandam juſte condemnatunt: *Comedere & bibere usque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini; quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. Pontas.*

Vide *Ebrietas Intemperantia.*

H.

HABITUS CLERICALIS.

1. Sermo hic eſt de habitu eccleſiaſtico ſeu Clericali, qui diſtinguitur in habitum *longum* ſeu *talarem*, conſtantem ex tunica & pallio ad talos usque protenſis, & in habitum *brevem*, qui conſiſtit in tunica brevi & pallio ſolum genua tegentibus. Quod Regulares attinet, ſinguli Ordines peculiari ſe diſtingunt habitu.

2. Ex reſponſionibus ſequentibus patebit, quod perſonæ eccleſiaſticæ teneantur deferre habitum ſtatui ſuo convenientem, ſolusque habitus longus ſeu veſtis talaris Beneficiatis ac omnibus, qui in Sacris conſtituti ſunt, a SS. Canonibus permittatur.

CASUS I. Bartholomæus magni nominis Prælatus longe pretioſius ac nitidius veſtitus incedit ac alii Clerici.

℞. Non poteſt mox de peccato argui, dummodo habita ratione conditionis ſuæ exceſſum non committat, & longe abſit motivum vanitatis. *Quisquis ſic utitur exterioribus rebus*, ait S. Auguſtinus, *ut metas conſuetudinis bonorum, inter quos verſatur, excedat, peccat; dum ſcilicet propter delicias aut oſtentationem talibus utitur. Pontas.*

CASUS II. Alexius in ſacris Ordinibus conſtitutus aut Beneficio proviſus ſolet pro majori commoditate deferre habitum breviorem. Cum autem illi Confeſſarius denegationem abſolutionis comminaretur, niſi deinceps habitu longiore uſurum ſe ſponderet, reponit, habitum illum eccleſiaſticum cenſeri, qui colore ac forma a veſte laicali ſufficienter diſtin-

ctus eſſet ; ad hæc plurimos alios Clericos ſic veſtri , quin ipſis propterea moveretur ſcrupulus , aut ipſimet id ſibi conſcientiæ ducant.

℞. Notandum prius , primis quatuor Eccleſiæ ſæculis Clericos a laicis quoad veſtitum non fuiſſe diſtinctos , & ſæculo primum quinto diverſum a laicis & peculiarem Clericorum habitum fuiſſe introductum. Quæ mutatio cum brevi in conſuetudinem abierit generalem , & poſtea a plurimis Canonibus ſtabilita ac confirmata fuerit , dicendum plane , omnes perſonas eccleſiaſticas in Sacris conſtitutas aut Beneficio proviſas , ſub peccato obligari ad deferendum ordinarie habitum longiorem. *Quia* , ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 14 de reform. c. 6. , *etſi habitus non facit Monachum , oportet tamen Clericos veſtes proprio convenientes Ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant.* Quod autem Concilium per *veſtes convenientes* intellexerit *veſtem talarem* excluſa ſuccinctiore , ſaltem quoad tunicam usque ad talos protractam , dubitari non poteſt : nam ſummi Pontifices Concilio poſteriores ita hæc verba intellexerunt. S. Carolus Borromæus quoque in hoc ſenſu verba Concilii interpretatur ; imo transgredientibus & ejusmodi veſte Clericali non utentibus peccatum conſtituit ſibi reſervatum. Idem ſtatuerunt plura Concilia maxime Gallica poſt Tridentinum habita. Interea peccatum eorum , qui ſuccinctiori tunica utuntur , non eſt ejusdem gravitatis ac illorum, de quibus Concilium Tridentinum loquitur , qui ſcilicet induunt *veſtes laicales* , de quarum genere neutiquam eſt tunica ſuccinctior & pallium brevius ; imo hæc veſtitus forma poteſt adhuc cum memorato Concilio dici *honeſtus habitus Clericalis Ordini & dignitati congruens* in quibusdam circumſtantiis, ut dum quis eſt in itinere, aut domi laborem manualem honeſtum ſuſcipit. Extra hos caſus uſus veſtis ſuccinctæ , utpote ab Eccleſia expreſſe reprobatus ac ſub gravibus pœnis prohibitus a peccato excuſari non poteſt. Epiſcoporum quoque peculiaris ſollicitudo nunquam non eo tendebat, ut Beneficiati ac in Sacris conſtituti habitu ſuccincto non uterentur. Excipiuntur tamen parochi rurales , qui domi ſuæ veſtem ſuccinctam deferre poſſunt , niſi , ut advertit S. Beuve , Epiſcopus peculiari ſtatuto id expreſſe prohibuerit. *Pontas.*

NOTA. In hac re obſervandæ leges & laudabiles conſuetudines diœceſanæ. Peccat graviter , qui advertenter cooperatur ad bonas abrogandas , aut malas introducendas vel fovendas.

CA-

CASUS III. Theodulphus Archiepiſcopus Liſabonenſis ſtatuto ſynodali præcepit, ut Clerici ſuæ Diœceſis in Sacris conſtituti aut Beneficiis proviſi deferant tunicam talarem & pallium longum in urbibus ac oppidis reſidentiæ ſuæ. Hyacinthus vero Cantor Eccleſiæ Cathedralis obtenta a prædeceſſoribus Theodulphi in quosdam Clericos jurisdictione externa uſus ſtatuto Archiepiſcopi oppoſuit aliud, vi cujus Clericis ſibi ſubjectis liceret in urbe portare veſtem ſuccinctam pallio longo tectam. Jacobus Clericus Cantori ſubjectus tali modo indutus quotidie incedit, id ſibi permiſſum ratus vi ſtatuti Superioris ſui immediati. Poteſtne id facere absque peccato? An Cantor tuta conſcientia potuit id permittere?

℟. Jacobus non poteſt absque peccato deferre tunicam ſuccinctam contra prohibitionem expreſſam Archiepiſcopi, non obſtante ſtatuto Cantoris Eccleſiæ Cathedralis, qui abuſus eſt ſua poteſtate, & permiſit, quod alienum eſt a mente Eccleſiæ & ſacrorum Canonum, quibus omnino conforme eſt ſtatutum Archiepiſcopi. Jurisdictio Cantori ſolum fuit conceſſa, ut opituletur Epiſcopo in regimine Eccleſiæ, non ut ſaluberrimas ac legitimas ejusdem ordinationes ſubvertat. Et per hunc ipſum procedendi modum Cantor, merito poſſet privari ſua jurisdictione juxta regulam juris: *privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate. Pontas*

CASUS IV. Flavius Presbyter Mediolanenſis Romam proficiſcens ac ſuccincte veſtitus ſæpius celebravit in Eccleſiis ſibi obviis absque tunica talari.

℟. Absque peccato non potuit taliter indutus celebrare, licet itinerans. S. Carolus permiſit quidem Clericis in itinere conſtitutis ſuccinctum habitum; ſed ea conceſſio nullatenus ſe extendit ad celebrationem Miſſæ. Ipſæ Rubricæ Miſſalis Romani interdicunt celebrantibus ejusmodi veſtem; & Synodus Pariſienſis de anno 1697. pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ ſtatuit in celebrantes absque veſte talari, etiam in itinere. *Pontas.*

Nota. Conſuetudines rationabiles circa ejusmodi objecta de ſe adiaphora interpretantur legem, in qua omnes particulares circumſtantiæ exceptivæ nequeunt exprimi.

CASUS V. Privatus quispiam duo tenuia habet Beneficia ſimplicem tantum tonſuram requirentia. Teneturne deferre habitum Clericalem?

3. Si hæc Beneficia ſunt patronatus laici redituum 400. aut 500. librarum, tenetur ſub peccato mortali deferre habitum Clericalem. *De Lamet.*

Nota. Beneficium Eccleſiaſticum etiam tenue, ac inſufficiens pro ſuſtentatinone congrua, obligat ad deferendum habitum clericalem. Si autem ſimplex Capellania non foret collata in Titulum, aliud dicendum.

Vide *Veſtitus laicalis.*

HABITUS PECCAMINOSUS.

Vide *Peccator conſuetudinarius.*

HÆRES.

1. *Hæres* dicitur, qui in omnia bona ac jura defuncti ſuccedit. Nomen *Hæreditas* æque convenit ſucceſſioni, quæ vocatur *teſtamentaria*, ac illi, qui dicitur *ab inteſtato.* Sic etiam nomen *Hæres* æque competit *legitimo* ac illi, qui dicitur *teſtamentarius* ſeu *ex teſtamento.*

2. Quolibet actu nomine ac jure hæredis exercito *Majorennis* fit hæres, licet invitus; *Minorennis* autem nunquam contrahit obligationem irrevocabilem, ſed ſemper manet hæres *beneficiarius.* Actus hæredis exercetur 1. Dum quis ut hæres recipit debitum aut cenſum. 2. Dum ut hæres ſolvit debitum creditori. 3. Dum poſſeſſionem adit fundi aut prædii, illud colit aut elocat, ut dum mobilia capit, vendit, aut quovis alio modo de iis diſponit. 4. Dum hæreditatem alteri donat, cedit aut pro ſumma pecuniæ vendit. 5. Dum de hæreditate clam quidpiam ſubtrahit, antequam eidem renunciarit.

3. Hæres univerſim tenetur ad omnia onera hæreditatis, ut ſunt debita, legata & alia ejusmodi. Qui ſe ſive directe, nude ac ſimpliciter, ſive indirecte & actione quadam hæredem declaravit, obligari poteſt ad tria debitorum genera, quamvis ipſi hæreditas oneroſa ſit, 1. ad debita paſſiva. 2. Ad ea, quæ ex diſpoſitione defuncti præſtanda ſunt. 3. Ad ea, quæ poſt mortem teſtatoris adveniunt, ut expenſæ funerales.

4. Hæreditatem qui ſemel adiit, jam repudiare eam nullatenus poteſt. Incapacitas ſeu inhabilitas & indignitas excludunt ab hæreditate ſive ex teſtamento ſive ab inteſtato. Quidam nequeunt eſſe hæredes ab inteſtato, poſſunt tamen eſſe tales ex teſtamento. Sic illegitimus ob vitium natalium

non

non poteſt ſuccedere ab inteſtato ; excipiuntur tamen ipſius liberi, ſi quos habet legitimo toro natos.

5. Incapacitas ſuccedendi ab inteſtato poteſt eſſe *naturalis*, ut infantium, qui exanimes in lucem eduntur ; & hi nec ex teſtamento hæredes eſſe poſſunt. Infans tamen adhuc vivens ex utero matris jam mortuæ extractus ſuccedit matri ab inteſtato ; etiamſi hæreditas materna jam fuiſſet adita ab aliis. Poſthumi poſſunt eſſe hæredes patrum ſuorum ; imo etiam poſthumus alterius poteſt hæres inſtitui.

6. Alia incapacitas ſuccedendi dicitur *legalis* ; quia legibus introducta eſt. Sic illegitimi non poſſunt ſuccedere patribus ſuis ; licet ſaltem jure Romano cum legitimis admittantur ad hæreditatem maternam. Attamen hæc incapacitas ceſſat, dum tempore conceptionis inter patrem & matrem illegitimi poterat ſubſiſtere matrimonium, & poſt conceptionem aut ſaltem ante nativitatem illegitimi contraxerunt actu matrimonium : per hoc enim ſubſequens matrimonium illegitimus legitimatur. Hæc autem legitimatio non habet virtutem retroactivam, & non tribuit jus ſuccedendi in ea, quæ jam præteriere. Sic ſi pater renunciavit hæreditati ad ipſum devolutæ ante matrimonium, ſucceſſio, quæ per hanc renunciationem tranſiiſſet ad illegitimum, ſi tunc jam fuiſſet legitimatus per matrimonium, aquiſita manet hæredi proximiori, qui eam acceptaverit ; quin eam legitimatus poſtea per ſubſequens matrimonium illegitimus recuperare poſſit. Idem dicendum, ſaltem in Gallia, de extraneis jure civitatis a Principe donatis. Incapaces denique hæreditatis ſunt civiliter mortui & capite damnati, poſito quod ſententia condemnatoria lata fuerit ante obitum, & a reo non invalidata : ſi enim invalidata fuerit, reus in omnia ſua jura reſtituitur.

7. Quandoque quis cenſetur indignus hæreditate, etſi non ſit incapax ; ut dum quis in re gravi deliquit contra obſervantiam defuncto debitam, ſive adhuc in vivis exſtiterit, ſive jam obierit; ſive hæreditas obtigiſſet ab inteſtato, ſive ex teſtamento. Præter caſus indignitatis a legibus denotatos dantur etiam alii, in quibus boni mores & æquitas poſtulant, ut quis pro qualitate delicti & ratione circumſtantiarum declaretur a judice indignus hæreditate; ſic mulier excluditur a ſucceſſione in bona defuncti, quocum vivente in aperta vixit libidine.

8. *Prima* ac graviſſima cauſa indignitatis eſt, ſi hæres ſive ab inteſtato ſive ex teſtamento machinatus eſt mortem in teſtatorem, aut vitæ ipſius inſidias ſtrui ſciens eum deſuper non monuit, aut in vitæ periculo conſtituto ſuccurrere

 negle-

neglexit. *Secunda* eſt, quando hæres ſive legitimus ſive ex teſtamento honori ac famæ defuncti graviter derogat, ſeu de crimine illum judicialiter accuſando, ſeu accuſationi ab alio intentatæ cooperando, ſeu contumelioſos in ejus famam libellos promulgando. *Tertia* eſt capitalis inimicitia erga teſtatorem, inſtitutumque ab eo hæredem maxime ſi inimicitia perduravit usque ad mortem teſtatoris. Plures leges hanc indignitatem ſtatuerunt in legatarios; id quod a fortiori extenditur in hæredem teſtamentarium, niſi contrarium expreſſe declaraverit teſtator ductus motivo charitatis, bonum pro malo redditurus. *Quarta* indignitatis cauſa eſt, quando hæres præſumptivus ab inteſtato vi aut fraude impedivit defunctum a condendo teſtamento, aut iisdem mediis teſtamentum extorſit in ſuum favorem.

9. Hæres hæreditati renunciare poteſt, ſi nullo adhuc actu ſe eam acceptaſſe declaravit; ſed hæc renunciatio fieri debet cum cognitione cauſæ & per actum publicum judicialem iis, quorum intereſt, declaratum. Ne vero imprudenter ſe quis hæreditate oneret, licet eam ſolum acceptare ſub beneficio inventarii.

10. Hæres beneficiarius non tenetur de debitis, niſi quousque ſe extendunt bona hæreditaria. Si tamen nude ac ſimpliciter ſe heredem profiteatur, aut aliqua actione ut talem ſe gerat, tenetur irrevocabiliter ad omnia debita.

11. Si plures ſunt hæredes ab inteſtato æquales ſingulis portiones obtingunt, ſi lex non determinet cujuslibet portionem; ſecus inſiſtendum eſt legi aut conſuetudini. Facta hæreditatis diſtributione cohæredes ad invicem vades ſunt bonorum ex hæreditate obtentorum. Etiam unicus illorum recuſare poteſt communem bonorum hæreditariorum poſſeſſionem, & hinc maſſa hæreditaria dividenda, & portio illi debita petenti cedenda eſt.

12. Emptores hæreditatis veri reputantur hæredes, & ſuccedunt in omnia jura ac onera defuncti.

CASUS I. Attalus in matrimonium elocans filium ſuum, obligatione contractui matrimoniali inſerta eum ſimul inſtituit hæredem omnium bonorum ſuorum. Verum biennio poſt vendidit feudum nobile, portionem hæreditatis primariam. Potuitne vendere tuta conſcientia?

R. Regulariter loquendo & juxta jus commune ejusmodi hæredis inſtitutio, etſi irrevocabilis, non ita ligat manus inſtituentis, ut non poſſit vendere, donare inter vivos aut alio modo alienare partem bonorum ſuorum. Solum dona-

donationem univerſalem non poteſt facere; & ſic inſtitutus hæres ſuccedit in omnia bona adhuc exiſtentia poſt obitum inſtituentis. Cum autem leges & conſuetudines hac in re pro diverſitate locorum ſint diverſæ, eæ inſpiciendæ, ac ſervandæ ſunt. *Pontas.*

CASUS II. Medericus adita nude ac ſimpliciter hæreditate Jodoci, quam exiſtimabat valde proficuam, agnovit, ejus valorem non excedere 15000. florenos, debitis autem oneratam 20000. florenorum. Hinc totam cedere creditoribus ſtatuit; hi vero oblatam acceptare renuunt, contendentes, eum teneri ad ſolvenda debita.

℞. Certum eſt; creditorum prætenſionem eſſe juſtam. Medericus igitur juxta leg. *More* 8. ff. de aquir. vel omitt. hæred. lib 29. tit. 2. tenetur ex propriis ſolvere omnia Jodoci debita, utpote cujus ſe nudum ac ſimplicem geſſit hæredem: liberum enim ipſi erat renunciare hæreditati, aut uti beneficio inventarii; quo in caſu jus ipſi competiiſſet facta prius deductione debitorum & aliorum onerum reducendi legata exceſſiva juxta proportionem bonorum reſiduorum. *Pontas.*

CASUS III. Cum Petrus, Paulus, Joannes & Andreas inter ſe dividerent hæreditatem, obtigit Petro pro ſua portione domus. Cum autem ea evinceretur a Jacobo creditore defuncti, utpote illi hypothecata, Petrus convenit ſuos cohæredes, ut ſe redderent indemnem reſtituendo portionem competentem. An ad id tenentur cohæredes in conſcientia?

℞. Tenentur reſtituere. *Diviſionem prædiorum vicem emptionis obtinere placuit*, inquit lex. Et ratio eſt; quia hæreditas non tranſit in dominium hæredum, niſi deductis & expunctis prius debitis. Hinc Paulus, Joannes & Andreas non ſiunt Domini ſuæ portionis, niſi & Petrus obtinuerit ſuam, quæ illi debetur. *Pontas.*

CASUS IV. Demophilus Germanus jam a decennio in Gallia commoratus moritur abundans divitiis. Duo ejuſdem filii ex legitimo matrimonio in Gallia contracto nati cum eas paternæ hæreditatis inſtar inter ſe partiri vellent, oppoſuere ſe Officiales regii, eo quod filii necdum incolatus literas obtinuerint. Propria igitur authoritate invaſerunt hanc hæreditatem, eamque fiſco addixerunt.

℞. Cum hi duo filii fuerint nati in Gallia & quidem ex toro legitimo, non potuerunt Officiales fiſci eorum hæreditatem occupare abſque injuſtitia. Liberi quoque mercatoris extranei nundinas Lugdunenſes frequentantis poſſunt hæ-

redita-

reditatem patris ſui, ſi forte ibi moriatur, repetere, aut alii hæredes quoad omnia eidem ab inteſtato ſuccedere. *Pontas.*

Nota, Res hæc jam difficultatem non patitur Gallos inter & exteros, jure Albinatus mutuis contractibus plerumque ſublato.

CASUS V. Macrobius Juſtinæ maritus abſque prole legitima & ullo conſanguineo ab inteſtato moritur. Juſtina mox poſſeſſionem adit hæreditatis tanquam hæres defuncti: aſt Officiales fiſci ſe opponunt, obtendentes jus *deceſſus ſine hærede.*

℟. Juxta jus Romanum bona Macrobii non pertinent ad fiſcum, ſed ad uxorem defuncti, niſi vigeat conſuetudo contraria: ſuperſtes enim conjugum excludit fiſcum. *Maritus & uxor*, inquit lex, *ab inteſtato invicem ſibi in ſolidum pro antiquo ſuccedant, quoties deficit omnis parentum, liberorumve, ſeu propinquorum legitima vel naturalis ſucceſſio, fiſco excluſo. Pontas.*

CASUS VI. Paulina Altini relicta vidua poſt mortem mariti, quinto circiter menſe a conceptione, paſſa abortum peperit filium poſthumum, qui mox baptizatus quadrante poſt obiit. Paulina jam prætendit, filium hunc eſſe hæredem patris ſui, ſe vero defuncti filii. Hæredes autem Altini obiiciunt, hanc prolem pro hærede haberi non poſſe, cum ipſæ circumſtantiæ nativitatis naturalem longioris vitæ impoſſibilitatem eidem præſagierent, & omnem ſpem in bona patris ſuccedendi præſcinderent.

℟. Ratio hæredum omni prorſus fundamento caret; prætenſio vero Paulinæ æqua & juſta eſt; dummodo proles ſit legitima. Hæc reſponſio legibus Romanis æque ac Gallicis conformis eſt. *Hoc tantummodo requirendo*, ait lex 3. Cod. de poſthum. hæred. *ſi vivus ad orbem totus proceſſit, ad nullum declinans monſtrum vel prodigium. Pontas.*

CASUS VII. Maralinus illegitimus ab Alexio hæres ex aſſe inſtitutus eſt. Poſſuntne alii hæredes tuta conſcientia hanc Maralino hæreditatem in controverſiam vocare ex eo præciſe, quod ſit illegitimus?

℟. Illegitimus non poteſt eſſe hæres ab inteſtato, niſi propriorum filiorum ex legitimo matrimonio deſcendentium. Jure Romano tamen admittuntur illegitimi ad ſucceſſionem maternam & agnatorum maternorum; imo poſſunt eſſe legatarii quoque vel quoad partem vel quoad totum; & ſi ex matrimonio, quod ſubſiſtere poterat tempore conceptionis inter eorum patrem & matrem, & poſtea contractum fuit, fuerint

fuerint legitimati, etiam hæreditatem paternam ab inteſtato capere poſſunt, dummodo a parentibus ut proprii liberi agnoſcantur, & hæc agnitio præcedat mortem illius, cujus ſupponuntur futuri hæredes. In hac re tamen conſulenda ſunt jura localia & conſuetudines provinciarum legitime introductæ, quæ variant. *Pontas.*

CASUS VIII. Liminius Menandri filius naturalis obtentis legitimationis literis idem cum liberis legitimis in hæreditatem paternam jus ſibi arrogat.

℟. Nullum omnino Liminio competit jus: hæc enim legitimatio alium non operatur effectum, quam habilitatem ad quosdam honores, prærogativas ac officia, ad quæ ex vitio natalium prius erat inhabilis; minime vero tribuit jus ſuccedendi, quod eſt penes ſolos legitime natos. Expedit quoque, ut culpa patris puniatur per inhabilitatem illegitimi ad ſucceſſionem in bona paterna. *Pontas.*

CASUS IX. Baſilius furti accuſatus ob contumaciam condemnatus fuit ad mortem, bona relinquens haud exigua. Num ea pertinent ad fiſcum, vel ad hæredes legitimos?

℟. Si Baſilius intra annum a die condemnationis ſuæ ſe non ſiſtit in judicio, bona ipſius ut civiliter mortui ad fiſcum pertinent. Si vero annus (in Gallia fixum eſt quinquenium) necdum elapſus eſt, Baſilius non reputatur civiliter mortuus, & conſequenter nec incapax poſſeſſionis bonorum ſuorum, condendi teſtamentum atque adeundi hæreditatem. Et ſi ante lapſum hujus anni moriatur, ſuccedunt ipſi liberi aut alii hæredes legitimi. *Pontas.*

CASUS X. Pomponius ut complex perpetrati homicidii condemnatus ad mortem provocavit ad judicem ſuperiorem, & appellatione necdum finita moritur & ipſe, & pater ipſius Alexander pinguem relinquens hæreditatem. Cujusnam eſt hæc hæreditas? num fiſci num liberorum Pomponii?

℟. Indubitato eſt liberorum Pomponii, utpode hæredum patris ſui, qui erat filius & hæres Alexandri. Pomponii incapacitas poterat tolli per gratiam Principis vel per ſententiam ſuperioris Judicis, qua prior condemnationis ſententia annullaretur. Dein cum Pomponius durante appellatione poſſet legitimè teſtari juxta L. *Qui a latronibus.* 13. §. 2. ff. Lib. 28. tit. 1. poterat ex eadem ratione etiam ſuccedere. *Pontas.*

CASUS XI. Callinicus poſtquam ob ſeditionem perpetuo ex patria ſua fuerat relegatus, moritur pater ipſius Claudius ab inteſtato. Jam reliqui liberi excludunt fratrem ſuum Callinicum ab hæreditate paterna; eo quod eſſet civiliter mortuus.

℟.

℟. Juſte excluditur. Si tamen Callinico eſſet proles legitima, hæc ſuccederet in jura patris ſui, & cum reliquis Claudii liberis hæreditatem partiri deberet juxta L. *Si necem.* 4. §. 2. ff. Lib. 38. tit. 2. *Pontas.*

CASUS XII. Enſtratius mortuus eſt abſque omni hærede. Poteſtne parochus loci diſponere de bonis defuncti in favorem pauperum?

℟. Non poteſt; & ejusmodi bona in defectu omnis hæredis ex L. *Scire* 1. Cod. Lib. 10. tit. 10. ad fiſcum pertinent.

Nota. Leges ejusmodi non habent multum roboris circa bona mere occulta. Et hinc diſponendum de iis in cauſas pias juxta voluntatem præſumptam defuncti; id quod ſaltem pro foro interno haud inepte fieri poſſet a parocho loci, in quo mors accidit.

CASUS XIII. Pantaleon per errorem emiſit ſolemnem profeſſionem in quodam Ordine mendicantium, antequam ætatem a SS. Canonibus præſcriptam attigiſſet. Poſt quatuor annos moritur ejus parens, in cujus bona Daniel defuncti nepos ſucceſſit. Pantaleon interea monitus de nullitate profeſſionis ſuæ contra eam reclamat, & obtento Roma Reſcripto dimiſſionis hæreditatem paternam adire cogitat. Daniel autem ſeſe opponit, Pantaleonis inhabilitatem ſuccedendi ſolum ſublatam eſſe pro futuro contendens, & non pro tempore præterito.

℟. Licet quilibet Religioſus profeſſus ſit incapax ſuccedendi in bona parentum ac conſanguineorum ſuorum, certum tamen eſt, quod profeſſio emiſſa ante annum ætatis decimum ſextum completum juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de Regul. c. 15. ſit nulla. Nulla igitur etiam fuit ejus inhabilitas ad ſucceſſionem in bona paterna; adeoque per Reſcriptum Romanum non ſolum declaratur habilis ad ſucceſſiones in futurum, ſed etiam de præterito, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato. Idem dicendum de condemnato ad mortem, vel in perpetuum ad triremes: ſi enim vel annulletur ſententia condemnatoria, vel mitigetur, aut mutetur in aliam, quæ mortem civilem non inducit, reſtituitur in omnia jura, quæ prius habuit. Diſpar autem eſt ratio circa illegitimos, qui ante legitimationem vere ſunt inhabiles; & conſequenter legitimatio obtenta non agit in præterita, ſed ſolum in futura. *Pontas.*

Nota. Si Religioſus nullitatem profeſſionis ſuæ primum agnoviſſet poſt quinqennium aut plures annos, relinquendum eſt Judici forenſi, ut pronunciet ex æquo, ne dominia maneant incerta. In tali

caſu

caſu haud abs re foret; ſi judex ejusmodi profeſſionem æquiparet renunciationi publicæ ac judiciali ad omnem hæreditatem.

CASUS XIV. Arnaldus per teſtamentum inſtitutus eſt hæres Simeonis; cum vero timeret, ſe inde implicandum litibus, eoquod hæreditas debitis eſſet onerata, eam in favorem Renati legitimi hæredis ab inteſtato repudiavit pro ſumma 1500. florenorum, quam mox accepit. Verum duo creditores & legatarius Arnaldo pro ſolvendis ſibi debitis & legato intendant actionem, quos Arnaldus remittit ad Renatum; ſed illi inſiſtunt apud Arnaldum utpote hæredem ex teſtamento, ſolutionemque vel ideo maxime urgent; quia haud gratuito hæreditatem ceſſit.

℟. Creditores & legatarius jure petunt ſolutionem ab Arnaldo, cujus renunciatio ſolum valet quoad Renatum, & non quoad creditores & legatarium. *Si pecunia accepta,* inquit lex *Si in fraudem.* 1. Cod. Lib. 6. tit. 39. *omiſit aditionem, legata & fideicommiſſa præſtare tenebitur*; ſaltem niſi actum hæredis ex neceſſitate exercendo proteſtatus fuerit, ſe nolle eſſe hæredem, aut niſi minorennis fuerit: minorennes enim, quemcumque hæredis actum exerceant, non fiunt irrevocabiliter hæredes. *Pontas.*

CASUS XV. Riberius, cum videret hæreditatem ſui patris non ſufficere ad expungenda ejus debita, ſubtractis de illa quibusdam bonis eidem renunciat. Creditores autem detecta hac Riberii fraude intentant illi actionem, qua petunt, ut judicialiter pro ſimplici hærede declaretur, adeoque obligetur ad ſolvenda omnia debita valorem hæreditatis longiſſime ſuperantia. Poſſuntne ſic agere tuta conſcientia, etſi ſciant, plusquam dimidium bonorum propriorum id Riberio conſtiturum?

℟. Poſſunt absque peccato. *Si quis ſuus*, inquit Lex *Si ſervum.* 71. §. 4. ff. Lib. 29. tit. 2. *ſe dicit retinere hæreditatem nolle, aliquid autem ex hæreditate amoverit, abſtinendi beneficium non habebit.* Aliud foret, ſi Riberius prius ſucceſſioni renunciaſſet, & tunc primum de hæreditate ſubtraxiſſet: in hoc enim caſu juxta L. *pro Hærede.* 20. §. 4. & L. *Si ſervum.* 71. §. 9. ibid. ſolum furti reus foret ex rigore legum puniendus. *Pontas.*

CASUS XVI. Florus nunciata ſibi avunculi ſui morte mox adiit hæreditatem tanquam hæres ab inteſtato. Poſtea vero comperit, ſe ab avunculo inſtitutum fuiſſe hæredem per teſtamentum, attamen cum gravi legatorum onere, quæ & legatarii ab eo exigunt. Florus itaque renunciat hæreditati, quam integram cedit legatariis; qui tamen eam reſpuunt,

ut-

utpote haud ſibi proficuam rati, & inſtant, ut Florus, cum ſe ut hæredem ab inteſtato geſſerit, ad omnia hæreditatis onera etiam cum proprio damno ferenda obligetur. Num juſte id petunt?

℞. Si Florus ignoravit, ſe eſſe inſtitutum hæredem in teſtamento, injuſte id petunt; quia ad hoc, ut quis teneatur ad onera ſucceſſionis, non ſufficit, quod hæres ſciat mortem illius, cui ſucceſſurus eſt; hæredem ſe eſſe noverit, & hæredis actum exerceat; ſed requiritur inſuper, ut ſciat, quo titulo ſit hæres: id autem cum neſciverit Florus, dum hæreditatem adiit, habet jus eam repudiandi, & prætenſio legatariorum juxta legem *Si is.* 22. ff. Lib 29. tit. 2. eſt injuſta. Nihilominus ſi legata reduci poſſent, & eorum reductioni aſſentirentur legatarii, aut facile ad aſſenſum judicialiter compelli poſſent, ad repudiationem hæreditatis in foro externo non admitteretur Florus, ſi cum cognitione cauſæ ſe ut hæredem geſſit. *Pontas.*

CASUS XVII. Laurentius præſumptivus hæres Hugonis propinqui ſui percepta ejusdem morte mox ſolvit Gabrieli 100. Imperiales, quos illi Hugo debuerat, priusquam ſe hæreditati immiſcuerat. Comperit autem poſtea, ſe in teſtamento ab Hugone condito penitus ab hæreditate eſſe excluſum, & repetit a Gabriele ſolutum, quod hic reddere recuſat.

℞. Si Gabriel accepta ſolutione extinxit obligationem v. g. reddendo chirographum debiti, ita ut illud non amplius poſſit repetere ex hæreditate Hugonis, non tenetur reſtituere ſolutam ſibi ſummam; ſi vero obligatio non ſit extincta, & Gabriel adhuc poſſit convenire hæredem defuncti pro ſolutione, tenetur Laurentio reddere ſolutum ex L. *ſi pœnæ* 19. ff. Lib. 12. tit. 6. *Pontas.*

CASUS XVIII. Lombardus adita hæreditate Sempronii turbatur in ejus poſſeſſione a Tertullo. Durante lite pereunt pecora valoris 3000. florenorum, & Tertullus declaratur hæres. An Lombardus tenetur ipſi reſtituere æſtimationem pecorum?

℞. Cum Lombardus fuerit bonæ fidei poſſeſſor, non tenetur compenſare damnum, quod numerandum venit inter cauſas fortuitos ac impræviſos. Et licet Lombardus prævidiſſet hoc damnum, non tamen tenebatur deſiſtere a jure ſuo, & deſerere cauſam, quam ſe habere exiſtimabat, juſtam. Ita L. *Illud.* 40. ff. Lib. 5. tit. 3. *Pontas.*

CA-

CASUS XIX. Valentinus declaratus Juliani hæres cum videret, hæreditatem non ſufficere ad expungenda omnia debita, contentus *Falcidia* reliquum ceſſit creditoribus. An licuit ipſe detrahere Falcidiam?

℞. *Falcidia* ab inventoris nomine ſic dicta, eſt quarta pars hæreditatis, quam hæres ſibi retinere poteſt, ſi legata excedunt tres quartas partes bonorum relictorum. Falcidia locum non habet, niſi ſolutis prius omnibus debitis, cujuscumque naturæ ſint. Falcidia uti poſſunt omnes hæredes legitimi, ſive ab inteſtato ſive teſtamentarii. His prænotatis ſi Valentinus pure ac abſolute hæreditatem adiit, non poteſt uti Falcidia. Si vero hæreditatem non adiit abſolute, ſed per modum hæredis beneficiarii, diſtinguendum eſt, an confecerit inventarium vel non. Si confecit inventarium in forma debita & ſine fraude, ac demonſtrat, debita majora eſſe hæreditate, gaudet jure Falcidiæ; ſi vero non confecit inventarium, dicto jure non gaudet. *Fiat igitur inventarium*, inquit Imperator Juſtinianus Novel. 1. c. 2. §. 1. *ab hærede metuente, ne forte non habeat poſt debita & legata Falcidiam.* Et §. 2. *Si vero non fecerit inventarium, non retinebit Falcidiam; ſed complebit legatarios & fideicommiſſarios, licet puræ ſubſtantiæ morientis tranſcendat menſuram legatorum datio.* Addendum, quod, licet damna & diminutiones hæreditatis incumbant hæredi etiam beneficiario, hic tamen habeat hoc commodum, ut poſſit renunciare hæreditati, ſi acceptorum rationem reddat; quo caſu omnes mutationes ſupervenientes poſt mortem teſtatoris unice concernunt creditores & legatarios defuncti, ut in jure determinatum eſt. *Pontas.*

CASUS XX. Leodegarius legavit Paulino 5000. florenos. Simon Leodegarii hæres credens, hæreditatem hanc non eſſe adeo pinguem, eam quidem mox acceptavit, ſed non niſi ſub beneficio inventarii, ſcripto tamen ſe obſtrinxit ad ſolvendum Paulino legatum. Tractu temporis advertit, omnibus debitis ab hæreditate deductis bona haud ſufficere ad ſolvendum legatum. Cogitat igitur uti Falcidia, & ſolutionem Paulino denegat. Num juſte?

℞. Non poteſt abſque injuſtitia Paulino recuſare ſolutionem legati; cum ad id ſe obſtringendo renunciarit quoad hoc juri Falcidiæ. L. *Cum certum.* fin. Cod. Lib. 6. tit. 50. Nihilominus ſi hæres ſolviſſet aut ſolutionem ſpopondiſſet ex *errore facti*, eo quod v. g. notitiam non habuerit codicilli continentis plura alia legata, poſſet jure repetere plus æquo ſolutum; quod tamen locum non haberet, ſi interveniſſet

error juris, ſi v. g. ignoraſſet, poſſe detrahi Falcidiam, aut exiſtimaſſet, legata non ſubiici Falcidiæ. *Regula eſt*, inquit lex, *juris quidem ignorantiam cuique nocere*; *facti vero ignorantiam non nocere. Pontas.*

CASUS XXI. Geminius hæres Cæſaris, qui illi plura & notabilia legata eidem legatatio ſolvenda per teſtamentum impoſuit, acceptata ſub beneficio inventarii hæreditate ſponte ſolvit dimidiam legatorum partem non detracta Falcidia. Poſtmodum agnoſcens, hæreditatem non ſufficere ad reſiduam legatorum partem ſolvendam vult uti Falcidia, aſt opponente ſe legatario, & poſteriora legata eo modo exigente, ut accepiſſet anteriora.

℟. Legatarius injuſte id petit; & Geminius poteſt retinere Falcidiam, etſi vel unicum adhuc legatum ſolvendum reſtaret. Ratio eſt; quia juſte præſumi poteſt, hæredem priora legata absque deductione Falcidiæ exſolviſſe animo ſibi reſervandi jus eam deducendi ex iis, quæ adhuc ſolvenda eſſent. L. *Si ex pluribus.* 16. ff. Lib. 35. tit. 2. *Pontas.*

CASUS XXII. Nicaſius hæres Coſmæ ab inteſtato agnoſcens ex inventario, bona defuncti non ſufficere ad ſolvenda debita & legata, Falcidia uti cogitat deductis debitis, & reliquum bonorum cedere legatariis. Aſt quidam eorum, quorum legatum 1500. florenos conficiebat, prætendunt, fructus ac reditus cum tempore percipiendos fundum legatorum aucturos, eosque in Falcidiam computandos; alii duo, quibus legatæ fuerant penſiones pro ſuſtentatione, contendunt, de hac penſione utpote ad victum neceſſaria nil detrahi poſſe.

℟. Male id prætendunt legatarii: Falcidia enim 1. deducenda eſt ex bonis defuncti præſentibus & certis, nulla habita ratione fructuum & redituum; ſaltem niſi fructus illi eo tempore, quo obiit teſtator, jam fuerint maturi: in hoc enim caſu eorum ratio habenda in æſtimatione fundorum conformiter ad L. *In Falcidia.* 9. ff. Lib. 35. tit. 2. Et hæc æſtimatio vel mutuo conſenſu, vel ſi partes convenire non poſſint, judicialiter facienda eſt. 2. Legata quoque alimentaria Falcidiæ ſubjecta ſunt; obſervandum tamen eſt, Falcidiam ita regulandam eſſe, ut pro quolibet anno uſusfructus ſolum detrahatur juxta proportionem detractionis conſtitutæ quoad cætera legata. 3. Falcidia uti non poteſt legatarius, cui teſtator impoſuit onus ſolvendi penſionem alteri: conditio enim legatarii non eſt ita favorabilis ac hæredis; & hinc leges permittunt, ut hæres ad perſolvenda legata obſtrictus

poſſit

poſſit partem detrahere penſionario aut uſufructuario, quod non permittunt legatario. *Pontas.*

CASUS XXIII. Rutilius Giiberto hæredi ſuo impoſuit onus ſolvendi quinque diverſa legata cum expreſſa prohibitione, ne detrahat Falcidiam. Hoc inſuperhabito Gilbertus vult uti jure Falcidiæ, utpote a lege conceſſo.

℞. Poſt expreſſam teſtatoris prohibitionem Gilbertus abſque injuſtitia non poteſt uti iſto jure, ut expreſſe leges ſtatuunt. Eadem Authoritas, quæ Falcidiam ſtabilivit, voluit quoque, ut teſtator ejusdem uſum interdicere poſſit. *Si expreſſim deſignaverit teſtator*, inquit Imperator Juſtinianus, *non velle hæredem retinere Falcidiam*, *neceſſarium eſt teſtatoris valere ſententiam.* Ad hæc datur caſus, in quo prohibitio teſtatoris ſolum tacita utendi jure Falcidiæ locum habet, ut dum legatur bonum immobile, ex voluntate teſtatoris inalienabile. *Pontas.*

CASUS XXIV. Henricus, Albertus & Germanus hæredes Marci ſive ab inteſtato ſive ex teſtamento acceptarunt hæreditatem. Germanus abſentibus duobus cohæredibus impenderat 100. florenos ad reparationem domus hæreditariæ proximam ruinam minitantis; quæ tamen paulo poſt fulmine conſumpta eſt. Henricus & Albertus jam Germano pro ratione portionis ſuæ expenſas compenſare recuſant, utpote privata ipſius authoritate factas, ſibique inutiles.

℞. Absque manifeſta injuſtitia id recuſare non poſſunt: ſi enim hæres impenſas faciat pro bono cauſæ communis, reliqui cohæredes tenentur & ſuum conferre, etiamſi res caſu fortuito pereat. Ita expreſſe ſtatuit lex *Quod ſi.* 37. ff. Lib. 5. tit. 3. *Pontas.*

CASUS XXV. Paulus ob commiſſum furtum tractus in tribunal durante cauſa criminali obiit; & judex nihilominus fert ſententiam, ut res ablata reſtituatur cum damno & intereſſe, pendaturque mulcta pecuniaria 150. florenorum Hoſpitali applicanda. An Ludovicus, qui ſe declaravit hæredem Pauli, tenetur ea omnia ſolvere?

℞. Ludovicus tenetur ad reſtitutionem rei ablatæ cum damno & intereſſe: hæres enim ſuccedit in omnes obligationes reales defuncti provenientes ex delicto; ſive defunctus ex ſuo crimine factus ſit ditior, ſive non; etiamſi defunctus nec in judicio nec extra judicium de reparatione damni fuerit conventus. Et quamvis non concordet Jus civile, id tamen requirit æquitas naturalis, ad quam reſpiciunt Conſtitutiones Canonicæ, ut patet ex Decretali Alexandri III. Cap. *In literis* 5. Lib. 5. tit. 17. Ad mulctam tamen pecu-

niariam juxta L. *Ex judiciorum.* 20. ff. Lib. 48. tit. 2. non tenetur Ludovicus; quia adhuc ante mortem teſtator ad hanc pœnam non fuit condemnatus. *Pontas.*

CASUS XXVI. Cum Guarinus & Cyprianus eſſent cohæredes Briccii, & abſente Guarino adminiſtratio hæreditatis committeretur Cypriano, is ob ſuam imperitiam grave ex una parte bonis hæreditariis damnum intulit; ex alia tamen parte per ſpecialem induſtriam longe majores collegit fructus, ac ipſe Guarinus collegiſſet, ſi adminiſtraſſet bona. Tenenturne partiri damnum & lucrum?

℟. Si Cyprianus in adminiſtratione bonorum hæreditariorum eam adhibuit diligentiam, quam adhibuiſſet circa bona propria, non tenetur Guarino compenſare damnum, etſi ex imperitia illatum; quod alius magis expertus facile præcaviſſet. Ita L. *Hæredes.* 25. §. 16. ff. Lib. 10. Tit. 2. Pari ratione Cyprianus tenetur cum Guarino partiri emolumenta fructuum, utpote ex communi fundo partorum; poteſt tamen deducere expenſas utiles aut neceſſarias in meliorationem fundi factas, ut habetur L. *Si a domino.* 36. §. fin. ff. Lib. 5. tit. 3. *Pontas.*

CASUS XXVII. Jacobus mercator delatus fuit ad judicem de re, ex qua vel vitæ vel certe famæ jactura pendebat; & Benedictus nepos ipſius ac hæres præſumptivus aliis accuſatoribus ſeſe aſſocians in proceſſu criminali contra eum egit. Jacobus vero, poſtquam de crimine ſe purgavit, novum condidit teſtamentum, Benedictum exhæreditavit, & alium ſcripſit hæredem.

℟. Legitimum eſt hoc novum teſtamentum, & hæres in eo inſtitutus tuta conſcientia poteſt adire hæreditatem Jacobi, qua ſe Benedictus indignum reddidit ex L. *Indignum.* 3. ff. Lib. 34. Tit. 9. Jus de pluribus exhæredationis cauſis mentionem facit, quarum præcipuæ ſunt 1. Si inſtitutus in teſtamento hæres eſt author aut complex libelli diffamatorii contra teſtatorem. 2. Si quis ante mortem illius, cui ſucceſſurus eſt, diſponat de parte bonorum hæreditariorum pro futuro ſine conſenſu ipſius. 3. Si quis malitioſe, & non pro dilucidando jure vel dubietate rei teſtatori litem moveret, ut declaretur illegitimus vel ignobilis; cum tamen ſit legitimus & nobilis. 4. Si quis hæres teſtamentarius teſtatorem vi, minis aut aliis mediis illicitis impedit a confectione ſecundi teſtamenti; aut ſi hæres ab inteſtato eadem adhiberet media, ne ille, cujus hæreditati inhiat, condat teſtamentum. Aliæ exhæredationis cauſæ comprehenduntur his verſibus:

Bis

Bis ſeptem ex cauſis exhæres filius eſto :
Si patrem feriat , vel maledicat ei ;
Carcere detruſum ſi negligat aut furioſum ,
Criminis accuſet vel paret inſidias ;
Si dederit damnum grave , nec ab hoſte redemit ;
Si teſtari vetet , ſe ſocietque malis ;
Si mimos ſequitur , vitietve cubile paternum ;
Non orthodoxus : filia ſi meretrix.

Si cauſa, quæ hædedem ſucceſſione reddidit indignum , ſit ſublata tempore mortis illius, cui ſuccedendum , etiam jus ſuccedendi redit hæredi , ut ſi poſt capitales inimicitias ſincera denuo pax cum teſtatore ac amicitia concluſa eſt. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Maria matrona nobilis plures habet hæredes, nepotes ac neptes , inter quos Titius , eadem cum illa habens inſignia gentilitia ; unde erga ipſum ſingulari ferebatur affectu , eumque ex rationibus graviſſimis deſpondet filiæ Sempronii. Cum autem per eum dignitatem familiæ conſervare vellet , & ex conſuetudine provinciæ, in qua degebat, fæminæ ultra tertiam bonorum ſuorum partem donare non poſſent , vendit Caſtrum ſuum nobile Sempronio, ut illud filiæ ſuæ in dotem daret , ac redactas ex venditione pecunias in Curiam civitatis Pariſienſis elocat , fundumque per donationem inter vivos Titio deſtinat. Denique filio Titii natu majori per teſtamentum reliqua ſua allodialia relinquit. De hac diſpoſitione conqueritur Henrica neptis matronæ , una ex ejuſdem hæredibus præſumptivis. Num jure ?

℞. Videtur , Mariam poſſe permanere in ſuo propoſito ; quia magnum datur diſcrimen inter filios hæredes collaterales ac remotos. Quamvis enim graviſſima requiratur cauſa ad hoc , ut poſſit exhæredari filius vel nepos , levior tamen ſufficit ad exhæredationem hæredum collateralium ; neque tam ſcrupuloſe inter eos obſervanda eſt æqualitas , maxime ſi detur rationabilis cauſa præferendi unum alteri. Maria potuit vendere bona ſua allodialia , eaque donare Titio ; cum lex id permittat , & conſuetudo non ſit contraria. *Unde quiſque poſſidet , quod poſſidet ?* ait S. Auguſtinus in Can. *Quo jure.* 1. diſt. 8. *nonne jure humano ? ... Per jura Regum poſſidentur poſſeſſiones.* Henrietta male de diſpoſitione Mariæ queritur , quæ merito quidem ipſi gravis accidit ; ſed *quod quidem perquam durum eſt* , inquit L. *Proſpexit.* 12. §. 1. ff.

ff. Lib. 40. Tit. 9. *ſed ita lex ſcripta eſt.* Nihilominus ſi cohæredes ſint egentes, ſane æquitas poſtulat, ut Maria etiam iis proſpiciat. *Pontas.*

CASUS XXIX. Crœſus nec habens bona patrimonialia nec induſtrialia, ex reditibus tamen Beneficiorum opulentiſſimus, cum haud ita pridem mortuus eſſet, hæredes ipſius omnia, quæ reliquit, bona occuparunt. An tuta conſcientia ea ſibi vendicare poſſunt?

℟. Beneficiati non niſi œconomi ſunt & nudi adminiſtratores redituum Beneficialium; & juxta Concilia generalia & particularia, Decreta Pontificum, Patres & plures, ac inſigniores Doctores non poſſunt de iis legitime diſponere, niſi in favorem Eccleſiarum & pauperum. Si hæredes pauperes non ſunt, non poterunt tuta conſcientia hæc bona ſibi attribuere ut ſua. *Pontas.*

Vide *Hypotheca.* *Legatum* caſ. 17. 18. 19. 20. 21. *Teſtamentum* caſ. 28.

HÆRESIS.

CASUS I. Parochus quidam, cum in libris multorum Doctorum legerit, Confeſſarium tempore Jubilæi abſolvere poſſe a crimine hæreſis, Titium tempore ultimi Jubilæi abſolvit ab iſto crimine. An potuit abſolvere?

℟. Non potuit: nam licet olim iſta opinio valde probabilis fuerit, certe hodie talis non amplius eſt poſt declarationem contrariam ab ALEXANDRO VII. editam 23. Martii 1656. C. B.

CASUS II. *Cajus* videns, nil ſibi e votis ſuccedere, ſecum cogitat, Deum injuſtum eſſe erga ſe, An incurrit cenſuram latam in eos, qui ſunt hæretici formales?

℟. Negative: nam ut incurratur excommunicatio, debet hæreſis eſſe publica & externa, Eccleſia enim non judicat de internis. *Girib. tr.* 4. *in* 1. *præc. Decal. cap.* 2. *dub.* 5. *C. B.*

HISTRIO.

Hiſtriones, qui & *Mimi*, *ſaltatores* ac *circulatores* dicuntur, ii ſunt, qui erecta in loco publico theatri quadam ſpecie anilibus næniis, variis geſtibus, ac ventoſa loquacitate ſua, quandoque etiam honeſtati ac bonis moribus adverſante plebem detinent. Ars hæc in ſe ipſa eſt contemptibilis, eamque exercentes infames reddit. Utrum ſine peccato exerceri poſſit, ex ſequentibus collige. CA-

CASUS I. Euſtratius hiſtrio confitetur tempore Paſchali. Poteſtne Parochus eum abſolvere ?

℟. Si Euſtratius eſt ex illorum hiſtrionum numero, qui in ſuis diſcurſibus immiſcent verba inhoneſta & indecentia, aut exercent actiones honeſtati, bonis moribus, ac pudicitiæ contrarias, a Confeſſario ipſi abſolutio deneganda eſt, niſi renuntiare velit profeſſioni ſuæ : tales enim ludi ac joci ſunt ex natura ſua peccata mortalia, lucrumque exinde perceptum illicitum. Si vero Euſtratius nil inhoneſti immiſcet, aut quod bonis moribus vel Religioni obſit, non eſt ipſi deneganda abſolutio, nec ea, quæ ex ludo ſuo lucratus eſt, pro male aquiſitis habenda. *Pontas.*

Nota. Quamvis actus ſinguli honeſtis moribus & verecundiæ oppoſiti non ſint peccatum mortale, invehere tamen in juventutem & plebem Chriſtianam ubivis locorum quaſi publico magiſterio ſcurrilitatem morum, inurit nomini & ſtatui vitæ Chriſtianæ valde turpem maculam, quod nequit ſolum leviter diſplicere Deo.

CASUS II. Euſtadius Clericus tonſuratus, pauperrimus tamen, ut facilius poſſit ſubſiſtere, exercet artem hiſtrionicam, venditque certam medicinam, quam dicit remedium eſſe præſentiſſimum contra certam morbi ſpeciem.

℟. Si nondum renuntiavit Clericatui, peccat mortaliter ; quia hæc profeſſio eſt ſumme prohibita Clericis, ſicque grave populo præbet ſcandalum. *Pontas.*

CASUS III. Mirocles Acolythus, nepos cujusdam Comici ita acetabulorum ludo aliisque actibus hiſtrionicis delectatur, ut frequenter eos exerceat, etſi ſumme indignos ſuo ſtatu.

℟. Si exercet hanc artem publice, excidit omnibus privilegiis Clericalibus, ita ut, qui illum percutiat, non incurrat excommunicationem. Si autem hanc artem exercet privatim, ac pro recreatione, eum percutiens incurrit excommunicationem. *Pontas.*

CASUS IV. Adrianus famoſus hiſtrio ac funambulus ſe ex uno in alium funem ex alto præcipitat, cum tamen hic poſterior non horizontaliter, ſed verſus terram protenſus ſit. Centies id jam nullo interveniente ſiniſtro caſu repetiit.

℟. Aliqui Doctores cenſent, eum peccare mortaliter ; quia talia exercitia fieri non poſſunt ſine evidenti mortis periculo. *Pontas.*

Nota. Ad demonſtrandos artis & fraudis limites, quos noſſe intereſt Reipublicæ, & Eccleſiæ, licet ſubire pericula *moraliter nulla*

ſeu *remotiſſima*. Hæc ipſa tamen, quantum fieri poteſt, v. g. per ſubſtrationem mollium, minuenda ſunt.

Vide *Comœdia*.

HOMICIDIUM.

1. Nemini unquam licet committere *homicidium*, ſeu alicui vitam adimere privata authoritate, niſi ſolum in caſu juſtæ defenſionis, & in neceſſitate inevitabili propriam vitam conſervandi; imo nec in hoc caſu licet directe intendere occiſionem aggreſſoris. Utque tale homicidium culpa vacet, neceſſe eſt 1. ut in ſui defenſione juſta ſervetur moderatio, 2. ne occidens primus aggreſſus fuerit occiſum, & 3. ut alia ratione occidens ab imminente periculo ſe liberare non poſſit.

2. Homicidium committi poteſt variis modis, nempe authoritate publica, authoritate privata, ex neceſſitate, & caſu fortuito. Pariter committi poteſt propriis manibus, ferro, veneno &c. aut per alium, juſſu videlicet aut conſilio, vel negligendo debitam præcautionem, aut illud non impediendo, maxime ſi quis ad id teneatur vi officii.

3. Crimen homicidii magis aut minus enorme eſt, pro ratione ſcilicet circumſtantiarum perſonæ, loci, temporis &c.

4. Homicidium plerumque morte punitur, niſi ſupremus Princeps vitæ gratiam fecerit; quæ tamen gratia nunquam tollit obligationem præſtandi damnum & intereſſe parti læſæ.

5. In nullo unquam caſu licet aliquem occidere pro conſervatione ac defenſione bonorum temporalium. Idem dicendum de ſervanda fama; licet enim bonum famæ omnibus aliis bonis temporalibus præferendum ſit, eſt tamen ordinis longe inferioris ac vita proximi, non obſtante faſtuoſa idea, quam ſibi de honore ſuo formant homines arrogantes ac ſuperbi.

6. *Suicidium* adhuc gravius crimen eſt; licet exempla non deſint, quod piæ quædam mulieres pudicitiæ ſervandæ, veræque fidei propugnandæ cauſa ſibimet ipſis mortem intulerint: facta enim ejusmodi, ut SS. Patres docent, particulari inſpirationi divinitus immiſſæ aut dictamini invincibiliter erroneo, Deo illud non impediente, adſcribenda ſunt.

7. Conventus Cleri Gallicani anno 1700. quoad hanc materiam damnavit ſequentes propoſitiones:

Propo-

Propoſitio XXX. *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.* CENSURA : *Hæc propoſitio eſt erronea ; crudelitatem privatamque vindictam approbat.*

Propoſitio XXXII. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur aut infametur.

Propoſitio XXXIII. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur ; ac conſequenter dicendum, in nullo abortu homicidium committi. CENSURA : *Hæ propoſitiones ſunt ſcandaloſæ, erroneæ, infandis homicidiis, & parricidiis procurandis aptæ. Homicidii enim feſtinatio eſt,* ut ait Tertullianus Apol. c. 9. *prohibere naſci, nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet.*

Propoſitio XXXIV. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

Propoſitio XXXV. Licitum eſt tam hæredi quam legatario contra injuſte impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere (ſcilicet defenſione occiſiva), ſicut & jus habenti in Cathedram vel Præbendam, contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem. CENSURA : *Hæ propoſitiones legi Dei, & ordini charitatis divinitus inſtituto contrariæ ſunt, pernicioſæ & erroneæ.*

CASUS I. Baſilius in via occurrerat Ambroſio, qui jam diu ipſi mortem minitabatur ; ac revera Ambroſius primus educit gladium, ac nititur confodere Baſilium ; qui tamen aggreſſorem prævenit, ac occidit. Potuitne Baſilius eum occidere abſque peccato ?

℞. Si Baſilius non potuit alio modo tueri vitam ſuam, quam occidendo Ambroſium, non videtur, eum peccaſſe ; dummodo ſolum ac unice juſtam ſui defenſionem intenderit. Ratio eſt ; quia vi juris naturalis magis quis tenetur providere defenſioni ac conſervationi propriæ vitæ quam alterius. *Nam jure hoc evenit*, ait L. *Ut vim.* 3. ff. Lib. 1. tit. 1. *ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur.* Idem docet S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. C. & in pluribus aliis locis operum ſuorum. Notandum tamen, quod ex mente S. Auguſtini, S. Ambroſii, S. Thomæ & aliorum plurimorum Doctorum, licet bona ac juſta ſit intentio ſalvandi propriam vitam, numquam tamen homini privato liceat intendere occiſionem ſui aggreſſoris. *Pontas.*

CASUS II. Gervaſius injuſte aggreditur Gilbertum animo eum interimendi ; cum tamen in ipſo certamine debilio-

rem ac minus dextrum ſe cerneret , deſiſtere cupit, & Gilberto offert victoriam. Hic autem cum acceptare recuſaret, & pes eum aliquantulum falleret, Gervaſius occaſione utendum ratus uno ictu eum occidit. Eſtne reus homicidii?

℟. Cum in hoc caſu Gervaſius fuerit aggreſſor, etſi non occiderit Gilbertum, niſi propriam vitam tuendi cauſa, vere reus eſt homicidii, quod non eveniſſet, niſi primus injuſte aggreſſus fuiſſet Gilbertum. *Adhuc tenetur tanquam reus homicidii & ſecundum leges humanas* inquit Toſtatus Comment. in Matth, c. 5. part. 2. q. 109. *quoniam aggreſſor fuit, & dedit cauſam immediatam ad homicidium voluntarium, quod poſtea ipſe patravit; licet, quando patravit, jam non intenderet occidere: in judicio enim Dei reus erit homicidii; ſed non ita graviter, ſicut ſi ſemper habuiſſet voluntatem occidendi, ut habuit a principio, quando fuit aggreſſor. Pontas.*

CASUS III. Palamedes ex commotione iræ percuſſit fœminam gravidam, quæ paulo poſt enixa eſt fœtum exanimem, quamvis prius vixerit. Eſtne reus homicidii?

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *C. & in* 4. *diſt.* 75. *q.* 2. *art.* 2. *qq.* 2. *ad* 3. homicidium caſuale poteſt contingere duplici modo, nimirum quando quis ponit actionem prohibitam, id eſt, *quæ natura ſua eſt periculoſa, & via quædam ad homicidium*; aut dum ponit actionem quidem licitam, ſed ſine præcautione neceſſaria: in utroque hoc caſu committitur homicidium. *Palamedes* ergo reus eſt homicidii; quia percutiendo fœminam poſuit actionem illicitam. *Ille, qui percutit mulierem prægnantem*, ait S. Doctor, *dat operam rei illicitæ; & ideo, ſi ſequatur mors mulieris vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen; præſertim cum ex tali percuſſione in promptu ſit, quod mors ſequatur. Pontas.*

Nota. Si percuſſio erat tam levis, ut vix unquam ex ejusmodi actu ſequatur mors prolis, non poteſt in foro interno haberi pro homicida.

CASUS IV. Porphyrius caſu mere fortuito, & absque ulla intentione occidit aliquem. An eſt reus homicidii?

℟. Regulariter loquendo id, quod caſu fit, non poteſt imputari ad peccatum; cum non ſit voluntarium: poteſt tamen contingere, ut id, quod non eſt actu volitum & intentum, ſit volitum per accidens, ut ſi quis ex culpabili negligentia, aut defectu debitæ præcautionis occidat hominem, putans eſſe feram; idque poteſt contingere duplici modo, ut

ut in reſponſione ad caſum præcedentem dictum eſt. In hoc autem caſu Porphyrius non eſt reus homicidii. *Pontas.*

CASUS V. Gallinicus offenderat hominem totum contuſum ex quodam lapſu, extra omnem ſpem vitam protrahendi ad horæ dimidium, & ab eo rogatur, ut celerius ipſi vitam abrumpat, ne tamdiu luctandum ſit cum doloribus, quos ſentiret, vehementiſſimis. Gallinicus ipſi obſequitur. Commiſitne homicidium?

℞. Eſt hic ipſiſſimus caſus, qui cum Saule contigit, & refertur in Libro 2. Regum. David ibi ſine ulla hæſitationo ad mortem condemnavi Amalecitam, qui Saulem occiderat. Et ex hoc exemplo. S. Thomas 3. *part. Summæ q.* 47. *art.* 6. *ad* 3. infert, quod nullus detur caſus, quo homini privato liceat aliquem occidere, etiam rogantem ſui occiſionem; quia occidens non ſolum injuriam facit homini occiſo, ſed etiam Deo, qui ſolus habet dominium in vitam humanam, ac Reipublicæ, cujus ille membrum eſt. *Pontas.*

CASUS VI. Dinamius in jus vocatus propter homicidium, & ob contumaciam ad mortem condemnatus fugit in alienum territorium, ubi a Fulgoſo Domino loci offenſus, ac tanquam homo proſcriptus ac condemnatus globo ſclopeti interemptus eſt. Eſtne Fulgoſus reus homicidii?

℞. Certum eſt, Fulgoſum commiſiſſe homicidium, ac peccaſſe mortaliter, privata ſua authoritate occidendo Dinamium: ut enim non agatur contra quintum Decalogi præceptum, quo homicidium prohibetur, duo requiruntur, juſtitia ſcilicet & legitima authoritas; hæc autem cum deeſſet Fulgoſo, verum commiſit homicidium. Et, hæc doctrina SS. Patrum eſt. *Pontas.*

NOTA. Aliud dicendum, ſi Reſpublica tribuat facultatem certi criminis reos, præſertim nominatim proclamatos, occidendi.

CASUS VII. Enguerrandus miles forte offenderat militem hoſtilem pacifice iter ſuum proſequentem, eumque occidit. Commiſitne homicidium? Idem reperit alium militem hoſtilem, quem levi certamine victum armis exuit, & captivum recepit; ſed poſtmodum interemit. An & in hoc caſu commiſit homicidium?

℞. Quod primum attinet, ſi Enguerrandus non erat actu in excubiis, nec contra hoſtem emiſſus, non potuit occidere militem hoſtilem, maxime ſi ad captivitatem ſeſe obtuliſſet. Neque potuit occidere alterum militem hoſtilem quocum dimicaverat, niſi in caſu neceſſitatis, quo alia ratione propriam tueri vitam non potuiſſet. *Sicut rebellanti &*

reſi-

reſiſtenti violentia redditur, inquit S. Auguſtinus Ep. 89. *ita victo vel capto miſericordia jam debetur; maxime in quo pacis perturbatio non timetur. Pontas.*

CASUS VIII. Eleonora puella valde nobilis, cum opprimeretur a famulo domeſtico, nec alio modo ſuam pudicitiam tueri poſſet, occidit aggreſſorem, ut honorem ſuum ſalvaret. An rea eſt homicidii? aut num ſemetipſam potuiſſet occidere pro evitanda infamia?

℟. Abſque peccato mortali non potuit occidere hunc famulum, ſub prætextu honorem ſuum conſervandi: etſi enim perdidiſſet virginitatem corporis ſui, conſervaſſet tamen coram Deo puritatem cordis & innocentiam animæ. *Gloria noſtra hæc eſt;* ait S. Paulus 2. Cor. 1. 12. *teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Et S. Auguſtinus Serm. 228. *Violentia non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur.* Hinc non licuit Eleonoræ ſub hoc prætextu vel aggreſſorem vel ſemet ipſam interimere. *Pontas.*

Nota. Inſignes Theologi cum ſatis communi docent, quod virgo licite occidat oppreſſorem, ſi ſe aliter liberare abſolute non poſſit: a plebe enim difficulter crederetur, quod oppreſſionem prorſus coacta paſſa ſit; & etiamſi id crederetur, non facile tamen reperiret maritum, ſaltem ſui ſtatus ac conditionis. Hinc videtur, quod Reſpublica poſſit, & præſumitur actu dare licentiam occidendi in hiſce anguſtiis, quas evadendi alia prorſus non reſtat via.

CASUS IX. Jordanus deprehendit Ludovicum noctu ſibi auferentem 400. dupliones aureos, in quibus omne bonum Jordani conſiſtebat. Ludovicus deprehenſum ſe cernens cum re ablata aufugit; ſed Jordanus cum furem inclamando ac curſu inſequendo rem ſuam recuperare non poſſet, eum ſclopeto trajicit. Potuitne abſque peccato mortali occidi Ludovicus?

℟. Vita humana infinities altioris ordinis eſt, ac omnia bona temporalia; hinc juxta legem charitatis abſque gravi crimine nunquam poteſt alicui, quiſcumque ille ſit, vita adimi pro conſervandis bonis temporalibus. Et hæc reſponſio abunde probari poteſt ex SS. Patribus, & Decretalibus; imo Scriptura ipſa Exod. 22. 2. & 3. vetat occidi furem bona tantum temporalia nobis auferentem. Præter propoſitiones ſupra allatas ab Innocentio XI. & Clero Gallicano damnatas etiam ſequens eandem merito cenſuram ſubiit: *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus; ſed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & nos poſſeſſuros ſperamus. Pontas.*

Nota.

Nota. Sunt etiamnum Theologi docentes, ejusmodi furem, tollentem media honeſtæ ac tranquillæ ſuſtentationi neceſſaria ac alio medio irrecuperabilia occidi poſſe: Reſpublica enim poteſt, tenetur & ex communi ſenſu ſolet concedere facultatem tales occidendi. Locus allatus Exodi ſtatum quæſtionis non videtur attingere.

CASUS X. Oliverius mercator Gallicus proficiſcens in Aſiam a pirata Tunetano captus, licet regiis ſecuritatis literis inſtructus fuerit, & Reſpublica Tunetana cum Rege Galliæ pacem coleret, in decennali mancipatu crudeliſſime habetur ab Hero ſuo, volente, ut & fidem abneget. An non data occaſione poſſet occidere Herum ſuum ad recuperandam libertatem?

℟. Certum eſt, eum non poſſe occidere Herum ſuum absque violatione præcepti divini prohibentis homicidium; niſi in caſu, quo ejusmodi occiſionem juberet aut lex juſta, aut ſpeciale mandatum divinum; prout in Scriptura habentur exempla. S. Auguſtinus *l.* 1. *de Civit. Dei. c.*21. *Pontas.*

CASUS XI. In quadam conferentia Theologica fuit agitata quæſtio: utrum ille, penes quem publica poteſtas ac ſummum imperium eſt, poſſit ſemet ipſum ad mortem condemnare, ſi ſe mortis reum agnoſcat.

℟. Nemo poteſt ſemet ipſum morte punire, cujuscumque demum criminis reum ſe noverit; cum nemo poſſit eſſe judex de proprio crimine. *Generali lege decernimus*, inquit L. *Generali.* un. Cod. Lib. 3. Tit. 5. *neminem ſibi eſſe judicem. Pontas.*

CASUS XII. Blaſius ſupremam poteſtatem habens nequit ſedare generalem ſeditionem provinciæ, niſi ſeditioſis immolet vitam Petri, quem certo ſcit immunem a malo, quod ipſi imputatur. Poteſtne tuta conſcientia Petrum condemnare ad ſubeundam pœnam mortis pro bono publico ac totius Status?

℟. Nec in hoc, nec in alio ſimili caſu poteſt condemnare eum, de cujus innocentia certus eſt. Ita S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 6. C. *Solum eatenus*, inquit Sylvius, *licet aliquem hominem interficere, quatenus ejus vita eſt bono publico noxia. Innocentis autem vita tantum abeſt, ut ſit noxia, ut potius ſit conſervativa & promotiva boni communis. Pontas.*

CASUS XIII. Peregrinus, qui nullo erga vicinum ſuum amore ferebatur, occidit animal ad ipſum pertinens. Num peccavit in hoc?

℟. Non peccavit præciſe ex eo, quod occiderit animal; peccavit tamen contra charitatem proximi id agendo ex odio aut vindicta erga vicinum; & contra juſtitiam, ſi hoc animal

mal fuit utile vicino, ut ſi fuiſſet equus, bos, canis, teneturque ad reparandum vicino ſuo damnum. *Pontas.*

CASUS XIV. Quod attinet mutilationem, Caſuiſtæ in diverſas abeunt ſententias: aliqui cenſent, cuilibet liberum eſſe ſibi abſcindere membrum proprii corporis, dummodo pro fine habeat propriam ſalutem, aut aliud notabile commodum. Et ex hoc principio inferunt, patrem citra peccatum poſſe caſtrare filium ſuum, ſi conſentiat, ut aptius ſervire poſſit cuidam Eccleſiæ, aut Principi tanquam Muſicus; aut quod ejusmodi juvenis ſemetipſum caſtrare poſſit ad evitandas tentationes carnis, & ſalutem ſuam ſecuriorem reddendam. Alii autem Caſuiſtæ dicunt, etiam mutilationem præcepto, *non occides*, eſſe prohibitam. Quibusnam aſſentiendum?

℟. Mutilatio juxta principia D. Thomæ 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. *in* 2. *q.* nunquam licita eſt, niſi in caſu, quo ea ſit neceſſaria pro conſervatione totius corporis: nemo enim ita Dominus eſt ſuorum membrorum, ut cum iis diſponere poſſit pro libitu ſuo; quia tam corporis quam animæ dominium habet ſolus Deus. Unde ſequitur, patrem absque peccato non poſſe caſtrare filium ſuum, nec filium aut quempiam alium ſemetipſum. Canones Apoſtolici id expreſſe prohibent omnibus Clericis; imo aliunde notum eſt, ejusmodi caſtrationem non eſſe remedium contra concupiſcentiam. *Pontas.*

CASUS XV. Multi Epiſcopi aut alii Prælati ſunt etiam Principes ſæculares. Poſſuntne criminoſos ac delinquentes morti adjudicare pro bono ac conſervatione ſuorum ſubditorum?

℟. Poſſunt id per miniſterium eorum, quibus juſtitiam ſuo nomine commiſerunt adminiſtrandam, id eſt, poſſunt iis mandare terminis generalibus, ut munus ſuum expleant, & judicent juxta exigentiam & tenorem legum. S. Thomas 2. 2. *q.* 54. *art.* 4. *ad* 3. *Pontas.*

CASUS XVI. Franciſcus habens amicum, quem Petrus apud Judicem injuſte accuſare cogitat, & aliud medium non inveniens, quo mala ex iſta accuſatione ſuo amico imminentia impedire poſſet, niſi illi mortem inferat, reapſe occidit eum. An id potuit facere?

℟. Non: id ipſum enim damnatum eſt in propoſitione decima octava ab Alexandro VII. *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia; ſi alia via non potuit innocens damnum evitare.* Dein minus malum eſt, in caſu certe rariſſimo damnum innocentis permittere, quam ſub prætextu defenſionis oc-

occiſionem, cum maximo Reipublicæ detrimento ob cædes & homicidia, quæ paſſim contingerent. C. B.

CASUS XVII. Quidam in aliena ſilva abſque cane venatus a Domino aut inſpectore ſylvæ occiditur; quia prædo aut latro eſſe credebatur.

℟. Confeſſarius ordinarius illum poteſt abſolvere; nam ſolum homicidium voluntarium eſt reſervatum. Cum igitur in caſu propoſito inſpector ſilvæ dictum venatorem potius tuendæ vitæ ſuæ gratia, quam ex alio malo motivo occiderit, iſta occiſio non poteſt dici voluntaria; conſequenter nec etiam dici poteſt, hoc homicidium eſſe reſervatum. *Girib. Rotar. Mazzuch.* C. B.

Nota. Inſpectores ſilvarum non habent a Republica poteſtatem occidendi prædones necdum declaratos, præſertim ſi de alterius intentione prædandi non conſtet certo, aut ſi inſpector poſſit fugere. Et hinc verum commiſſum fuit homicidium.

HONOR.

1. *Honor* hic ſumitur pro teſtimonio æſtimationis, quam quis fovet erga alterum ob ipſius merita, virtutem, dignitatem, aut conditionem ſtatus; & in hoc ſenſu juxta D. Thomam eſt *quoddam teſtimonium de virtute ejus, qui honoratur.* Et hinc proprie loquendo aliquem honorare idem eſt, ac eidem declarare æſtimationem, reverentiam ac obſervantiam, quam erga illum habemus.

2. Ordinarie periculoſum eſt affectare honorem; quia plerumque amor proprius, qui deſiderium honoris inſpirat. Si tamen ejuſmodi deſiderium ſit ordinatum, & ex radice charitatis proveniat, ac gloriam Dei bonumque proximi pro fine conſtituat, abſque peccato honor deſiderari poteſt; *inquantum* ſcilicet, ut addit S. Thomas, *ex hoc paratur ſibi via ad hoc, quod aliis proſit.*

CASUS Flavius certo ſcit, Publium Prælatum ſuum ducere vitam diſſolutiſſimam. An nihilominus quavis data occaſione tenetur illi exhibere honorem & reverentiam?

℟. Juxta S. Thomam Quodlib. 8. art. 7. C. diſtinguendum eſt inter perſonam & dignitatem Prælati. Si perverſus eſt, quoad perſonam ſuam non meretur honorem; eſt tamen illi exhibendus honor ob dignitatem, qua inſignitus eſt: repræſentat enim Jeſum Chriſtum, & gerit typum ac perſonam Chriſti in Eccleſia. Tenetur itaque Flavius ſub peccato honorare Publium ob dignitatem, qua condecoratus eſt. *Pontas.*

HO-

HOSPES.

Hoſpes dicitur, qui in domo ſua recipit itinerantes, illiſque pro parata pecunia victum miniſtrat & habitaculum, ubi pernoctare poſſint. Ordinarie tenetur hoſpes curam gerere rerum ad itinerantes & ad domum ſuam divertentes pertinentium, ac de iis rationem reddere. Dicitur *ordinarie*; quia poſſunt intervenire circumſtantiæ, in quibus ad id non obligatur, ut ſi itinerans, in hoſpitio ſe detinens, clave a cubiculi janua non detracta aut janua aperta exeat, quin deſuper hoſpitem moneat. Hoſpes tenetur cavere de fidelitate ſuorum domeſticorum, & non ſolum præſtare culpam *latam* & *levem*, ſed etiam *leviſſimam*. Solum non tenetur ad caſus fortuitos, qui præcaveri non poſſunt. Si domeſtici committant furtum extra domum, id hoſpiti culpæ dari non poteſt.

CASUS. Albertus itinerans divertit ad quoddam hoſpitium pernoctaturus, & equum ſuum curæ ſtabularii, ſarcinas autem ſuas ancillæ commiſit, quæ claves cubiculorum tenebat. Altero die comperit, equum eſſe abductum, & ex ſarcinis, quas apertas viderat, ſublatas eſſe merces valoris viginti aureorum. Convenit igitur hoſpitem, ut ſibi reſarciat damnum; hoſpes vero reponit, ſe ad id non teneri, cum nec equus nec ſarcinæ commiſſæ fuerint curæ ſuæ.

℟. Semper intervenit pactum expreſſum aut ſaltem tacitum hoſpitem inter & itinerantem, vi cujus hoſpes ſe obligat ad cuſtodiam rerum ad itinerantem ſpectantium, & itinerans ad præſtandam ſolutionem, ut habetur L. *Ait Prætor.* 1. ff. Lib. 4. Tit. 9. Albertus igitur jure exigit compenſationem damni ab hoſpite. Eadem quoque obligatio eſt aurigarum & nautarum. *Pontas.*

NOTA. Hoſpites, caupones, aurigæ, nautæ &c. tenentur quidem ex pacto tacito legali ad præſtandam culpam levem famulorum & ancillarum; non tamen ad culpam exteram furis nocturni, vel ad caſum fortuitum.

Vide *Caupo & Caupona.*

HOSPITALE.

HOSPITALE eſt domus, in qua recipiuntur pauperes. Quædam hoſpitalia ſunt pro ſanis, alia pro fœminis; in quibusdam etiam utriusque ſexus homines recipiuntur; & in his omnibus habetur cura tam corporis quam animæ. Et hinc ſex maxime enumerantur hoſpitalium genera. 1. Locus

pro

pro excipiendis & adjuvandis peregrinantibus deſtinatus, & qui proprie appellatur *Xenodochium.* 2. Locus, ubi recipiuntur, & curantur ægroti, quique proprie dicitur *Noſocomium.* 3. Locus ubi aluntur orphani, & dicitur *Orphanotrophium.* 4. Locus, ubi pro ſuſtentatione pauperum curatur, ac dicitur *Ptochotropheum.* 5. Locus, ubi recipiuntur ſenes victum labore ſuo quærere non valentes, ac appellatur *Gerontocomium.* 6. Locus, ubi recipiuntur & aluntur infantes, & imbecilles, quique vocatur *Brephotropheum.* Ex his omnibus hoſpitalium generibus quædam in jure vocantur loci religioſi, alia autem profani: priora ſunt authoritate & interventione Epiſcopi erecta; reliqua autem a quadam communitate, & a perſonis privatis erecta ſunt authoritate privata.

CASUS I. Erneſtus Marchio & Princeps Imperii ante obitum legavit Eccleſiæ Collegiatæ fundum annuos reditus 1000. florenos proferentem pro peregrinis & pauperibus eo tempore copioſe tranſeuntibus. Cum autem his temporibus nec pauperes amplius nec peregrini tranſeant, Capitulum dictos reditus impendit pro cantoribus & aliis miniſtris Eccleſiæ.

℞. Ex parte Capituli manifeſta committitur prævaricatio; ultima enim teſtatoris voluntas legis inſtar ſacræ ac inviolabilis eſſe debet, maxime ſi verſetur circa opus pium. Suppoſito etiam, quod hæc diſpoſitio 1000. florenorum potuerit immutari, id tamen fieri non poterat propria authoritate Capituli; ſed opus erat authoritate Epiſcopi, qui jus habet Capitulum obligandi, ut conformiter ad intentionem teſtatoris dictum legatum impendat, aut, quod magis proficuum viſum fuerit, exequatur. *Pontas.*

CASUS II. Therapius toparcha propria authoritate fundavit hoſpitale prope ſuum caſtrum, cujus adminiſtrationem commiſit loci parocho & curatoribus Eccleſiæ parochialis. Elapſo biennio Epiſcopus in viſitatione diœceſis petit rationem adminiſtrationis, prout præſcribitur in Tridentino; & Therapius ſe opponit.

℞. Stricte loquendo Epiſcopus non habet jus quoad hoc hoſpitale rationem adminiſtrationis exigendi vivente Therapio: nam talia loca, etſi pia, non habentur ut eccleſiaſtica, utpote a perſonis particularibus fundata abſque omni authoritate & concurrentia Epiſcopi. Mortuo tamen fundatore, ut Fagnanus exiſtimat in cap. *de Xenodochiis*, Epiſcopus jus habet viſitationis & inſpectionis talium locorum. *Pontas.*

CASUS III. Hoſpitale quoddam gaudebat ex fundatione annuis reditibus 1500. florenorum pro leproſis & peregrinis recipiendis. Cum vero jam non tranſirent peregrini, nec extarent leproſi, qui recipi peterent, parochus & adminiſtratores hoſpitalis convenire judicabant, ut reditus iſti impendantur in alias cauſas pias.

℟. Certum eſt, male eos egiſſe diſponendo de hiſce reditibus ſine conſenſu Epiſcopi, penes quem juxta Concilium Tridentinum Seſſ. 25. *de reformat.* c. 8. eſt jus de illis diſponendi. Si tamen Epiſcopus negligeret providere hoſpitali, Princeps ſæcularis haberet jus cognoſcendi de cauſa hac, & neceſſaria diſponendi, conformiter tamen ad præſumptam fundatoris voluntatem. *Pontas.*

CASUS IV. Octavianus teſtamento reliquit annuos reditus 2000. florenorum pro fundatione hoſpitalis in loco nativitatis ſuæ. Adminiſtratores vero ob exiguum numerum pauperum annuatim ſolum impendunt 1500. florenos, & reliquum applicant pro ſalario concionatoris & miniſtrorum altaris, diaconi ſcilicet & ſubdiaconi, ut aſſiſtant miſſæ ſolemni; cum alias vi fundationis ſolum dici deberet miſſa privata.

℟. Non poſſunt ita diſponere de reliqua, quæ ſuperfuit, pecuniæ ſumma abſque authoritate & conſenſu Epiſcopi, ut caſu præcedente dictum eſt. *Pontas.*

Vide *Beneficiatus. Legatum. Miſſa.*

HYPOCRISIS.

Hypocriſis eſt *fucata virtutis ſpecies*, ſeu *ſimulata probitas.* Hic examinabitur, quomodo, & in quo caſu hypocriſis ſit peccatum mortale, & quando duntaxat veniale. Per hypocriſin peccari poteſt actione, nimirum ſi quis externe oſtendit actum virtutis, quæ tamen reapſe non exiſtit, aut verbis, dum quis loquendo declarare cogitat, ſe talem aut talem virtutem amare, quam tamen minime poſſidet; ſic impudicus poteſt eſſe hypocrita producendo actum caſtum, aut extollendo laudibus caſtitatem eo fine, ut videatur hanc amare & colere virtutem, & hoc ſacra Scriptura condemnat; nam nihil Deo tam injurioſum eſt, quam iſthoc peccatum; cum hypocrita ſua hypocriſi ipſum Deum ludere velle videatur. Hypocritæ interim ſaltem ſtudent fallere proximum ſuum, &, ut loquitur Scriptura, ſunt illi, *qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Matth. 7. 25.*

CA-

CASUS. Eporchius ex confeſſione agnoſcit, duos ſuorum parochianorum eſſe hypocritas; ideo quærit, quibus ex principiis deſumere queat, utrum eorum hypocriſis ſit peccatum mortale, aut veniale.

℞. Quoad hoc ſequi oportet principia D. Thomæ in 4. diſt. 16. q. 6. art. 1. quæſtiunc. 5. C. ubi comparationem inſtituit hypocriſis cum mendacio. Sicut ergo mendacium eſt peccatum mortale, ſi eſt pernicioſum & vergit in notabile damnum proximi; veniale autem, quando non graviter præjudicat bono proximi; ſic & hypocriſis. Hinc ſi hypocrita alterum defraudat re, quam habet vel habere debet, aut ſi nocet fidei & Eccleſiæ aut Religioni, dum ipſi creditur, peccat mortaliter. Idem dicendum, ſi prorſus non eſt ſollicitus de vita Chriſtiana, ſed ſolum curat, ut hominibus videatur ſanctus. Aſt ſi quis abſque contemptu vitæ ſanctioris fingat ſe ſancte vivere, etiamſi in peccato ſit, hac ſua hypocriſi ſolum peccat venialiter; dummodo finis, quem intendit, non repugnet charitati. Addi poteſt, quod, licet malum ſit ſimulare virtutem, quam quis non habet, poteſt tamen occultari vel diſſimulari vitium aut defectus, quo quis laborat; imo quandoque datur obligatio celandi ejusmodi vitia, ne proximo præbeatur ſcandalum. Ad hæc modeſtia externa eſt virtus, ad quam peccatores etiam maximi tenentur, niſi gravioris peccati ſe reos facere velint. *Pontas.*

Nota. In hypocriſi latet alia graviſſima malitia diſtincta a deceptione aliorum, nempe perpetua obſtinata reluctatio ad inſtinctus divinos, quæ oppoſitio eſt gradus ad impoenitentiam finalem & ſubtractionem gratiæ finalis, juxta illud: *Vocavi, & renuiſtis. Ego quoquo in interitu veſtro ridebo* Prov. 1. Et juxta repetitum ſæpius *Væ* erga hypocritas in Evangelio; & juxta illam terribilem comminationem in Pſal. 94. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic; & juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.*

HYPOTHECA.

1. Per *hypothecam* intelligitur *obligatio fundo impoſita in ſecuritatem debiti*, ita ut creditor tempore convento ſolutionem petens, ea non præſtita, poſſit ſe convertere ad rem hypothecatam. Nomine *fundi* autem venit ager, domus, vel alia res immobilis; imo ex jure Romano in rebus etiam mobilibus conſtitui poteſt hypotheca.

2. Hypothecari poſſunt res immobiles tam præſentes quam futuræ, etiamſi expreſſa futurarum mentio non fuiſſet facta; ſaltem niſi hypotheca fuerit reſtricta ad bona particularia determinata. Quoad bona a tempore initi contractus a debitore

bitore aquiſita hypotheca non habet virtutem retroactivam: hypotheca enim initium ſuum ſumit a die novæ aquiſitionis, & non a die conſtitutæ in bonis hypothecæ.

3. Si datur in fundo hypotheca ſpecialis, ea ſe extendit ad omnes fructus ex fundo provenientes, imo ad acceſſorium quoque, ut v. g. foret domus a poſſeſſore tertio in fundo hypothecato ædificata; quo in caſu tamen, ſi creditor domum occupare vellet, poſſeſſori tertio omnes expenſas compenſare teneretur. A fortiori ſi domus hyppthecata incendio vel alio caſu deſtructa fuerit, & a proprietario de novo conſtruatur, nova domus eidem hypothecæ foret ſubjecta.

4. Si plures hæredes inter ſe partiti fuerint fundum a defuncto hypothecatum, non obſtante partitione integer fundus manet hypothecatus. Hinc, etſi unus ex hæredibus ſolverit partem debiti ſibi competentem, totus tamen fundus adhuc hypothecæ ſubjacet, ac in totum jus hypothecarium creditori perſeverat, ſalvo hæredi ſolventi perſiſtente recurſu ad reliquos cohæredes.

5. Hypothecari non poſſunt ea, quæ non poſſunt alienari, ut res ſacræ aut publicæ. Sic quoque ſine crimine ſtellionatus hypothecare quis nequit rem, cujus ſe dominium non habere noverit, aut ſecunda vice fundum jam alteri hypothecatum, niſi priorem hypothecam manifeſtet.

6. Hypotheca quantumcumque generali non onerantur ea, quibus debitor ex æquitate naturali ſpoliari non poteſt, ut ſunt veſtimenta, lectus, & alia, quæ creditor absque peccato contra charitatem & humanitatem ſibi vendicare nequit. Idem dicendum de inſtrumentis ad agriculturam neceſſariis.

7. Hypothecari poſſunt generaliter vel ſpecialiter jura & actiones, quæ inter immobilia recenſentur, ut cenſus & officia.

8. Poteſt quis hypothecæ dare proprium ſuum fundum pro debitis alterius.

9. Hypotheca dividitur in expreſſam & legalem ſeu tacitam. *Expreſſa* eſt, de qua convenerunt contrahentes, ut fieri ſolet in contractibus coram Notario publico initis. *Legalis* ſeu *tacita* eſt, quæ vel expreſſe a lege conſtituitur, vel per modum neceſſariæ ſequelæ ſubintelligitur, ut eſt hypotheca uxoris in bonis mariti pro ſecuritate dotis, & minorennis in bonis ſui tutoris.

10. Hy-

10. Hypotheca expreſſa vel eſt *generalis* vel *ſpecialis*, id eſt, vel ſeſe extendit ad omnia bona debitoris, vel ſolum ad quædam determinata; & utraque ſimul poteſt intervenire in eodem contractu.

11. Datur quoque hypotheca *ſimplex* & *privilegiata*. In ſimplici, cum fundus pluribus creditoribus oppignoratus eſt, non datur prælatio niſi ſecundum tempus, quo quis cum debitore contraxit; in hypotheca autem privilegiata datur jus prælationis ſine reſpectu ad temporis prioritatem. Sic qui pecunias ſuppeditavit ad reædificationem domus collapſæ ac deſtructæ, in qua creditoribus anterioribus hypotheca erat conſtituta, in nova domo hypothecam habet privilegiatam, & quoad ſolutionem præfertur omnibus aliis creditoribus anterioribus.

12. Denique alia adhuc datur hypothecæ ſpecies, quæ acquiritur per ſententiam judicis aut ſupremæ Curiæ, quæ appellationem non admittit.

13. Hypotheca ſive generalis ſive ſpecialis quatuor ſortitur effectus. 1. Creditor jus habet petendi venditionem rei hypothecatæ. 2. Semper eidem competit actio in fundum hypothecatum, qualiscumque a debitore facta fuerit alienatio. 3. Inter plures hypothecarios ſimiles ille, qui prior tempore contraxit, fundum hypothecatum judicialiter ſibi vendicare poteſt, etſi a debitore alius in poſſeſſionem illius miſſus fuerit. 4. Hypotheca non ſolum ſecuritatem præſtat ſummæ principalis, ſed etiam omnium jurium ex debito conſequentium. Addi poteſt 5. Quod creditor ante terminum præſtandæ ſolutioni deſtinatum poſſit agere ad ſecuritatem debiti, & pro conſervando jure ſuo ſe opponere venditioni rei ſibi hypothecatæ.

14. Præcipua obligatio creditoris erga debitorem eſt, ut, ſi fundum hypothecatum titulo Antichreſeos poſſideat, debitori reſtituat id, quod ultra reditus legitimos aut cenſum ſibi debitum retulit. Aliud tamen dicendum de fructibus fundi creditori relicti, ut provenientes ex eo fructus percipiat loco cenſus; hic enim non tenetur ad reſtitutionem exceſſus.

15. Privilegia, quibus non nulli creditores gaudent, conſiſtunt in jure, quod parit ipſa natura crediti, & quo aliis creditoribus ſibi tempore prioribus, etiam hypothecariis præferuntur; unde fieri poteſt, ut quandoque ultimus creditorum fiat primus. Inter diverſa creditorum privilegia alia aliis anteponuntur; aſt cuncta efficiunt, ut creditor privilegiatus præferatur.

16. Quatuordecim numerantur privilegia. 1. Cum emptori mutuum datur venditionis pretium, ſimulque præſcriptæ formalitates obſervantur, ut jus venditoris transferatur in eum, qui pecuniam ſuam dat emptori mutuam ad ſolvendum rei emptæ pretium: quod tamen in mobilibus ſolum tunc obtinet, dum ea ſunt in poteſtate debitoris; nam ceſſat privilegium & omnis quoque hypotheca, cum ad tertium devenere poſſeſſorem. 2. Quando mutuum datur ad rem conſervandam aut reficiendam. 3. Quando mutuum datur ad meliorandam rem, & actu ſubſiſtat melioratio. 4. Dum architecti, opifices & operarii laborem ſuum & induſtrias conferunt, ac materialia ſuppeditant. 5. Dum architectis pecuniæ ſumma datur mutua ad conſtructionem domus; modo id fiat jubente Domino. 6. Quando auriga merces vehens debita vectigalia ſolvit; hic gaudet hypotheca privilegiata in mercibus ſibi commiſſis. 7. Dominus hæreditatis locatæ habet privilegium quoad fructus inde provenientes usque ad exæquationem cum pretio locationis, ſi fructus adhuc ſint pendentes & in poteſtate locatarii. 8. Dominus fundi cenſualis aut emphyteutici privilegiatus eſt quoad cenſum, in cujuscumque etiam poteſtate ſint fructus. 9. Dominus ſeu proprietarius hypothecam privilegiatam habet in mobilibus locatarii quoad locationis pretium & alia contractum locationis concernentia, ut ſunt deteriorationes ex culpa locatarii factæ; nullum tamen ei jus competit in hæc mobilia extra poteſtatem locatarii poſita, niſi ea fraudulenter ſubduxerit. 10. Idem dicendum de locatariis principalibus reſpectu ſublocatariorum quoad mobilia. 11. Supremus Princeps gaudet hypotheca privilegiata in omnibus bonis ſuorum locatariorum, Officialium qui ipſi a rationibus ſunt, quæſtorum ac eorum, qui nomine Principis tributa recipiunt. 12. Expenſæ funerales hypotheca privilegiata fruuntur in bonis defuncti. 13. Idem dicendum de ſumptibus judicialibus. 14. Etiam ii gaudent privilegio, in quos jus hypothecæ privilegiatæ transfertur per ſubſtitutionem aut ceſſionem, conventione deſuper cum debitore inita, & obſervatis formalitatibus requiſitis.

17. Hypotheca ſolvitur 1. Novatione tituli: v. g. Petrus mihi debet vi obligationis ſolemniter erectæ mille florenos, pro qua ſumma mihi domum hypothecavit; poſtea vero reddito inſtrumento obligationis recepi ab eo nudum chirographum debiti in diem ſolvendi. Facta hac mutatione penitus ſolvitur hypotheca in domo conſtituta, & ſum creditor ſo-

lum

lum chirographarius juxta legem : *Novata debiti obligatio pignus perimit.* 2. Hypotheca ſpecialis in fundo determinato perit, quamprimum fundus perit caſu fortuito. 3. Extinguitur hypotheca, dum fundus hypothecatus ponitur extra commercium humanum, ut ſi in cœmeterium convertatur, aut in eo exſtruatur Eccleſia; quo in caſu nil reliquum eſt creditori, niſi actio in pretium a venditore fundi receptum. 4. Quando præſcriptione ſolvitur debitum, ſolvitur & hypotheca. 5. Quando debitor privat ur jure ſuo in fundum hypothecatum, vel quia fundus in forma judiciali evictus eſt, vel quia venditoris propinquus illum recuperavit, ceſſat hypotheca. 6. Denique ſolvitur hypotheca, ſi creditor ſimpliciter permiſerit alienari a debitore fundum hypothecatum, aut alienationem jam factam ratam habuerit, ita tamen, ut conſenſus creditoris inſtrumento authentico declaratus fuerit.

CASUS I. Bernardus hæres Victoris beneficiarius ex inventario ſciens, bona hæreditaria non ſufficere ad expungenda omnia debita ſolvit ſeptem aut octo creditoribus chirographariis ſolutionem primo expoſcentibus, aliis numerando pecunias, aliis varia ex mobilibus diſtribuendo. Verum & Aemilianus creditor hypothecarius petit ſolutionem, cum nihil amplius de hæreditate ſupereſſet. An illi quidpiam debetur a Bernardo?

℞. Bernardus nihil amplius debet Aemiliano; quia hæres beneficiarius non tenetur diſcernere inter nomina creditorum. *Eis ſatisfaciant*, inquit L. *Scimus.* fin. §. 4. Cod. Lib. 6. Tit. 30. *qui primi venient creditores; & ſi nihil reliquum eſt, poſteriores venientes repellantur.* Si tamen Bernardus cuidam ex creditoribus chirographariis in ſolutionem dediſſet fundum hypothecatum Aemiliano, hic poſſet perſequi jus hypothecæ in hoc fundo; quin hæres beneficiarius vel illi, cui dedit fundum, vel reliquis creditoribus ob defectum integræ ſolutionis ad quidpiam teneatur, niſi in tantum, quantum adhuc ſupereſt ex bonis hæreditariis. *Pontas.*

Nota. Hæres tenetur expectare concurſum creditorum; hoc ni fiat, obligatur ad reſtitutionem.

CASUS II. Mario defuncto quatuor ejuſdem hæredes partiuntur hæreditatem, & cuilibet obveniunt 400. floreni. An Euſtachius, Alexander & Bernardus, quorum quilibet Mario mutuos dederat 500. florenos, poſſunt ſolutionem exigere ab hærede, a quo voluerint?

℞. Tria dantur genera creditorum. nimirum chirographarii, hypothecarii & privilegiati. Si plures ſunt hæredes

defuncti, creditores chirographarii non poſſunt unum convenire in ſolidum, ſed quemlibet juxta proportionem acceptæ portionis hæreditariæ, etiamſi unus cohæredum quoad ſuam portionem non eſſet amplius ſolvendo, ut habetur L. *Legatorum*, 33. ff. Lib. 31. Tit. unic. Aliud dicendum de creditoribus hypothecariis & privilegiatis: hi enim poſſunt petere ſolutionem totius debiti ex bonis obligatis; ita tamen, ut hic, qui deſuper jure hypothecario conveniatur, habeat recurſum ad cohæredes pro obtinenda æquali portione. L. *Actio* 2. Cod. Lib. 8. Tit. 32. *Pontas.*

CASUS III. Cum Balduinus pure ac abſolute adiiſſet hæreditatem Armandi, ignorans, debita longe majora eſſe bonis hæreditariis, Leporius & Titius creditores hypothecarii prætendunt, jure hypothecæ ſe præferendos eſſe reliquis creditoribus non ſolum quoad bona defuncti, ſed ipſius etiam Balduini.

℟. Juſta eſt illorum prætenſio quoad bona defuncti, utpote ipſis hypothecata. Aſt quoad bona Balduini non gaudent jure prælationis, ſed ejusdem conditionis ſunt cum aliis creditoribus chirographariis. *Pontas.*

CASUS IV. Patritius omnia bona ſua, præſentia & futura obligavit Lamberto pro ſumma 5000. florenorum. Poſt tres menſes devolvitur ad ipſum hæreditas 6000. florenorum; ex qua tamen debentur Dionyſio creditori chirographario defuncti 5000 floreni. Quis amborum, Lambertus an Dionyſius, præferendus eſt quoad bona ex hæreditate ad Patritium devoluta?

℟. Quoad iſta bona præferendus eſt Dionyſius creditor chirographarius defuncti Lamberto creditori hypothecario Patritii hæredis. Ratio eſt; quia, licet bona hæreditaria, devoluta ad Patritium obligata ſint Lamberto, ea tamen pervenerunt ad Patritium hæredem ut gravata debitis, quæ proin prius ſolvenda ſunt. L. *Paulus* 29. ff. Lib. 20. Tit. 1. Ex quo ſequitur, Dionyſium poſſe petere ſeparationem bonorum ſucceſſionis ab iis, quæ reſidua manent Patritio ut hæredi, & ſic ſibi vendicare partem debitam. *Pontas.*

CASUS V. Telemachus vendidit ſuam domum Theotimo pro 8000. florenis intra annum poſt traditionem ſolvendis. Poſt ſex menſes Theotimus cogitur omnia ſua bona cedere creditoribus, inter quos aliqui hypothecarii etiam quoad domum præferri cupiunt, ſalvo tamen Telemachi recurſu ad alia Theotimi bona. Aſt Theotimus in judicio contendit, ſe præferendum eſſe omnibus aliis creditoribus quoad ſolutionem pretii domus.

℟.

℟. Juſta petit Telemachus ; nam venditor rei immobilis nondum accepto pretio præfertur omnibus aliis creditoribus empt ris. L. *Hæreditatis.* 21. ff. Lib. 18. Tit. 4. Item L. *Julianus.* 13. §. 8. ff. Lib. 19. Tit. 1. Verum ſi in contractu contineretur clauſula de ſoluto jam pretio , & promiſſio ſolutionis nuda conſtaret ſyngrapha , prælatio locum non haberet. Idem dicendum quoad mobilia ; quia venditor in ipſo momento traditionis eorum amittit dominium ; quo in caſu aliud Telemacho non ſupereſt medium , quam ut rem venditam , ſi adhuc in poteſtate emptoris ſit , occupet , ut ſic præferatur aliis creditoribus. *Pontas.*

CASUS VI. Urbanus locavit Joanni prædium pro annuo locationis pretio 300 florenorum. Moritur autem Joannes tribus poſt annis , quin unquam ſolverit debitum locationis pretium ; & cum ejus creditores viderent , defuncti bona longe minora eſſe ejusdem debitis , ob anteriorem , quam habebant , hypothecam , volebant Urbanum excluſum a triennali locationis pretio. An juſte ?

℟. Urbano debetur triennale locationis pretium præ omnibus aliis creditoribus, quamvis habeant anteriorem hypothecam. Ratio eſt ; quia Urbanus gaudet hypotheca privilegiata. *In prædiis* , ait L. 7. ff. Lib. 20. Tit. 2. *fructus , qui ibi naſcuntur, tacite intelliguntur pignori eſſe domino fundi locati , etiamſi nominatim id non convenerit. Pontas.*

CASUS VII. Gervaſius Juſtino mutuam dat ſummam 1000. florenorum pro emendo quodam officio judiciali. Eidem poſt bimeſtre ad eundem finem commodat Fridericus ſimilem ſummam. An Gervaſius quoad ſolutionem præferendus eſt Friderico ?

℟. Creditores privilegiati non diſtinguuntur ordine temporis , ſed tantum ex diverſa privilegii natura. *Privilegia* , inquit L. *Privilegia.* 32. ff. Lib. 42. Tit. 5. *non ex tempore æſtimantur , ſed ex cauſa ; & ſi ejusdem tituli fuerunt , concurrunt , licet diverſitates temporis in his fuerint.* Hinc cum utriusque creditoris titulus fuerit idem , neuter alteri præferendus erit. *Pontas.*

CASUS VIII. Diomedes cum pro ſumma 8000. florenorum haberet hypothecam generalem in omnibus bonis Bertrandi agricolæ , & ſpecialem in grege ovium , authoritate judiciali occupat ſex illius boves jugatorios , & alia animalia ad agriculturam ſervientia , ſimulque gregem 500. ovium , optimam bonorum , quæ habebat Bertrandus , partem. An non repugnat id æquitati naturali , & Scripturæ, quæ Exod.

22. 25. ait : *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor.*

℞. Potuit quidem occupare oves; ſed dum jus hypothecæ extendebat etiam ad boves jugatorios, & alia animalia ad agriculturam neceſſaria, egit contra æquitatem naturalem & in præjudicium boni publici. L. *Pignorum.* 8. Cod. Lib. 8. Tit. 17. Item L. *Executores.* 7. ibid. *Pontas.*

CASUS IX. Iſaacus a diverſis creditoribus accepit 8000. florenos, illisque obligavit omnia bona ſua conſiſtentia in quinque domibus, quas moriens reliquit duobus ſuis filiis Paulo & Andreæ. Facta pacifica diviſione hæreditatis Paulus ſolvit creditoribus dimidiam partem debitorum; cum autem Andreas non ſolveret alterum dimidium, creditores etiam pro hac parte debiti conveniunt Paulum. Num jure?

℞. Paulus omnino obligatur ad ſolvendum etiam alterum dimidium debitorum; ſic tamen, ut pro hujus ſolutione convenire poſſit Andream, eumque compellere ad compenſationem ſoluti. Ratio eſt; quia diviſio bonorum facta ab hæredibus non poteſt præjudicare creditoribus: ſicut enim ipſis hypothecata fuerunt bona indiviſim, ſic etiam illis obligantur hæredes in ſolidum. L. *Si neceſſarias.* 8. §. 2. ff. Lib. 13. Tit. 7. Item L. *Actio.* 2. Cod. Lib. 8. Tit. 23. Stricte loquendo non tam perſonæ debitores exiſtunt, quam ipſæ res hypothecatæ. *Pontas.*

CASUS X. Goſſelinus pro mutuo acceptis 2000. florenis Tiboldo hypothecarie oppignoravit ſua bona, & aquirit poſtea titulo hæreditatis duas domos cum prædio. Tiboldus quatuor aut quinque poſt annis Goſſelinum judicialiter perſequitur pro ſua ſolutione, & occupari facit omnia ejus bona. Opponit ſe Hubertus & prætendit, Goſſelinum obligaſſe Tiboldo *ſua bona*, non autem *omnia ſua bona*; & ideo ſolum illa bona intelligenda eſſe, quæ tempore initi contractus poſſediſſet Goſſelinus: addit inſuper, duas domos cum prædio ſibi pro 1000. Imperialibus mutuo datis hypothecatas fuiſſe, priusquam eas aquiſiiſſet Goſſelinus. Et ex hac ratione Tiboldo præferri poſtulat.

℞. Quando hypotheca non eſt particularis & reſtricta ad determinata bona nominatim expreſſa, cenſentur hypothecata omnia bona, præſentia & futura quocumque demum modo aquiſita; licet in contractu non contineantur hæc verba: *omnia*, vel *præſentia & futura bona.* L. *Et quæ.* 15. §. 1. ff. Lib. 20. Tit. 1. Hinc Tiboldus veram habet hypothecam in omnibus bonis Goſſelini. Hubertus tamen eſt ipſi præferendus ob hypothecam ſpecialem. *Pontas.*

CA-

CASUS XI. Methodorus Hyppolito ſuam hypothecavit domum pro 1000. florenis. Paulo poſt domus incendio periit, & Hyppolitus occupavit fundum & aream illi adjacentem ab incendio conſervatam. Alii autem creditores ſe opponunt afferentes, ſolam domum, non autem fundum & aream Hyppolito obligatam eſſe; adeoque deſtructa domo etiam hypothecam illius eſſe extinctam. Quid tenendum?

℞. Hyppolitus juſte occupat fundum & aream combuſtæ domui adjacentem; & quoad hoc præferri debet omnibus aliis creditoribus. Ratio eſt; quia hypotheca conſtituta in domo non ſolum ſe extendit ad fundum, in quo domus eſt conſtructa, ſed etiam ad materialia reſidua ex incendio, & ad aream tanquam partem domus & acceſſorium. *Domo pignori data*, ait L. *Domo*. 21. ff. Lib. 13. Tit. 7. *& area ejus tenebitur; eſt enim pars ejus. Et contra, jus ſoli ſequetur ædificium.* Addo, ſi combuſtæ domus loco conſtruatur nova, manere priorem hypothecam. Ex quo ſequitur, ſi domus cum ſua area mutetur in hortum, ſilvam, vineam, pratum aut agrum, fundum ſemper eſſe ſubjectum eidem hypothecæ, idque nulla obſtante quacumque demum mutatione. *Pontas.*

CASUS XII. Norbertus pro 1000. florenis hypothecavit Nicolao contractum 50. florenorum cenſus annui in Curia Pariſienſi conſtitutum & obligationem 1000 florenorum, quos ipſi debet Oliverius. Poſt annum Norbertus accipit aliud mutuum 1000. florenorum a Petro, in eumque transfert obligationem Oliverii, cui id Petrus inſinuat. Nicolaus re comperta proteſtatur, & agit contra Norbertum contendens, hanc tranſlationem eſſe fraudulentam & invalidam.

℞. Nicolaus poteſt quidem uti jure hypothecæ quoad contractum cenſualem 50. florenorum, non autem quoad obligationem 1000. Florenorum; cum hæc referatur inter mobilia, ſicut omnia alia debita perſonalia. Hinc abſque injuſtitia non poteſt judicialiter agere contra Norbertum. Hæc eſt praxis Galliæ. *Pontas.*

CASUS XIII. Guido pro 1000. florenis hypothecavit Publio prædium quotannis cenſum 1000. florenorum proferens. Illud ipſum poſtea obligavit pro 2000. florenis Sempronio priorem hypothecam ignoranti.

℞. Si valor prædii multum excedit duas hypothecas, non commiſit ſtellionatum; cujus ſe reum conſtituit, qui fundum creditori jam hypothecatum, alteri denuo obligat, quin priorem obligationem declaret. L. *Si quis*. 36. §. 1. ff. Lib. 13. Tit. 7. *Pontas.*

CA-

CASUS XIV. Barnabas 500. Imperiales mutuo accipiens a Benedicto, ipſi hypothecæ dedit ſilvam cæduam. Eandem poſtea pro æquali ſumma obligavit Baſilio tradita ſimul poſſeſſione, ut fructus inde perceptos deduceret in rationem cenſus. Duobus aut tribus poſt annis Benedictus petit ſolutionem ac uſum hypothecæ ſuæ, utpote Baſilii hypotheca anterioris. Aſt Baſilius ſe opponit exiſtimans, hypothecæ ſuæ ſimul cum poſſeſſione conjunctæ deberi prioritatem.

℞. Cum Benedictus habeat hypothecam anteriorem, præferendus eſt Baſilio juxta L. *Si decreto*. 2. Cod. Lib. 8. Tit. 18. *Cum de pignore utraque pars contendit, prævalet jure, qui prævenit tempore.* Quotieſcumque agitur de re immoli, ut eſt ſilva cædua, ſive debitor eam oppignoraverit ſecundo creditori, ſive abſolute alienaverit, primus creditor ſemper præfertur. *Pontas.*

CASUS XV. Aldradus iuvenis mercator debet Dydimo 1000. Imperiales, ſyngrapha deſuper coram Notario erecta. Hoc debito jam gravatus ducit Flaviam, quæ ipſi dotem attulit 5000. florenorum. Negotiatione tandem penitus collapſa moritur, nec in pecunia numerata relinquit ultra 1000. Imperiales. Hos Fiavia clam ſurripit in aliqualem compenſationem dotis.

℞. Abſque injuſtitia vidua non poteſt retinere hanc ſummam; ſed tenetur eam reſtituere Dydimo. Ratio eſt; quia uxor non habet hypothecam in bonis mariti, niſi a die initi contractus matrimonialis. Contractus autem matrimonialis eſt poſterior hypotheca Dydimi; quæ proin prævalet. *Pontas.*

CASUS XVI. Manfredus uno eodemque tempore hypothecat fundum æſtimatum 4000. florenis Gervaſio pro 4000. florenis & Protaſio pro 2000. florenis. Cum poſtea res Manfredi indies in pejus vergerent, ambo creditores ſolutionem quærunt ex fundo. Protaſius autem vult, ut dividatur fundus in duas æquales partes, & Gervaſius dividendum contendit juxta proportionem crediti.

℞. Juſta eſt petitio Gervaſii. L. *Si fundus*. 16. §. 8. ff. Lib. 20. Tit. 1. Aliud dicendum foret, ſi unus creditorum obtinuiſſet poſſeſſionem fundi: tunc enim præferendus eſſet poſſeſſor rei. L. *Si debitor*. 10. ff. Lib. 20. Tit. 1. *Pontas.*

CASUS XVII. Natalis Bartholomæo obligat domum pervetuſtam pro 1000. florenis; quæ cum poſt ſex menſes ruinam minitaretur, in ejusdem reparationes Bartholomæus 250. florenos expendit. Eadem autem domus ſequenti hyeme inundatione deſtructa eſt, & cum ea hypotheca annihilata.

ta. An nihilominus Natalis tenetur Bartholomæo reſtituere præter ſummam principalem etiam expenſas reparationis?

℟. Non eſt dubium, præter ſummam principalem etiam reſarciendos eſſe ſumptus reparationis. L. *Si neceſſarias*. 8. ff. Lib. 13. Tit. 7. Nec obſtat, quod domus reparata perierit; quia, etſi in ea Bartholomæus hypothecam habuerit, Natalis tamen ſemper manſit dominus ejusdem: res autem perit domino. *Pontas*.

CASUS XVIII. Maclufius pro 150. florenis mutuo datis Caſimiro hypothecam habet ſpecialem in duobus jugeris agri. Caſimirus hunc agrum legavit pro exſtruenda Eccleſia aut parando cœmeterio, & quidem cum conſenſu Maclufii hypothecæ ſuæ ſic renunciantis. Jam teſtamentum Caſimiri reperitur eſſe nullum una cum legato. Reditne Maclufius in hypothecam ſuam?

℟. Redit; prout & rediret in omni alio caſu, ubi alienatio facta cum conſenſu creditoris annullatur, aut quacumque demum ex cauſa effectui non datur juxta L. *Sicut*. 8. §. 6. ff. Lib. 20. Tit. 6. Ratio eſt; quia, dum Maclufius renunciavit hypothecæ in favorem alienationis a Caſimiro intentæ, non cenſetur voluiſſe renunciare pro caſu, quo hæc alienatio effectu ſit caritura.

CASUS XIX. Leufridus, cui Landericus pro 900. florenis hypothecam conſtituerat in prædio ſuo, duobus publicis inſtrumentis ut teſtis ſubſcripſit. Primum eſt contractus matrimonialis, in quo Landericus omnia ſua bona obligat in ſecuritatem dotis, quam daturus eſt filiæ ſuæ: alterum, quo idem prædium Joanni hypothecat cum declaratione, illud nemini adhuc eſſe hypothecatum. An non per has ſubſcriptiones cenſetur renunciaſſe juri ſuo hypothecario?

℟. Per ſubſcriptionem primi inſtrumenti Leufridus non amittit jus hypothecæ; amittit autem per ſubſcriptionem ſecundi. L. *Titius*. 9. §. 1. ff. Lib. 20. Tit. 6. Ratio eſt; quia Leufridi ſilentium malam fidem arguit, eumque complicem reddit fraudis, qua Landericus deluſit Joannem, qui non acceptaſſet hypothecam in prædio, ſi ſciviſſet, illud jam fuiſſe hypothecatum creditori anteriori. *Pontas*.

Vide *Pignus*.

JACTANTIA.

Juxta explicationem S. Thomæ poteſt *Jactantia* ſic definiri: *Jactantia eſt vitium, quo quis ſe effert ſupra id quod in ipſo eſt, vel ſupra id quod eſt in opinione hominum*. Cauſa & finis

finis hujus vitii ſunt occulta ſuperbia & amor proprius. Etiam Ethnicis exoſum fuit hoc vitium.

CASUS I. Duo Theologi ſecum diſputant de vera origine jactantiæ: defendit unus, quod origo jactantiæ ſit ſuperbia, alter vero, quod ejus origo ſit vanitas; primus propugnat ſuperbiam & jactantiam eſſe unam eandemque rem, negat alter.

℟. Ratio ſtat a parte poſterioris Theologi. Superbia, proprie loquendo, eſt amor deordinatus propriæ ſuæ excellentiæ, qua quis ſibimet ipſi perſuadet eſſe ſe meliorem & perfectiorem cæteris. Vanitas eſt filia natu major ſuperbiæ. Nihil eſt magis connaturale ei, qui ſemetipſum amat, quam velle, ut ab omnibus ſic æſtimetur uti ſe ipſum æſtimat; & præcipuus effectus vanitatis eſt jactantia, qua homo glorietur de omni eo, quod glorioſum videtur, vel quod æſtimari ab iis, quibuscum loquitur vel qui ipſum frequentant, novit, veluti de patria, unde natales traxit, de nobilitate, opibus, authoritate &c. vel de ſuis virtutibus, talentis, & ſic porro; ita ut vanitas, cujus jactantia effectus eſt, non ſit aliud, quam appetitus propriæ excellentiæ, & aliorum benevolentiam ſibi captandi pruritus; ſuperbia vero ſit ſecretior cordis motus, quo quis aliis meliorem ſe reputat, quin tamen vanitatis hujus affectationem apparere velit apud alios. *Pontas.*

CASUS II. Idem hi duo theologi moverunt quæſtionem, an homo ſemetipſum jactans poſſit interdum peccare mortaliter, an vero venialiter tantum peccet? & quomodo diſcerni poſſit, num mortaliter vel venialiter tantum delinquat?

℟. Juxta D. Thomam 2. 2. *q.* 112. *art.* 2. *in corp.* Jactantia in ſe ipſa conſiderata non eſt peccatum mortale, niſi adverſetur gloriæ ſoli Deo debitæ, & amori, quo ipſum complecti tenemur, vel quando deſtruit amorem proximi; extra hos duos caſus, qui ſunt valde rari, erit tantum veniale peccatum. Interim cum poſſit conſiderari relate ad ſuam cauſam, quæ eſt ſuperbia vel avaritia, peccaminoſa erit, ſi ſuperbia ad eum gradum malitiæ aſcendat, quæ ſit peccatum mortale; in aliis vero caſibus culpa non niſi venialis erit. *Pontas.*

NOTA. Non adeo rarum eſt, jactantiam eſſe peccatum mortale ratione effectus, vel ratione ſcandali, dum quis ſe jactat de actis aut dictis peccaminoſis, inductivis ad ſcelera, vel ad conſuetudines pravas graviter præjudicantes bono communi Eccleſiæ vel Reipublicæ, v. g. dum

dum quis ſe jactat de duello, blasphemia, ſeditione, contumelioſa tractatione parentum, Superiorum, defenſione abuſuum &c.

JEJUNIUM.

1. JEJUNIUM dividi poteſt in *naturale*, *ſpirituale*, & *Eccleſiaſticum*. NATURALE conſiſtit in abſtinentia ab omni prorſus cibo potuque a media nocte. SPIRITUALE proprie loquendo conſiſtit in eo, ut quis abſtineat a peccato, paſſiones ſuas refrœnet, & ſenſus ſuos moderetur. Jejunium vero ECCLESIASTICUM, de quo ſolo hic agitur, definitur *voluntaria victus abſtinentia ſecundum Eccleſiæ præſcriptum*. Per verba *victus abſtinentia* intelligitur obligatio, qua Chriſtiani tenentur abſtinere a certis quibusdam alimentis, ut *carne* & omnibus a carne provenientibus, & in quibusdam provinciis etiam ab ovis, butyro, & lacticiniis &c. Per eadem verba etiam intelligitur *unica refectio* in die, id eſt, a media nocte usque ad initium diei ſequentis. Conſtat, quænam fuerit antiqua Eccleſiæ conſuetudo quoad horam refectionis in die jejunii, & quousque indulgentiſſima hæc mater primævum rigorem mitigaverit. Obligatio jejunandi juxta D. Thomam incipit ab anno vigeſimo primo ætatis completo, attamen ratione ſenectutis aut ob alias graves & urgentes rationes quis eximi poteſt ab obligatione jejunandi. Interim Eccleſia neque quoad tempus, quo incipit obligatio jejunii, neque quoad tempus, quo ceſſat, certi quidpiam determinavit; dicendum tamen, tamdiu urgere hanc obligationem, quamdiu quis præceptum hoc adimplere poteſt.

2. In Conventu generali Cleri Gallicani 1700. ſequentes quatuor propoſitiones cenſura notatæ ſunt:

Propoſitio CXII. Frangens jejunium Eccleſiaſticum, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta, quia non vult ſe ſubiicere præcepto.

Propoſitio CXIII. In die jejunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

Propoſitio CXIV. Omnes, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii; & non opus eſt, ut certi ſint, an labor ipſorum compatibilis ſit cum jejunio.

Propoſitio CXV. Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, aut alio quocunque modo, & etiamſi iter non ſit neceſſarium, aut ſolum iter unius diei conficiant.

CEN-

CENSURA : *Doctrina his quatuor Propoſitionibus contenta eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, Eccleſiæ præceptorum negligentiam inducens, & legem jejunii pravis artibus eludens.*

CASUS I. SIXTUS annos ætatis habens octodecim, & Martinus novemdecim tempore Paſchæ confitentes a parocho ſuo, qui eos tempore Quadrageſimæ nunquam jejunaſſe comperezat, jubentur jejunare in futurum ſingulis diebus jejunii de præcepto. Tenenturne lege jejunii eccleſiaſtici ſub mortali, licet vigeſimum primum ætatis annum non compleverint?

℞. Juxta D. Thomam 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 1. nemo ad jejunandum obligatur ante annum ætatis vigeſimum primum completum; & hæc opinio videtur magis recepta. Aſt plures alii contendunt, hanc S. Doctoris opinionem non eſſe omnino certam: interim tamen Sixtus & Martinus, de quibus in hoc caſu ſermo eſt, non condemnandi ſunt peccati mortalis; conſultum tamen eſt, ut parochus illis conſulat quandoque jejunare, in quantum nimirum id illorum vires admittunt; quod prudentiæ docti conſcientiæ moderatoris relinquendum eſt. *Pontas.*

Nota. Si Confeſſarius advertit, adoleſcenti ob frequentem carnis lapſum neceſſarium eſſe jejunium, poteſt & debet id injungi. Ad vitandam aliorum ſuſpicionem licebit ipſi, ſe ad hoc obſtringere.

CASUS II. Romualdus anno ætatis ſuæ decimo ſeptimo emiſit vota ſolennia Profeſſionis in quodam Ordine reformato, Gratianus vero ejusdem ætatis in ordine non reformato. Tenenturne tempore Quadrageſimæ, & aliis diebus jejunii de præcepto jejunare ante annum vigeſimum primum ſuæ ætatis?

℞. Si iſtam obligationem Regula ſui Ordinis ipſis imponit, tenentur jejunare dictis diebus vi voti ſolennis a primo ſuæ Profeſſionis die. Ita docet Sylvius Reſol. var. v. vigil. concl. 2. Addit tamen 1. Regulam explicandam ad literam, ita ut, ſi tantum loquitur de jejunio quadrageſimali, eam non eſſe extendendam ad alia jejunia Vigiliarum & quatuor temporum. 2. In Ordinibus Religioſis, quorum regula nullius prorſus jejunii mentionem facit, nec quadrageſimalis, nec alterius eccleſiaſtici, profeſſos non obligari ad jejunandum, niſi completo anno ætatis vigeſimo primo. *Pontas.*

Nota. Statuta regularia non obligant in individuo ſub peccato, ſaltem niſi violentur paſſim, ac per interpretativum contemptum.

CASUS III. Marculfus profeſſus ordinis reformati ſæpe

non

non obſervat jejunium diebus a Regula præſcriptis, eoquod nondum annum ætatis decimum octavum attigerit.

℞. Peccat absque dubio non obſervando jejunium a regula, quam profitetur, præſcriptum. Ratio eſt, ut ait Sylvius l. c. concl. 4. quia per profeſſionem ſe obligavit ad præcepta regulæ, ac ſponte recepit legem in ea expreſſam. *Pontas.*

CASUS IV. Monica a duobus vel tribus menſibus gravida, & ipſius ſoror lactans ſuum infantem, tenenturne jejunare ſaltem aliquibus diebus Quadrageſimæ?

℞. SYLVIUS in 2. 2. q. 147. *art.* 4. *ante med.* cenſet, eas abſolute exemptas eſſe a præcepto jejunii; quia moraliter impoſſibile eſt, ut obſervando jejunium non inferant ſuæ proli notabilem difficultatem. *Pontas.*

Nota. Gravidæ poſt jam certa gravitationis ſigna, & lactantes ſunt excuſandæ.

CASUS V. Emericus adeo pauper eſt, ut oſtiatim mendicando victum quærere debeat. Poteſtne dici, illum teneri jejunare ſingulis diebus jejunii ab Eccleſia præſcriptis?

℞. S. THOMAS 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 4. dicit, pauperes, qui poſſunt habere, quod eis ſufficiat ad unam plenam refectionem, teneri lege jejunii, ſi vero id non habeant, eos non teneri. Concludendum igitur, Emericum non obligari ad jejunium. *Pontas.*

CASUS VI. Aſcanius cauſa negotiorum ſæpe tenetur Pariſiis Nannetum & in alias Regni urbes iter agere: Leontius vero operarius labore ſuo cogitur victum quærere. An ambo excuſantur a jejunio, prior nimirum diebus, quibus itineratur, & alter diebus, queis laborat?

℞. Si Aſcanius iter ſuum, & Leontius laborem differre non poſſunt, & notabilem defatigationem ſuſtinere debeant, excuſantur a jejunio juxta D. THOMAM 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3. Ratio, quam S. Doctor addit, eſt; quia intentio Eccleſiæ ſtatuentis jejunia non eſt eos obligandi, quos juſtæ ac graves cauſæ ab obſervatione præcepti impediunt. Verum ſi Aſcanius die jejunii ſine neceſſitate, & ſolum recreationis cauſa iter ageret, non excuſaretur a jejunio, quantacumque demum ſit defatigatio. Si denique iter inſtitueret ex motivo devotionis, aut comprehenſus in itinere ob viæ difficultatem jejunare non poſſet, juxta eundem S. Thomam in 4. diſt. 15. q. 3. art. 2. a legitimo Superiore faciliter obtineretur diſpenſatio ab obligatione jejunandi. *Pontas.*

Nota. In hac re pro generali regula præſupponendum, nec Apoſtolos, nec eorum ſucceſſores noviter converſis ex Gentiliſmo impoſuiſſe ullam legem jejunii. Quia autem converſi ex Judaiſmo priſtinam ſuam jejunandi conſuetudinem pro lege retinuerant, etiam converſi

ex Gentibus ſenſim eum morem, quamvis diverſiſſimis modis æmulati ſunt; donec generali conſuetudine ſtabilita, ut in aliis conſuevit, Eccleſia eam in legem evexerit. Verſamur ergo in lege originaliter conſuetudinaria; in qua variationi, moderationi, & Epikiæ facilior locus eſt.

CASUS VII. Gildas prima die Februarii Pariſiis in aliam profectus Provinciam, in qua deinceps commorari cogitat, reperit, ibi in vigilia S. Mathiæ jejunium obſervari; ipſe tamen ſe ad illud teneri non credit, quia in iſta Provincia iſtud jejunium ſolum per conſuetudinem particularem introductum eſt, & de obligatione nullum exſtat Decretum Ordinarii diœceſani.

℞. Introductæ pro loco & tempore Eccleſiarum conſuetudines inviolabiliter obſervandæ ſunt, ſi ſacris Canonibus non adverſantur, ut dicit Gratianus ex Leone IX. & Nicolao I. in Can. *Scit ſancta*. 3. diſt. 12. Gildas ergo conformare ſe debet conſuetudini loci; cum magis ſit meritorium in vigilia Apoſtoli jejunare, quam non jejunare, & dicta conſuetudo non repugnet ſacris Canonibus. *Pontas.*

CASUS VIII. Frobertus vinitor nec uxorem nec liberos alendos habens facile jejunare poſſet, cum absque magna defatigatione neceſſaria ad ſufficientem refectionem lucrari poſſit, ſi duntaxat per dimidium diem laboret; aſt quia dimidium mercedis diurnæ non vult amittere, per totum diem laborat, quo fit, ut jejunare non poſſit. Excuſaturne a peccato.

℞. Juxta Alexandrum de Ales part. 4. q. 102. art 2. non excuſatur Frobertus a lege jejunii. Ratio eſt; quia ſine neceſſitate ex ſolo motivo lucri per totum diem laborat, cum tamen ſolum per dimidium laborando jejunare poſſet. *Pontas.*

Nota. Hic caſus in operario ſane eſt de raro contingenti; & licite ejusmodi conditionis homines, dum occaſio eſt, ſibi proſpiciunt etiam de futuro. Hinc rigor Pontaſii hac in re videtur nimius; maxime eum longe alia modo quoad hoc punctum in praxi obſervetur diſciplina Eccleſiæ.

CASUS IX. Rollandus operarius ad ſuam ſuæque familiæ ſuſtentationem quotidie laborare cogitur; & ipſius labor eſt durus, ita, ut non poſſit jejunare. Accidit tamen quandoque, ut diebus jejunii ob tempeſtatis intemperiem laborare non poſſit.

℞. SYLVIUS in 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. ſub med. cenſet, quod communiter loquendo ejusmodi perſonæ dictis diebus non excuſentur a lege jejunii. Interim tamen generaliter certum

certum quid in iſta materia definiri non poteſt, uti idem Sylvius annotat. Confeſſarii prudentis judicio igitur relinquendum eſt, quid decidendum in tali caſu, poſtquam examinaverit 1. Quousque ejusmodi homines ex labore præcedenti defatigati fuerint, & utrum jejunando vires pro ſequenti labore defecturæ haud ſint. 2. Quo nutrimenti genere utantur, & utrum eorum modus vivendi ob debilitatem alimenti etiam ad ſatietatem usque ſumpti non ſit quoddam genus perpetui jejunii. *Pontas.*

Nota. Ruſtici, aliique operarii cum familiis ſuis, utpote valde arduis vix non ſemper laboribus detenti, etiam diebus a labore vacuis non ſunt obligandi ad jejunandum; tum quia vires conſervandæ in tempus laborum futurorum; tum quia, etſi in caſu particulari quandoque ceſſaret exemptionis ratio, lex debet eſſe uniformis pro omnibus membris individuæ communitatis ac determinati ſtatus; & ubi ceſſat ratio vel obſervantia legis in majori parte communitatis vel ſtatus, ceſſat pro omnibus.

CASUS X. Evander uxorem & liberos alendos habens, in Quadrageſima opus quoddam aggreditur, quod ſervando etiam jejunium perficere poſſet; ait, cum non ſervato jejunio magis poſſit incumbere ad perficiendum opus, majusque exinde lucrum aquirere, non jejunat. Poteſtne tuta conſcientia excuſari a lege jejunii?

℟. Motivum majoris lucri aquirendi, ſi eo reapſe non indiget, non eſt legitima excuſatio a præcepto jejunii, ut ait D. Thomas in 4. diſt. 15. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 4. ad 3. Si autem Evander prævideret, neceſſitatibus ſuis & familiæ ſuæ poſt Quadrageſimam haud ſatis conſultum iri, poſſet ferventius inſtare labori, ceſſante tunc obligatione jejunandi. *Pontas.*

Nota. In opificibus cujusvis artis inſpicienda eſt obſervantia plurium ut in priori caſu. Quod ſi obſervantia ſit dubia, ſervire debent principia generalia per decurſum hujus articuli tradita. Interim certum eſt, quod reſpicere liceat in neceſſitates ſuas & familiæ non ſolum præſentes, ſed etiam futuras. Labori proin ordinario ſui ſtatus ac conditionis, etiam excuſanti a lege jejunii, opifici, etſi non indigenti, inſudare licet.

CASUS XI. Germanicus tempore Quadrageſimæ exſtructurus domum viginti conducit operarios, quibus mercedem diurnam conſtituit dimidium florenum hac conditione, ut non jejunent, ſicque ad laborem magis expediti breviori temporis ſpatio ſtructuram domus perſolvere poſſint. An reum ſe facit peccati, quod ii fors commiſſuri ſunt, qui poſſent jejunare?

 ℟. Si

℞. Si dicti operarii arduitate laboris ſui non excuſentur a jejunio, & propter ætatem competentem ad id obligentur, Germanicus juxta S. Thomam l. c. quæſtiunc. 4. certe ſe reum facit peccati alieni; ſaltem niſi gravem ac rationabilem habeat rationem urgendi & accellerandi laborem. *Pontas.*

Nota. Operarios liberaliori mercede excitare licet ad alacriorem laborem. Obligatio dein vel deobligatio a lege jejunii relinquenda eſt operariorum conſcientiæ.

CASUS XII. Fulgentius quandoque bibit extra tempus refectionis die jejunii, & hoc ad ſuas vires reficiendas, frangitne jejunium? aut frangeret illud, ſi ſæpius in tali die biberet?

℞. Juxta D. THOMAM Fulgentius jejunium non fregit. *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 4. *ad quæſt.* 1. *ad* 1. S. Doctor tamen obſervat; ſi biberet cum exceſſu, poſſe illum peccare, & meritum jejunii perdere, uti illud etiam perderet, ſi *immoderate* in unica refectione cibum ſumat. Addendum etiam; quod, ſi abſque exigentia naturæ ex mera guloſitate frequenter adhibito ad ſingulos hauſtus bolo panis biberet, jejunium frangeret. *Pontas.*

CASUS XIII. Eutropius in Quadrageſima prandium ſumit hora decima, & veſpere collationem modicam hora ſeptima. Confeſſarius illum propterea reprehendit, quod nimirum abſque legitima cauſa prævenerit tempus refectionis conſuetum, utpote juxta conſuetudinem hodiernam Eccleſiæ generalem circa meridiem ſumendæ. Eutropius vero opponit, ſe unicam ſumpſiſſe refectionem, & tempus, quo ſumatur, non eſſe de eſſentia jejunii; cum a tempore Apoſtolorum usque in præſens hora refectionis fuerit varia.

℞. Rationes Eutropii non ſunt ſufficientes, ut illum a peccato excuſare poſſint; ad ſervandum jejunium enim non ſolum requiritur, ut unica duntaxat fiat refectio, ſed etiam ut hæc fiat hora præſcripta. Varia hac de re variis temporibus edita ſunt decreta & conſtitutiones Eccleſiæ. Hora diebus jejunii ſumendi refectionem per conſuetudinem Eccleſiæ introducta eſt circiter undecima; idque etiam non niſi ex ſingulari ac ſumma Eccleſiæ indulgentia, cum primis octo ſæculis primum tempore veſpertino permiſſa eſſet refectio. *Pontas.*

CASUS XIV. Candidus frequenter in quadrageſima aliquot poſt refectionem horis ſumit potionem mixtam ad digerendos citius cibos. Frangitne jejunium, ſi potio iſta ſit v. g. *chocolata*, aqua hordeacea, aut alia ejusmodi?

CA-

℞. Certum eſt juxta S. Thomam 2. 2. q. 147. art. 6. ad 3. quod Candidus jejunium frangat, ſi potionem iſtam ſumat in notabili quantitate, aut ſi modica quidem ſit portio, illam tamen in fraudem jejunii ſumat. Quod *chocolatam* attinet, S. Doctor eam haud dubie diſtinxiſſet ab aliis electuariis, ſi ea ipſius tempore in uſu fuiſſet; quia magis nutrit quam potus *Cafée* aut *Thée*, aquæ hordeaceæ ac ſalviæ. *Pontas*

Nota. Etiam cereviſia hordeacea eſt bonæ conditionis ac ſubſtantioſa optime, nec tamen cenſetur prohibita. Id certum eſt, limites legis eccleſiaſticæ de jejunio exacte conſtitutos in una juſta refectione. Qui autem fines Eccleſiæ ſanctiſſimos eludere volunt variis modis, relinquantur Tribunali inquiſitionis divinæ.

CASUS XV. Manlius homo valde zeloſus quandoque rigoroſo nimis jejunio in eum ſe ſtatum redigit, ut ſatisfacere haud poſſit obligationibus vocationis ſuæ. Num peccat in hoc?

℞. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 147. art. 1. ad 2. ejusmodi jejunium indiſcretum potius habet rationem peccati quam meriti. Sic peccaret utique Confeſſarius, Concionator, aut quivis alius, cujus miniſterium cum exceſſiva abſtinentia incompatibile eſt, ſi contra rectam rationem rigoroſo nimis jejunio ad munia ſtatus ſui inhabilem ſe redderet: præferret enim, ut D. Hieronymus loquitur, jejunium charitati proximo debitæ. *Pontas.*

CASUS XVI. Auguſtinus ſexagenarius nullum amplius obſervat jejunium; eoquod audierit, neminem, qui hanc ætatem attigerit, teneri lege jejunii, etſi optima uteretur valetudine.

℞. Non eſt determinata ætas, qua deſinit obligatio jejunandi. S. Thomas ipſe nihil circa hoc ſtatuit. Conſequenter cujuscumque ætatis quis ſit, tenetur jejunare, ſi ſatis virium habet ad jejunandum; & hæ vires cuilibet examinandæ ſunt ſine adulatione & affectu amoris proprii. Ætas ergo Auguſtinum non eximit a peccato, ſi non jejunet, cum tamen vires ſufficientes ipſi ſint ad perferendam legem jejunii. *Pontas.*

Nota. Regula jejunii certa ac ſecuriſſima tam juvenibus annum ætatis vigeſimum primum necdum attingentibus, quam ſenibus ſexageſſimum jam egreſſis hæc eſſe poterit ac debebit, quam tradunt S. Hieronymus & S. Leo Papa. Ille in Epiſtola ad Nepotianum ſic ſcribit: *Tantum tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes.* Hic vero Serm. 3. de jejunio ſeptimi menſis ait: *Amplectamur beatam vitam ſacratiſſimæ unitatis, & ſolemne jejunium concordante propoſito bonæ voluntatis ineamus. Nihil a quoquam arduum,*

nihil aſperum quæritur; nec aliquid, quod vires noſtras excedit, indicitur ſive in abſtinentiæ caſtigatione, ſive in eleemoſynæ largitate. Sciant ſinguli, quid poſſint, quidve non poſſint; ipſi juſta & rationabili taxatione ſe cenſeant. - - Ea vos regula generaliter cohortamur, ut mandatum Dei ſecundum poſſibilitatis veſtræ menſuram operemini.

CASUS XVII. Collatiuncula, quæ noſtro tempore veſpere adhibetur, per abuſum introducta eſt, & ab Eccleſia nunquam approbata fuit. An illa utens immunis eſt a peccato?

℟. Cum Eccleſia illam tolerat, cenſetur, eam ſaltem tacite approbaſſe. Hinc ſumentes talem collatiunculam veſpere non condemnari debent alicujus peccati. *Pontas.*

CASUS XVIII. Leonardo in collatiuncula quoſdam piſciculos frixos edenti movetur ſcrupulus ab aliis; quibus tamen reſpondet, ſe non peccare, cum modicam faciat cœnam, & in quantitate non excedat; ob qualitatem autem ſe peccati reum fieri, haud eſſe veroſimile.

℟. Collatiuncula olim in Eccleſia prorſus incognita, primo non niſi in potu aquæ conſiſtebat; ſucceſſu temporis facta relaxatione ſemper plus ventri indultum, & ſumebantur in exigua portione fructus, ac demum modicum panis. Hoc ſuppoſito dicendum, Leonardum tolerantia Eccleſiæ fuiſſe abuſum, & ſine peccato ad collationem veſci haud potuiſſe piſciculis. *Pontas.*

Nota. Non licet veſci piſcibus ad Collationem ex motivo gulæ, aut in quantitate juſto majore; licet tamen ex cauſa rationabili, prout & uſus jam obtinuit in Germania. Quod attinet quantitatem, tantum cuivis permiſſum eſſe cenſetur, quantum ipſi neceſſarium eſt ad tuendam valetudinem & obeundas functiones ſtatus ac vocationis ſuæ.

CASUS XIX. Gobartus caupo plures ſubin domi ſuæ excipit hoſpites, qui diebus jejunii cœnam ſibi parari petunt; quam & parat, licet perbene ſciens, eos teneri ad jejunium, idque ſolum ab iis non curari propter modicum Religionis; neque Gobartus in eo ſe peccare exiſtimat ex his rationibus: 1. Quia ſibi alibi cœnam procuraturi eſſent, ſicque hoſpites ipſe amitteret, & media ſuſtentationis pro ſua familia. 2. Quia & alii caupones petentibus absque ſcrupulo cœnam inſtruunt. 3. Quia unica tantum menſa paratur, cui frequenter aſſident alii, qui lege jejunii non ſtringuntur.

℟. Rationes iſtæ Gobartum a peccato non excuſant: non enim licet mediante peccato ſuam quærere ſuſtentationem; nec etiam ſequi licet pravum exemplum aliorum ejuſdem ſecum conditionis. Et hæc eſt doctrina D. Pauli Rom. 1. v. 32. dicen-

dicentis : *Qui talia agunt ; digni ſunt morte ; & non ſolum qui ea faciunt , ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Pontas.*

Nota. Ejusmodi caupo tenetur ab Epiſcopo petere generalem ac oſtenſibilem declarationem , cui ſe conformet. Si annuat Epiſcopus, ſingulis poſtulantibus cœnam eibi parari poſſent, in menſa ſeparata *Diſpenſatorum* , ubi affigenda *Declaratio* Epiſcopi & proteſtatio cauponis.

CASUS XX. Teneturne paterfamilias liberos ſuos adſtringere ad jejunandum ?

℟. Tenetur , ſi liberi vigeſimum primum ætatis annum compleverunt , & ſufficientes ipſis vires ſuppetant. Idem dicendum de famulis domeſticis ; niſi a lege jejunii aliunde excuſentur. *Fromageau.*

CASUS XXI. Qualis requiritur ætas , ut quis teneatur jejunare ; & qualis , ut deobligetur a jejunio ?

℟. Ad jejunium tenetur ille , qui vigeſimum primum ætatis annum complevit ; de anno autem ætatis , quo iſta obligatio ceſſat , non conveniunt Theologi. Senex annorum 78. , qui adhuc ſanus & vegetus eſt , tenetur jejunare. Dantur tamen aliqui certæ ætatis homines , qui medicos propterea conſulere debent , aſt absque adulatione. Juniores autem , qui nondum ad legem jejunii obligantur , optime facient , ſi ſe ſæpius exerceant in jejunio , in quantum nimirum per vires licet. *Fromageau.*

Nota. Semper præ oculis habenda quoad hoc regula , quæ ad caſ. 16. ex SS. Hieronymo & Leone tradita fuit ; tantum ſcilicet cuivis abſtinendum , tantum cuivis indulgendum , quantum cujuslibet vires ad obeundas decenter functiones admittunt vel petunt.

CASUS XXII. Concionator quidam in regionem montanam miſſus de jejunio magno cum zelo concionem habuit. Parochus , apud quem prandium ſumit , nihil aliud ipſi apponit quam placentam e caſtaneis præparatam , affirmans , alias dapes in regione iſta non dari. Altero die Concionator publice revocat , & nihil hæſitans dicit , incolas hujus regionis montanæ eſſe exemptos a lege jejunii.

℟. Bene egit parochus , dum Concionatorem hac agendi ratione edocuit , non tam rigoroſe de jejunio eſſe concionandum coram populo montanæ regionis , cui præter caſtaneas vix aliud ordinarie alimentum eſſet. Concionator vero peſſime egit , dum auditores ſuos generatim a lege jejunii deobligavit ; cum ſaltem aliqui inter eos reperirentur , quibus alia ſuppeterent alimenta , & ad jejunium tenerentur. C. B.

CAdSUS XXIII. Ruſticus aſſuetus arduis laboribus die quodam jejunii, quo contingenter a labore vacabat, non jejunavit.

℟. Non tenebatur jejunare: nam ratio & æquitas exigit, ut vires ex labore præcedentis diei debilitatas non nihil reficiat, & ad labores ſecuturos magis ſe habilem reddat. Aliud dicendum foret, ſi pluribus diebus continuis non laboraret. C. D. *Vide* Caſ. 9.

CASUS XXIV. Mater quædam ſatis robuſta, & abunde habens, quo ſemel de die frugaliter reficiatur, non jejunat; eo quod lactare debeat infantem; etſi experientia didicerit, ſe ex jejunio in hiſce etiam circumſtantiis nullum unquam ſenſiſſe incommodum.

℟. Cum omnes mulieres infantes ſuos lactantes generaliter ſint exemptæ a lege jejunii, nec aliud de præfata matre ſentiendum eſt. C. B. *Vide* Caſ. 4.

CASUS XXV. Titius venatum iturus die jejunii prævidet, ſe ob defatigationem non jejunare poſſe; quærit igitur parochum, an poſſit venatum ire cum diſpendio jejunii.

℟. Parochus reſpondere debet, illum id facere non poſſe; quia non licet voluntarie & ſine neceſſitate ſe exponere impotentiæ implendi præceptum jejunii.

CASUS XXVI. Cajus inſtante quadrageſima dubitat, utrum annum ætatis vigeſimum primum jam attigerit, nec adhibita etiam omni indagatione certi quidpiam comperit.

℟. Non tenetur jejunare; quia nemo obligatur lege, niſi hæc ſit ſufficienter propoſita; non eſt autem ſufficienter propoſita, quamdiu adhibito omni ſtudio aquirendi certitudinem adhuc manet dubia exiſtentia legis. Non ergo in hoc caſu datur obligatio jejunandi. C. B.

Nota. Hæc reſponſio ex putrido fætentis jam Probabilismi fonte hauſta & ipſa foetet. Dicendum ex ſanioris Theologiæ principiis, quando lex eſt certa, & obligatio ad legem ſtricte dubia, legem omnino eſſe adimplendam; & conſequenter Cajum teneri ad jejunium, niſi ex alia ratione poſſit eximi. Adverte hic, quod juxta S. Thomam & communem Theologorum doctrinam, quando ætati viginti unius annorum tantum deſunt aliquot dies aut aliquot ſeptimanæ, non detur exemptio a lege jejunandi, ſaltem per integram quadrageſimam.

CASUS XXVII. Titius nocte diem cinerum intercipiente manducat usque ad duodecimam, quam horologium quoddam reliquis omnibus ſemihora tardius indicabat.

℟. Si horologium iſtud numeratur inter præcipua loci horologia, quod plures alii pro regula & menſura temporis aſſu-

aſſumunt, & Titius alias etiam conſulere conſuevit, non violavit legem jejunii. Si autem prædictum horologium alias a nemine attenditur, præſumendum eſt, illud non eſſe exactum, male dirigi, aut inordinato motu agi, & conſequenter ſæpius fallere; & hunc ducem Titius ſequendo aberravit a via, & inter violatores legis delapſus eſt. C. B.

Nota. Et ipſe caſus, & reſponſio videntur ludere cum præcepto jejunii. Ipſa hæc ſordida avaritia, propudioſumque ſtudium Deo & Eccleſiæ nec hilo plus dandi, ac abſolute debetur, peccatum jam eſt. Si pereas, ſive te perimat contemptus legis naturalis ac divinæ prohibentis gulam, ſive legis eccleſiaſticæ præcipientis jejunium, perinde eſt.

CASUS XXVIII. Paulus una hora poſt ortum ſolis manducat de pane & piſce ſex uncias; quin ipſi in mentem venerit, eſſe diem Mercurii quatuor temporum.

℞. Tenetur adhuc jejunare; quia inverſio temporis quoad refectionem non eſt contra ſubſtantiam jejunii, & evidens eſt, quod eo die adhuc poſſit jejunare: jam ſi poteſt, tenetur. Sic comeſtio matutina locum obtinebit Collatiunculæ, & refectionem, qua alias uſus fuiſſet in prandio, differet ad tempus, quo cœnare ſolebat. C. B.

CASUS XXIX. Quædam gravida mulier gravibus tentationibus contra caſtitatem agitata ſcit ab experientia, has tentationes ſe facile ſuperare poſſe jejunio, quo non ſervato illis ſæpe jam ſuccumbebat. Teneturne jejunare, poſito etiam, quod ipſius jejunium ſit nociturum proli?

℞. Non tenetur jejunare; quia nunquam ad procurandum bonum facere licet malum. Jam alia dantur media, quæ adhibere poteſt ad reſiſtendum tentationibus, quibus agitatur. Imo ſi jejunium unicum eſſet medium, quo liberari poſſit a tentationibus, non tamen teneretur jejunare; quia non eſt peccatum tentationibus agitari, nec etiam occaſio peccandi de ſe jam eſt peccatum, niſi voluntarie quæratur: e contrario autem in caſu, quo jejunium noceret proli, ut ſupponitur, jejunium de ſe eſſet peccatum. C. B.

CASUS XXX. Evagrius in die jejunii moroſe delectatur de heſterno eſu carnium, quas mente revolvit.

℞. Non peccat contra præceptum jejunii; quia in die jejunii non interior de eſu carnium delectatio mente percepta, ſed tantum externa ac corporalis carnium manducatio, & quidem non jure naturæ, ſed poſitiva Eccleſiæ lege prohibita eſt. Hinc Evagrius venialiter fors peccavit cum complacentia immorando ejuſmodi cogitationibus vanis ac inu-

tilibus ; inſiſtendo tamen verbis propoſiti caſus non peccavit contra præceptum Eccleſiæ. C. B.

Nota. Non licet *fovere* pravam inclinationem etiam contra præceptum Eccleſiæ, quamvis eam duntaxat ſentire non ſit peccatum. Hoc tamen eſt diſcrimen circa complacentias de objecto libidinoſo & guloſo, quod fovere inclinationem in libidinoſa habeat plus periculi, quam circa guloſa. Illa ſunt iure naturali prohibita, & occaſio peccandi ſemper eſt præſens : iſta autem lege ſolum humana jejunii ſunt prohibita, & eorum occaſio non ſemper adeſt.

IGNORANTIA.

In Reſolutione primi Caſus reperietur definitio, & diviſio ignorantiæ ; in eadem reſolutione, uti & in reſponſione ad 2dum Caſum dabuntur præcipuæ de hac materia regulæ.

CASUS I. Evidius ex lectione Authoris cujusdam agnovit, ſe jam ſæpius aliquid ex ignorantia feciſſe, quod peccatum mortale eſt ſcientibus. Anne peccavit ? aut an ignorantia illum coram Deo a peccato excuſat ? v. g. ignorabat mollitiem eſſe peccatum mortale, & hanc ab anno decimo ſeptimo usque ad vigeſimum ætatis ſuæ ſæpius commiſit; quamprimum autem agnovit, id eſſe peccatum mortale, abſtinuit ita, ut non amplius lapſus ſit. An toties mortaliter peccavit, quoties talem actum exercuit ?

℞. Ignorantia juxta D. Thomam 1. 2. q. 76. art. 1. C. *importat ſcientiæ privationem, dum ſcilicet alicui deeſt ſcientia eorum, quæ aptus natus eſt ſcire.* Alia eſt ignorantia juris, & alia ignorantia facti. *Ignorantia juris* eſt, quando quis ignorat legem præcipientem vel prohibentem quidpiam. *Ignorantia facti* eſt, dum quidem ſcitur lex, neſcitur tamen, an hæc vel illa actio ſit contra legem. Hæc duplex ignorantia hujus articuli objectum eſt. Ignorantia facti ulterius dividitur in antecedentem, concomitantem & ſubſequentem. *Antecedens* eſt, quæ dat cauſam actui, v. g. quando venator exiſtimans, ſe occidere feram, contra ſuam intentionem ac nolens occidit hominem. *Concomitans* eſt, quæ non quidem dat cauſam actioni, eam tamen concomitatur, v. g. quando venator exiſtimans, ſe occidere feram, occidit inimicum ſuum, quem ſi noſſet, nihilominus occidiſſet. *Subſequens* eſt, quæ ſequitur ex actu voluntatis præterito ; idque vel directe, dum ignorantia eſt affectata ; vel indirecte, dum procedit ex præcedenti paſſione, quam quis neglexit reprimere. Denique alia ignorantia dicitur vincibilis, alia invincibilis. *Vincibilis* eſt, quam quis poteſt & tenetur deponere. *Invincibilis* eſt, quam quis

vel

vel non poteſt deponere nec directe nec indirecte, aut quam quis non tenetur deponere. Ignorantia vincibilis vocatur *Craſſa* & *Supina*, quando quis per negligentiam culpabilem id ignorat, quod tenetur ſcire; *affectata* autem & *voluntaria* dicitur, quando quis ſtudioſe vult ignorare legem, ne teneatur eam ſervare, ſi ſciret. His prænotatis, quamvis proprie loquendo Ignorantia ſit effectus peccati originalis, eſt tamen etiam ipſa tunc peccatum, quando verſatur circa ea, quæ quis tenetur & poteſt ſcire. Ex quo ſequitur, quod Evidius, etſi per Ignorantiam egerit contra legem Dei prohibentis mollitiem juxta Apoſtolum 1. Cor. 6. 10. *neque molles regnum Dei poſſidebunt*, certe peccaverit, non tamen adeo graviter, ac ſi ſciens legem peccaſſet. Dicitur: *non adeo graviter*; quia ignorantia licet craſſa, dummodo non ſit affectata, diminuit peccatum, dum id facit minus voluntarium. Quia tamen eſt adhuc ſufficienter voluntaria, eo quod potuiſſet deponi per diligentem inquiſitionem veritatis, non caret actio peccato. Ex quo evidens eſt, Evidium in præſenti caſu non poſſe excuſari a peccato mortali ob ignorantiam, quam a decimo ſeptimo ætatis anno ad vigeſimum uſque habuit, eumque toties peccaſſe, quoties in mollitiem lapſus eſt. *Pontas.*

Nota. Hæ notiones terminorum non ſunt admodum exactæ. Sic 1. non omnis ignorantia *vinſibilis* eſt *craſſa & ſupina*, aut omnino *affectata*: datur enim ignorantia vincibilis ex levi ſolum negligentia procedens circa id, quod diligentiori inquiſitione abſolute potuiſſet ſcire, quæ tamen ignorantia nec craſſa vel ſupina eſt, nec affectata. 2. Non ſola *ignorantia facti* in antecedentem, concomitantem & ſubſequentem dividitur; etiam *ignorantia juris* ſic debet dividi.

CASUS II. An non poteſt dici, Evidium, in poſito caſu violaſſe jus naturale ex ignorantia invincibili, quæ ſemper excuſat a peccato?

℞. Diſtinguendum eſt inter principia generalia legis naturalis, & inter concluſiones, quæ primum deducuntur ex principiis generalibus. Ipſa prima principia legis naturalis non poſſunt invincibiliter ignorari ab adulto rationis compote; concluſiones autem remotiores, quæ ex illis primis principiis deducuntur, poſſunt ignorari invincibiliter. Obſervandum præterea, præcepta legis naturalis a pluribus Theologis diſtingui in tres claſſes: in prima veniunt præcepta decalogi primæ tabulæ, quæ pertinent ad cultum Dei; in ſecunda claſſe ſunt præcepta decalogi ſecundæ tabulæ, quæ concernunt proximum; in tertia denique claſſe ponunt conclu-

concluſiones ex iſtis præceptis deductas. Iidem Theologi docent, circa primam & ſecundam claſſem præceptorum non poſſe dari ignorantiam invincibilem; concluſiones vero remote ſolum ex iis deductas invincibiliter, & conſequenter abſque peccato ignorari poſſe. Et hæc diſtinctio fundatur in doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 94. art. 6. C. His præſuppoſitis dicendum, quod, ſi Evidius violet legem naturalem in ſuis primis principiis, non valeat excuſari a peccato, cum ea invincibiliter ignorare haud potuerit. Idem dicendum de concluſionibus *proxime* ac *immediate* deductis ex primis principiis; nam & earum ignorantia haud minus impoſſibilis eſt quam ipſorum principiorum primorum, ex quibus facillime eruuntur. Aſt ſi Evidius legem naturalem ſolum violet in concluſionibus *remote* deductis ex primis principiis & ipſius ignorantia ſit invincibilis, excuſandus eſt a peccato. *Pontas.*

Nota. Quæ hic dicuntur, vera quidem ſunt; ſed non concordant cum dictis ad primum caſum: cum enim lex de vitanda mollitie non pertineat ad prima principia legis naturalis, ſed ad eam agnoſcendam opus ſit diſcurſu, quomodo ſtatim ignorantia hujus legis poteſt condemnari peccati mortalis? Et poſito etiam, quod aliqua negligentia in inquirendo intervenerit, quis hominum eſt Deus, ut ſciat, eam conſideratis omnibus fuiſſe gravem? Dein ignorantia hujus legis ſaltem aliquamdiu potuit eſſe invincibilis; ſed quamdiu talis fuerit, ſcrutari pertinet ad judicia Dei.

CASUS III. Trophimus Doctor Theologiæ magnæ exiſtimationis & parochus in concione propoſuit doctrinam fidei catholicæ contrariam. Parochiani plerumque rudes & ignorantes eam amplexati ſunt ut dogma orthodoxum. An coram Deo a peccato excuſantur propter ignorantiam? Num idem dicendum, ſi falſam hanc doctrinam ipſis propoſuiſſet Epiſcopus?

℞. Dicendum, dictos parochianos excuſari *a tanto*; certum tamen eſt, eos non excuſari *a toto*, id eſt, eorum ignorantia diminuit gravitatem peccati, non tamen ab omni peccato immunes ſunt coram Deo. Habitus fidei juxta D. Thomam in 3. ſent. diſt. 25. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. ad 3. ſemper inſpirat animi ſenſus propoſitæ falſitati adverſantes, & unctio S. Spiritus nec ulli fidelium unquam deeſt in iis, quæ ſalutem concernunt. Si hoc D. Thomæ principium non eſſet certum, dici plane deberet, eos, qui olim amplexi ſunt doctrinam Lutheri & Calvini, coram Deo fuiſſe excuſabiles, ſicut & diœceſanos Ullarenſes falſam doctrinam Epiſcopi ſui hæretici ſectantes. *Pontas.*

Nota.

Nota, Diſtinguendum erat inter articulos creditu neceſſarios *neceſſitate medii*, & *neceſſitate præcepti*. Quis autem tam iniquus ſit, ut neget, circa poſterioris generis articulos invincibiliter non ſolum *ignorantiam*, ſed etiam *poſitivum errorem* haberi poſſe? Debuiſſet attendi propoſitio ab Alexandro VIII. anno 1690. damnata: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ* (idem dicendum de articulis ſcitu neceſſariis neceſſitate præcepti) *hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.*

CASUS IV. Probus profeſſor Theologiæ moralis erroneam diſcipulos ſuos docuit propoſitionem de Uſuris. Diſcipuli Magiſtri doctrinam ſecuti eam in praxin redegerunt, penitus perſuaſi, illam eſſe veram, aut ſaltem probabilem. Num peccarunt?

℞. Non poſſunt excuſari a peccato, ſi iſta erronea doctrina concernat fidem aut bonos mores, niſi invincibili laboraverint ignorantia; quod tamen moraliter impoſſibile videtur, ſi in provincia degant, ubi notum eſt, ſaniorem doctrinam adverſari doctrinæ hujus profeſſoris. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Thomas, dum Quodl. 3. art. 10. C. dicit: *Qui aſſentit opinioni alicujus magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publice tenetur ſecundum Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari. Pontas.*

Nota. Ampliſſimum diſcrimen eſt inter perſuaſionem de *veritate doctrinæ* & perſuaſionem de *probabilitate doctrinæ*; quod tamen in caſu videtur pro eodem ſumi. Cæterum recte obſervat Author, eos inexcuſabiles fore in judicio divino, qui ſequuntur opinionem laxiorem unius Doctoris contra doctrinam aliorum provinciæ Doctorum notorie ſaniorem.

Vide *Conſcientia. Suſpenſio* Caſ. 4.

ILLEGITIMUS.

1. Cum verbi hujus, *Illegitimus*, ſignificatio latius pateat quam verbi *Spurius* aut *nothus*, & varias illegitimo toro natorum ſpecies comprehendat, id articulo huic præfigendum duximus.

2. In genere nomine illegitimorum veniunt omnes, qui non ſunt nati ex legitimo matrimonio; in ſenſu vero proprio ac naturali ſolum ii, qui ſunt nati ex ſoluto & ſoluta, id eſt, ex patre & matre, qui ipſo coitus tempore potuiſſent inter ſe contrahere matrimonium.

3. Illegitimi tempore Moyſis adeo erant deſpecti, ut a ſocietate politica aliorum arcerentur uſque ad decimam generationem. In Gallia moderno adhuc tempore quoad ſucceſſio-

ceſſionem ab inteſtato ſunt, quaſi non eſſent, ita ut ſolum ſuis filiis, ſi quos habent, legitimis, & hi ipſis ſuccedere poſſint. Quod ſi filios non habent, eorum bona cedunt fiſco, niſi de iis per teſtamentum diſpoſuerint. Vi juris Romani, quod non tam arctos ipſis conſtituit limites, ſuccedunt in bona matris, imo & in ſextam partem bonorum patris, ſi hic ſine prole legitima decedat. Per ſubſequens tamen matrimonium legitimati ſuccedunt in bona parentum ſuorum, ſicut legitime nati. Quoad hoc ſemper inſpiciendæ ſunt leges provinciales, multoties a jure communi recedentes.

4. In Eccleſia Græca defectus natalium non impedit receptionem Ordinum & Beneficiorum, ſicut in Latina, in qua illegitimi ad ſtatum Clericalem non admittuntur, niſi obtenta prius legitima diſpenſatione. Vetuſtiſſimum, quod exſtat, hujusce diſciplinæ monumentum reperitur in Concilio Meldenſi anno 845. celebrato, cujus hac in re conſtitutio a Concilio generali Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. evecta eſt in legem univerſalem.

CASUS I. Herbertus & Monica matrimonium inierunt absque præviis denunciationibus, aut obtenta deſuper diſpenſatione. Eſtne filius ex hoc matrimonio progenitus illegitimus?

℞. Ex hoc ſolum defectu non eſt cenſendus illegitimus: matrimonium enim iſthoc validum erat, etſi denunciationes factæ non fuerint. *Filium eum definimus*, inquit L. *Filium* 6. ff. L. 1. Tit. 6. *qui ex viro & uxore ejus naſcitur*. Foret autem illegitimus, ſi parentes ejusdem contraxiſſent in gradu prohibito conſanguinitatis aut affinitatis, ſtante etiam ignorantia impedimenti; quia in hoc caſu eorum ignorantia fuiſſet culpabilis & voluntaria in ſua cauſa, cum omittendo denunciationes ipſi erroris cauſam poſuerint: denunciationes enim juxta Tridentinum Seſſ. 24. de reform. matr. c. 5. ſunt medium longe aptiſſimum detegendi impedimenta dirimentia. *Pontas.*

CASUS II. Placidus contraxit matrimonium in facie Eccleſiæ cum Maria, ficte tamen & ſine conſenſu interno. Intentio ipſius ſolum erat ea ſub prætextu matrimonii abutendi. Tractu temporis ſuſcepto ex ea filio eam deſerit, & ducit aliam. Eſtne filius iſte legitimus?

℞. Eſt legitimus: ſola enim bona fides matris juxta Innocentium III. Cap. *Ex tenore*. 14. Lib. 4. Tit. 17. ſufficit ad hoc, ut proles cenſeri debeat legitima. Alexander III. in Cap. *Cum inter*. 2. ibid. declarat, quod proles ex matrimo-

nio

nio invalido natæ pro legitimis ſint habendæ; dummodo matrimonium contractum fuerit publice & in facie Eccleſiæ. *Pontas.*

CASUS III. Guſtavus cum Suſanna bona fide iniit matrimonium in forma ab Eccleſia præſcripta, ex eoque progenuerunt prolem. Poſt lapſum anni detectum eſt impedimentum dirimens affinitatis in quarto gradu, & lata eſt in eos ſententia ſeparationis a judice eccleſiaſtico. Eſtne proles illegitima poſt ſententiam declaratoriam nullitatis præcedentis matrimonii?

℞. Indubitato eſt legitima ob bonam fidem parentum. Alexander III. Cap. *Cum inter.* 2. Lib. 4. Tit. 17. ſic ait. *Cum divortii ſententia canonice ſit prolata, filii eorum non debent exinde ſuſtinere jacturam, cum parentes eorum publice ſine contradictione Eccleſiæ inter ſe contraxiſſe noſcantur. Ideoque ſancimus, ut filii eorum, quos ante divortium habuerunt, & qui concepti fuerant ante latam ſententiam, non minus habeantur legitimi.* Idem docet Cœleſtinus III. Cap. *Pervenit.* 11. ibid. *Pontas.*

CASUS IV. Nicanor maritus Joannæ ex quadam puella ſuſcepit prolem; & cum eam mortua Joanna duxiſſet, alteram ex eadem puella jam conjuge ſua prolem ſuſcepit. Num tenetur primam prolem habere pro legitima in præjudicium ſecundæ prolis?

℞. Non ſolum non debet, ſed ne quidem poteſt eam habere pro legitima. *Si autem vir,* inquit Alexander III Cap. *Tanta* 6. Lib. 4. Tit. 17. *vivente uxore ſua aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit; licet poſt mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius, & ab hæreditate repellendus.* Jus Romanum Civile concordat quoad hoc cum Jure Canonico. *Pontas.*

CASUS V. Publius ex Maria concubina ſua ſuſcepit prolem. Ducit poſtea Laurentiam, hacque paulo poſt mortua ad ſecundas nuptias tranſit cum Maria, prolemque ex ea in concubinatu ſuſceptam agnoſcit pro ſua. An proles iſta per hoc matrimonium legitimatur?

℞. Legitimatur. Ita docet Oſtienſis in Decretalem Alexandri III. *Tanta eſt.* 6. Lib. 4. Tit. 17. *Pontas.*

CASUS VI. Gilbertus per decem annos vixit in concubinatu cum Lucretia. Jam in extremis conſtitutus eam ducit, & biduo poſt moritur. Fiuntne liberi in concubinatu progeniti per hoc matrimonium legitimi?

℞. Secundum jurisprudentiam Gallicam modernam, fundatam in declaratione Ludovici XIII. de anno 1639. non fiunt legi-

legitimi ; & matrimonium iſthoc , licet validum in ratione Sacramenti , non tamen valet quoad effectus civiles aliorum matrimoniorum legitimorum , ut ſunt legitimatio prolium , & jus ſuccedendi in bona parentum. Aliud autem dicendum ex principiis Juris Romani ; & vi hujus per ejusmodi matrimonium absque omni dubio legitimantur proles in concubinatu natæ , ſuppoſito , quod durante concubinatu potuerit inter eos conſiſtere matrimonium. Leges absque omni exceptione ſtabiliunt legitimationem prolium ex ſubſequente matrimonio ; & ubi jus non diſtinguit , nec nobis diſtinguere licet. *Pontas.*

CASUS VII. Babolinus in articulo mortis conſtitutus declarat , Palladium , qui hucusque habebatur pro filio ſuo legitimo , non eſſe ſuum ; quod & uxor illius Julita faſſa eſt, aſſerens , ſe eum concepiſſe a Capitaneo quodam eo tempore , quo maritus per menſem aberat. Teneturne Palladius ſe pro illegitimo habere , & conſequenter abſtinere ab hæreditate cum fratre ſuo dividenda ?

℞. Juxta regulam juris *pater is eſt , quem nuptiæ demonſtrant* , nulla prorſus ratio habenda declarationis mariti , ordinarie cum uxore ſua commorantis ; qua hanc vel illam prolem ex uxore ſua conſtante matrimonio natam , non eſſe ſuam aſſerit. Neque matri propriam ſuam fatenti turpitudinem ulla fides adhibenda eſt. Declaratio ergo Babolini & Julitæ uxoris juxta L. *Non nudis.* 14. Cod Lib. 4. Tit. 19. tanti non eſt , ut Palladio legitimos natales vel dubios reddant , niſi aſſertionem ſuam certis munire argumentis valeant. *Pontas.* Vide Caſ. 11. *hujus articuli.* & *Reſtitutio.* Caſ. 153.

CASUS VIII. Flavius & Viſigarda ſcientes , ſe eſſe conſanguineos in tertio gradu lineæ collateralis , carnaliter peccant , ita ut Viſigarda imprægnaretur: ante partum tamen obtenta diſpenſatione contrahunt matrimonium , & Flavius declarat , puerum paulo poſt natum eſſe ſuum filium. Eſtne hic filius habendus pro legitimo ratione matrimonii , & factæ a Flavio declarationis ?

℞. Salicetus in Leg. *Filium.* 7. Cod. Lib. 6. Tit. 55. cum pluribus aliis Jurisperitis docet , filium hunc non eſſe habendum pro legitimo ; idque ex pluribus legibus deducunt v. g. L. *Et ſi contra.* 6. Cod. Lib. 5. Tit. 4. Et ſane leges pro illegitimis habent omnes , quorum conceptio vitioſa eſt. Igitur & hic filius , cujus in conceptione matrimonium inter parentes conſiſtere non poterat , illegitimis adnumerandus eſt ; quæ ſententia intentioni legum tam civilium quam canonicarum plane conformior videtur. Addo , ne tum

quidem

quidem filium hunc fore legitimum per matrimonium ſubſequens, ſi ponatur, Flavium & Viſigardam contraxiſſe matrimonium cum ignorantia impedimenti dirimentis, & filium natum eſſe ante rehabilitationem matrimonii per diſpenſationem; quia obtenta diſpenſatio alium non operaretur effectum, quam rehabilitationem matrimonii. Nec etiam fictio juris hic locum habere poſſet; quia cederet in præjudicium aliarum prolium certe legitimarum, aut hæredum Flavii & Viſigardæ. *Pontas.*

Nota. Dicta hæc procedunt ſpeculative. Practice autem in Germania tenenda eſt ſententia noſtrorum Canoniſtarum nunc prædominans, quæ favet proli.

CASUS IX. Ildephonſus Toparcha ex Maria puella nobili, qua fuit abuſus, ſuſcepit filium Julianum, qui clam in lucem fuit editus & in loco remotiſſimo educatus. Ildephonſo demum ex conjugio cum Maria inito naſcitur alius filius Joannes. Julianus interea viginti jam annos natus ex rumore publico intelligit, Ildephonſi & Mariæ ſe filium eſſe, eos inviſit, ac ut filius agnoſci petit; ſed ut impoſtor rejectus, judicialiter eos convenit, ſuggeſtis ſibi a quodam Ildephonſi inimico probationibus. Jam quæritur, an Ildephonſus & Maria ſub peccato mortali & in conſcientia teneantur Julianum agnoſcere pro filio ſuo; aut num ſaltem expectare poſſint ſententiam judicis. Ratio dubitandi eſt; quia natus eſt Julianus ex coitu fornicario, & id cederet in præjudicium Joannis filii ſui legitimi, & hæredis præſumptivi ſuorum bonorum & jurium.

℞. Jus Romanum civile æque ac Canonicum ſtatuunt, natum ex ſoluto & ſoluta legitimum fieri per matrimonium ſubſequens ſuorum parentum. Hoc ſuppoſito ſi Ildephonſus & Maria certi ſunt, Julianum vere ſuum eſſe filium genitum ante matrimonium, tenentur ſub peccato mortali illum ut ſuum filium agnoſcere, nec poſſunt expectare ſententiam judicis. Rationes in favorem Joannis allatæ nullius ſunt roboris. Haud inutile erit hic notare, reſponſionem hanc non procedere in Anglia & Scotia, ubi filii nati ante matrimonium nunquam legitimantur per ſubſequens matrimonium. Sic &, quando extraneus naturaliſatur, ille, qui naſcitur poſt obtentas literas naturaliſationis, præfertur omnibus aliis liberis, quamvis prius genitis ac legitimis, ad exemplum Perſarum, qui præferunt filium Regis, qui ei natus eſt adepto jam regno, omnibus aliis filiis ante conſcenſum throni genitis. *Pontas.*

CASUS X. Manilia valde ſuſpecta de turpi commercio cum Titio nubit Antonio, & poſt ſeptem menſes parit filium. Eſtne habendus pro legitimo?

℟. Habendus eſt omnino pro legitimo: cum enim natus eſt *in matrimonio*, juxta L. *Inteſtato.* 3. §. fin. ff. Lib. 38. Tit. 16. præſumendum eſt, eum quoque *ex matrimonio* fuiſſe natum. *Septimo menſe*, ait L. *Septimo.* 12. ff. Lib. 1. Tit. 5. *naſci perfectum partum, jam receptum eſt propter auctoritatem doctiſſimi viri Hippocratis; & ideo credendum eſt, eum, qui ex juſtis, nuptiis ſeptimo menſe natus eſt, juſtum filium eſſe.* Verum ſi Manilia certa eſſet, ſe filium hunc concepiſſe ante matrimonium ab alio, in foro interno certe nullum is haberet jus in bonis Antonii, & dotalibus Maniliæ, utpote inter maritum & uxorem communibus. *Pontas.*

CASUS XI. Severianus nobilis a Rege in Germaniam miſſus ad exercitum, moratur ibi per biennium. Interea Flavia ejus uxor, quæ hactenus nullos a ſuo marito habebat liberos, ab Alexio conjugato corrupta, decimo octavo menſe poſt abitum mariti ſui parit filium nomine Gerardum. Libro baptiſmali filii pater inſcribitur Alexius, & mater Flavia. Severianus interim in patriam rediturus Argentorati moritur quarto poſt nativitatem Gerardi menſe. Jam quæritur, an Gerardus, natus quidem in matrimonio, non tamen de matrimonio, pro legitimo ſit habendus: an non poſſit tuta conſcientia aſſumere nomen & inſignia Severiani mariti matris ſuæ: an non poſſit eſſe hæres bonorum matris ſuæ poſt ejus obitum.

℟. Axioma juris eſt: *Pater is eſt, quem nuptiæ demonſtrant*, id eſt, *præſumptione juris*; & regulariter loquendo proles non tenetur credere ſuæ matri aſſerenti, ſe conceptam eſſe ex adulterio. Aſt in præſenti caſu non eſt dubia adulterina Gerardi conceptio, ſed certa, utpote innixa probationibus evidentibus, deſumptis ex abſentia mariti tempore conceptionis, ex teſtimonio libri baptizatorum &c. Hinc Gerardus pro adulterino ſe gerere debet, & ſecura conſcientia nec nomen aut inſignia Severiani aſſumere, nec bonis ſuæ matris aut Severiani vel ejus conſanguineorum ſuccedere poteſt. *Pontas.* Vide *Reſtitutio.* Caſ. 153.

CASUS XII. Boſſentius maritus Joannæ obiit primo Januarii, & Joanna prolem enixa eſt decimo quinto Novembris eodem anno. An iſta proles pro legitima habenda eſt?

℟. Juxta jus Romanum non habetur pro legitima. *Neque enim in tantum* (ſcilicet ad undecimum menſem) ait Juſtinianus Nov. 39. c. 2. *tempus conceptionis extenſum eſt.* Et L. *Inte-*

Inteſtato. 3. §. 11. ff. Lib. 38. Tit. 16. dicitur : *Poſt decem menſes mortis natus , non admittetur ad legitimam hæreditatem. Pontas.*

Vide *Diſpenſatio in irregularitate. Irregularitas. Spurius. Teſtamentum.*

IMAGO OBSCOENA.

Nemo negare poteſt, ad excitandam turpem phantaſiam, inflammationem libidinis, cordiſque corruptionem nil magis valere quam ſtatuas, picturas ac imagines obſcœnas, objecta exhibentes, quæ pudori adverſantur. Hinc S. Chryſoſtomus in pſal. 123. ejusmodi imagines thronos appellat, quibus tanquam ſibi dicatis dœmon inſidet; & S. Auguſtinus, cum ipſi peccati occaſio fuiſſent, Confeſſ. cap. 16. vehementer in eas invehitur.

CASUS Anſovinus domi ſuæ ſervat imaginem pictam, a celeberrimo artifice elaboratam, ac Ledæ & Jovis in cygnum transformati amores repræſentantem. Poteſtne eam tuta conſcientia retinere ?

℞. Peccat graviſſime eam retinendo, & ad hæredes ſuos transmittendo, ut ex plurium Conciliorum decretis conſtat. Nec ſatis eſt, ſi hujusmodi imagines velo obducantur; cum hæc ipſa occultatio pruritum videndi magis accueret. Gravius adhuc peccant molles confeſſarii, qui pœnitentibus ſuis obſcœnas imagines ſervare permittunt, & ſic eos multorum peccatorum ac æternæ damnationis periculo exponunt. *Quoniam Chriſtianorum hominum mentes* inquit S. Carolus Borromæus in Concilio Mediol. III. *facile corrumpuntur, peccandi libidine inflammatæ ob rerum turpium atque obſcœnarum imagines, ideo illas effingi vetitum eſt Conſtantinopolitanæ Synodi canone*, cujus hæc verba ſunt : *Itaque curet Epiſcopus, ut quicumque laici homines id generis imagines habent, vel tabulis vel parietibus expreſſas, pro pietatis Chriſtianæ, cui addicti eſſe debent, ſtudio eas abjiciant, vel plane deleant, vel ad honeſtatem reconcinnent. De Lamet.*

Nota. Inſignis hujus ſæculi deceptio eſt, quod ars & antiquitas eo pluris fiant, quo magis in turpibus eluceſcunt, nulla habita ratione conſcientiarum læſarum, quæ necdum penitus emortuæ fruſtra obſtrepunt. *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* Coloſſ. 2. v. 8.

IMPEDIMENTA MATRIMONII in GENERE.

1. Impedimentum, de quo hic agitur eſt obſtaculum reddens matrimonium invalidum, aut illicitum; & ſi hoc provenit ratione raptus aut votorum, impedimentum eſt poſitivum, ſi vero obſtaculum oritur ex defectu ætatis, & impotentiæ cauſa, impedimentum dicitur eſſe negativum.

2. Impedimenta hæc duplicis ſunt generis, quædam ſunt prohibentia, quorum multa non ſunt amplius in uſu, & quædam dirimentia, quæ comprehenduntur his verſibus:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptave ſit Mulier, nec Parti reddita tutæ:
Hæc facienda vetant Connubia, facta retractant.

3. Impedimenta prohibentia matrimonium tantum reddunt illicitum, dirimentia vero reddunt invalidum, quando illud præcedunt, & contrahitur absque legitima diſpenſatione. Inter impedimenta dirimentia multa ſunt juris naturalis, ut in linea recta cognatio inter aſcendentes & deſcendentes in quolibet gradu: permulta alia vero ſunt juris eccleſiaſtici. In prioribus non poteſt diſpenſare; in poſterioribus vero Papa ſine diſcrimine diſpenſare poteſt; imo etiam in quibusdam caſibus Epiſcopus.

CASUS I. Sempronius cum Sylvia contraxit matrimonium; poſt octo vero dies ſupervenit impedimentum dirimens.

℟. Impedimentum ſuperveniens non afficit matrimonium antecedens. Certum eſt, ut docet S. Thomas in 4. diſt. 32. art. 1. ad 2. quod matrimonium ſemel valide contractum nunquam poſſit fieri invalidum, qualecumque demum impedimentum ſuperveniat. *Pontas.*

CASUS II. Anſelmus duas ſuſcepit proles e Nicolaa, quam defloravit facta promiſſione matrimonii, quod etiam cum ea inire paratus eſt. Verum cum intercedentis impedimenti dirimentis diſpenſationem Roma obtinendam exſpectat, a Rege in exteras regiones proficiſcendi mandatum accipit.

℟. Non poteſt contrahere matrimonium absque peccato mortali. Innocentius III. in C. inquiſitioni. 44. de Sent. excomm.

comm. loquens de homine, qui exiſtimans legitime ſe contraxiſſe, comperit poſtea, matrimonium eſſe nullum ob impedimentum dirimens, etſi occultiſſimum, ait: *Debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.* Itaque Anſelmo aliud non relinquitur, quam ut obtenta diſpenſatione contrahat per procuratorem, donec redeat, ut ſic ſaltem legitimentur proles ex Nicolaa ſuſceptæ. *Pontas.*

CASUS III. Leodegarius parochus novit ex confeſſione duorum ſuorum parochianorum, qui ſe matrimonio jungere parant, dari inter illos impedimentum dirimens.

℟. Non poteſt abſque peccato mortali hoc impedimentum manifeſtare Epiſcopo niſi de Partium contrahentium conſenſu expreſſo; non tamen tenetur in conſcientia hunc conſenſum ab iis requirere, ſi id commode fieri nequeat, ut docet S. Thomas in 4. diſt. 1. q. 3. art. 2. ad 3. Tenetur autem eos a ſuo propoſito avertere proponendo gravitatem peccati, quod ſic contrahendo committerent. In ejusmodi caſu parochus adhibere debet omnia, quæcumque Chriſtiana prudentia ſuggerere poſſit, ut ſalvam ſervet conſcientiam propriam & famam utriusque Partis. Si nil efficiat, moneat ſaltem, ut contrahant ſub hac conditione: *Si Papa diſpenſaverit*, & ante obtentam diſpenſationem ab uſu matrimonii abſtineant. Omnibus denique nil proficientibus, ne recuſatione miniſterii ſui ſigillum confeſſionis violet, aut ingens ſcandalum creet, tenetur ipſis Benedictionem nuptialem impertiri, ac ſi nullam prorſus impedimenti notitiam haberet. *Pontas.*

NOTA. Plurimum roboris accepit hæc reſponſio a Facultate Theologica Pariſienſi, quæ ut falſam, ſcandaloſam ac ſigillo confeſſionis contrariam condemnavit ſequentem propoſitionem: *Superior habens notitiam de peccatis ſubditi ſui ex confeſſione ſacramentali, poteſt in virtute hujus notitiæ eum deponere ab officio dependente a libera ſua diſpoſitione.* Multo magis violaretur hoc ſigillum in præſente caſu, ſi parochus contrahendo matrimonio aſſiſtere renueret. C. A.

CASUS IV. Sylveſter parochus certo ſcit, & quidem extra confeſſionale, duos ſuorum parochianorum, qui ſe ad contrahendum matrimonium coram ſiſtunt, laborare impedimento dirimente occulto, in quo Epiſcopus non poteſt diſpenſare.

℟. Non poteſt abſque gravi peccato illorum aſſiſtere matrimonio; ſed tenetur in conſcientia eos admonere hujus impedimenti, & ſi hæc admonitio inutilis ſit, Epiſcopum conſulere, ejusque ſe conformare ſententiæ. *Pontas.*

Nota. Hoc verum eſt, ſi impedimentum, de quo certus eſt, probare non poſſit. Si enim id probare poſſit, tenetur id probare.

CASUS V. Duæ perſonæ matrimonio junctæ, confitentes ſuo parocho manifeſtant impedimentum matrimonii ſui dirimens, cujus tamen ipſæmet notitiam non habent.

℟. Si illarum ignorantia eſt vincibilis, abſolute neceſſarium eſt, ut parochus eas admoneat hujus ignorantiæ, ſive dein ſit ignorantia juris Divini ſive ſolum humani. Verum ſi ignorantia eſt prorſus invincibilis, ſive ſit ignorantia juris ſive facti, parochus aut Confeſſarius non tenetur eis manifeſtare nullitatem matrimonii, niſi moraliter ſaltem certus ſit, ſuam admonitionem eis fore utilem. In hujusmodi caſibus prudentia principalis ſit regula, & inſuper conſulendi ſunt viri docti, præcipue vero Epiſcopus. *Pontas.*

Nota. Poſſet ipſis procurari diſpenſatio a Taxis libera, ac dein facta uni partium vel utriſque inſinuari.

CASUS VI. Theodebertus bona fide contrahit matrimonium invincibiliter ignorans impedimentum dirimens ſui matrimonii. Poſt multos annos de hoc quidam ei oriuntur ſcrupuli; conſulit igitur ſuum Confeſſarium, qui quidem advertit revera nullum eſſe Theodeberti matrimonium, ſed ſimul agnoſcit, eum laborare ignorantia invincibili.

℟. Confeſſarius tenetur ſub peccato mortali manifeſtare ſuo pœnitenti veritatem, & non poteſt absque crimine eam diſſimulare, quidquid etiam inde oriatur. Ratio eſt; quia licet ignorantia ſit adhuc invincibilis ac inculpabilis, quamprimum tamen dubium oritur, cenſetur eſſe vincibilis imo & affectata, ſi dubitans certiora edoceri non velit. *Pontas.*

CASUS VII. Gilbertus præcipuus Octavii & Maviæ amicus certo ſcit, dari inter eos impedimentum dirimens, cujus tamen notitiam non habent.

℟. Non tenetur eos admonere hujus impedimenti, ſi illius habeant ignorantiam invincibilem, & inſuper impedimentum ſit occultum. Si vero ignorantia ſit affectata aut culpabilis, tenetur illos vel ipſus admonere, ſi ſuam admonitionem utilem fore credat, vel Superiori hujus notitiam dare. *Pontas.*

Nota. Si impedimentum certo probare poſſit, tenetur unum conjugum monere, ut invigilet pro diſpenſatione. Si nil proficiat, tenetur monere Epiſcopum.

CASUS VIII. Thelemachus certus eſt, dari impedimentum dirimens inter duas perſonas intra biduum matrimo-

trimonio jungendas, & hujus impedimenti ſolus notitiam habet.

℞. Tenetur illud manifeſtare Superiori tum ut obediat Eccleſiæ id præcipienti, tum ut impediat, ne matrimonium contrahatur invalidum. *Pontas.*

CASUS IX. Reynaldus & Paulina ſe matrimonio juncturi denunciationes fieri curarunt; Reynaldus autem ſub obligatione ſecreti manifeſtat Huberto, dari impedimentum dirimens hujus matrimonii, eoquod commercium carnale habuerit cum matre Paulinæ.

℞. Hubertus tenetur manifeſtare hoc ſecretum; quia agitur de ſalute contrahentium. Juxta S. Thomam obligatur quis ad detegendum impedimentum matrimonii, etſi ſub ſecreto ſciat; maxime ſi id Superior præcipiat: ex occultatione enim graviſſima & Sacramento & proximo mala emergerent, videlicet profanatio Sacramenti, perpetuus concubinatus, & prolium illegitima ſucceſſio. *Pontas.*

CASUS X. Noël, cui impedimentum dirimens criminis inter duas perſonas ſe matrimonio jungere parantes notum eſt, & ſufficientes hujus probationes habet; moraliter tamen certus eſt, ſe ſua manifeſtatione aut nil profuturum, aut oriturum eſſe exinde grave damnum vel ſcandalum.

℞. Non tenetur parocho manifeſtare hoc impedimentum. In hoc caſu datur exceptio a regula generali conformiter ad deciſionem Innocentii I. qui dicit, aliquando ad evitandum ſcandalum omittenda eſſe, quæ alioquin forent obligationis. Hinc & Apoſtolus ait: *Non . . . faciamus mala ut eveniant bona. Pontas.*

CASUS XI. Amianus novit, dari impedimentum inter patrem ſuum viduum & viduam, quam ducere cogitat. Poteſtne filius admitti ad deponendum contra patrem?

℞. Non ſolum poteſt, ſed debet admitti ad detegendum impedimentum circa matrimonium patris. Idem dicendum de patre circa matrimonium filii. *Qui enim melius recipi debent*, ait Clemens III. *quam illi qui melius ſciunt, & quorum eſt intereſſe? Quod vero legitur, pater non recipiatur in cauſa filii, nec filius in cauſa patris, in criminalibus cauſis & contractibus verum eſt; in matrimonio vero conjungendo & disjungendo, ex ipſius conjugii prærogativa, & quia favorabilis res eſt, congrue admittuntur. Pontas.*

CASUS XII. Coperius actu Benedictionem matrimonialem recepturus, cum a parocho juxta præſcriptum Ritualis publice interrogaretur, an nullius ſibi conſcius ſit impedimenti dirimentis ſe inter ac ſponſam ſuam, ſubito incipit recordari cu-

juſdam impedimenti ; de quo hucusque nunquam cogitaverat. Quid illi agendum ?

℟. Si manifeſtando impedimentum incurrat periculum infamiæ, poterit id celare, dummodo id fieri poſſit ſine mendacio. Verum indiſpenſabiliter tenetur abſtinere ab uſu matrimonii, donec obtinuerit diſpenſationem neceſſariam; ſi vero eam non velit petere, aut non poſſit obtinere, tenetur potius ingredi Religionem, quam ſuam periculo exponere ſalutem. *Pontas.*

Nota. Senſus publice interrogantis haud dubie talis eſt, qualis debet eſſe, & qualis eſt licitus; utrum videlicet ſciat impedimentum ſcientia hic & nunc publice communicabili ? Si ergo publice in eodem ſenſu negative reſpondeat, non mentitur. Tenetur tamen abſtinere ab uſu conjugii ante diſpenſationem, ſaltem pro caſu neceſſitatis præſumptive in forum internum parochi vel Confeſſarii delegatam.

IMPEDIMENTUM ERRORIS.

Primum impedimentum dirimens matrimonii & illud invalidans eſt *Error*. Quadruplex diſtinguitur error, ſcilicet error *perſonæ*, cum ille, qui exiſtimat ducere Martham, ducit Magdalenam; & hic error, etſi ſit ſolum concomitans, reddit matrimonium nullum jure naturali. Alius error dicitur *conditionis ſervilis*, de quo ſermo erit in impedimento conditionis ſervilis: alius dicitur error *qualitatis*, & denique alius error *fortunæ*. Duo priores verſantur circa eſſentiale, duo poſteriores vero tantum circa accidentale matrimonii.

CASUS I. Techildis puella nobilis nubit Reimbergo, quem æque nobilem credit, & Reimbergus ducit Thechildem, quia illam credit eſſe Virginem, & opulentam; quæ tamen quondam luxurioſe vivebat & inops eſt.

℟. Matrimonium eſt nullum, ſi Techildis credidit, ſe nubere filio determinati viri nobilis, qui tamen non eſt illius filius. Verum ſi tantum credidit, ſe nubere cuidam nobili, quiscumque demum ſit, error qualitatis eſt, matrimonium non invalidans. Techildem autem quod attinet, per hoc quod non amplius ſit virgo, qualem Reimbergus eſſe credidit, matrimonium non redditur irritum, uti nec ob defectum divitiarum. Iſtæ circumſtantiæ non verſantur circa eſſentiale matrimonii, ſed tantum circa id, quod matrimonio accidentale eſt, ut error qualitatis & fortunæ. *Pontas.*

No-

Nota. Circa divitias id verum eſt, niſi contrahens ex rationabili cauſa huic qualitati expreſſe alliget, vel ex circumſtantiis præſumatur alligaſſe ſuam intentionem, & conſequenter etiam conſenſum.

CASUS II. Tarbulus duxit Genovefam ex errore perſonæ concomitante, id eſt, qui non antecedebat, ſed concomitabatur matrimonium.

℟. Error iſte ſufficit ad conſtituendum impedimentum dirimens; quia excludit conſenſum poſitivum, ſine quo verum matrimonium non ſubſiſtit. Talis error reddit actionem involuntariam negative. *Pontas.*

CASUS III. Titius dicit, ſe errore concomitante inductum nupſiſſe Bertæ; & ideo matrimonium ſuum putat eſſe nullum.

℟. Matrimonium revera eſt nullum: nam error concomitans verſatur in hoc, quod Titius, credens ſe ducere Franciſcam, duxerit Bertam; quamvis nupſiſſet & Bertæ, ſi illius notitiam habuiſſet. Ex hoc tamen ſequitur, Titium actualem non habuiſſe conſenſum cum ea contrahendi, ſed ſolum paratum fuiſſe ad illum dandum. Aſt in contractu indiſſolubili ſola voluntas illum ineundi non ſufficit; ſed requiritur conſenſus actualis. Hoc igitur deficiente matrimonium Titii & Bertæ eſt invalidum. C. B.

Nota. Individuatio perſonæ non ſumitur ex nomine, quod utique poſterius eſt individuo, ſed ex complexo circumſtantiarum individuantium, cui præſumptive alligatur intentio contrahentis.

IMPEDIMENTUM CONDITIONIS SERVILIS.

Tripliciter diſtinguitur Conditio. *Prima* conditionis ſpecies ſuſpendit conſenſum, qui de eſſentia matrimonii eſt, quod effectum ſuum habere nequit, niſi impleta conditione; ut ſiquis diceret: duco te, ſi pater tuus conſentiat. *Secunda* conditionis ſpecies adverſatur ipſimet ſubſtantiæ matrimonii, aut alterutri trium ejusdem bonorum, quæ ſunt *fides*, *proles*, *ſacramentum*; ut ſi quis contraheret ſub hac verborum formula: ego te duco hac conditione, ut mihi liberum ſit mœchari; aut ut tibi ſterilitatem concilies, ne proles naſcatur ex noſtro conjugio; aut ut poſſim alteri nubere, quamprimum placuerit; vel denique ut habeam ego poteſtatem in corpus tuum, tu aut nullam in meum. *Tertia* conditionis ſpecies, de qua hic ſolum agitur, eſt privatio libertatis; ut ſi liber ducat ancillam, quam exiſtimabat eſſe liberam; & hoc

hoc impedimentum conditionis ſervilis dirimit matrimonium. Sunt & aliæ adhuc conditiones, quæ aut bonis moribus adverſantur, aut circa impoſibilia verſantur: v. g. ego te duco, ſi uno eodemque die itinere pedeſtri Auguſta Romam poſſim pertingere; aut ſi ſol hodie non occidat. Sed ludicra hæc ſunt & indigna, ut ulla eorum habeatur ratio.

CASUS I. Nummius tradidit Titio libero Semproniam ancillam ſuam, aſſeverans, illam eſſe liberam.

℞. Validum eſt iſthoc matrimonium; nam, licet Titius Semproniam ducens ejus ignorarit conditionem ſervilem, ab eo tamen tempore, quo tradidit eam Nummius, facta eſt libera, ideoque impedimentum erroris & conditionis locum non habet. Si Titius etiam noviſſet conditionem Semproniæ ſervilem; ea vero a Nummio dotata fuiſſet, per hoc ipſum cenſeri deberet manumiſſa ac libertati aſſerta. *Si Dominus ancillæ*, ait Gloſſa, *tanquam liberam eam alicui tradit in uxorem, qui liber eſt, eo ipſo intelligitur ei dediſſe libertatem.* Id ipſum docent Caſuiſtæ ac Canoniſtæ celeberrimi. *Pontas.*

CASUS II. Guntramus mancipium duxit Bertam pariter ſervilis conditionis, quam tamen credidit liberam; & ſi eam ancillam eſſe ſciviſſet, non duxiſſet.

℞. Matrimonium iſtud non invalidatur, cum utraque pars æqualis ac ſervilis conditionis ſit. S. Thom. *in* 4. *diſt.* 36. *a.* 1. *ad* 1. *Pontas.*

CASUS III. Benedictus mancipium invito ſuo Domino contraxit matrimonium cum puella, quam ſciverat eſſe ancillam.

℞. Validum eſt illorum matrimonium; jus enim naturale permittit omnibus perſonis nubilibus contrahere matrimoninm. Sylvius in Suppl part. 3. Summ. S. Thomæ q. 52. a. 2. *Quamvis jus poſitivum progrediatur a jure naturali*, inquit S. Thomas, *ideo ſervitus, quæ eſt de jure poſitivo, non poteſt præjudicare his, quæ ſunt de jure naturali.* Concordat hæc cum doctrina Eccleſiæ. *Pontas.*

CASUS IV. Guericus contraxit matrimonium invalidum ob errorem conditionis ſervilis conjugis ſuæ. Deprehenſo errore ratum quidem habuit matrimonium, ſed ex alio errore; eoquod crediderit, præcedens matrimonium in rigore fuiſſe validum, utpote contractum in facie Eccleſiæ.

℞. Per ratihabitionem ſubſequentem fuit revalidatum hoc matrimonium. Ratio eſt; quia ratihabitio ſupplevit conſenſum neceſſarium, qui prius ex errore præcedente decrat. *Mandamus*, inquit Alexander III. *quatenus ſi conſtiterit, quod idem vir præfatam mulierem, poſtquam iſtam audivit eſſe ancil-*

lam

lam, *carnaliter cognovit*, *ipſum monitione præmiſſa compellas*, *ut eam ſicut uxorem maritali affectione pertractet. Pontas.*

CASUS V. Cœalius Servus petit a ſuo Domino licentiam contrahendi matrimonium.

℟. Dominus nullo jure eum impedire poteſt a contrahendo matrimonio. Attamen ſi Domino perſuaſum eſſet, iſthoc matrimonio notabile inferri præjudicium ſervitio a Cœalio ſibi præſtando, videtur dici poſſe. Dominum non teneri ſub peccato mortali ad dandum formalem conſenſum in matrimonium ſui mancipii, & ſufficere, ſi authoritate ſua non utatur ad illud impediendum per minas, verbera aut alia gravamina: ageret enim hoc modo contra jus naturale; vi cujus ſervo licet nubere ut cuilibet homini libero. *Nec tenentur ſervi*, inquit S. Thomas, *Dominis obedire de contrahendo matrimonio. Pontas.*

CASUS VI. Potamus mancipium contrahens matrimonium conſentiente Domino eſtne obligatus, ſervitium ſuo Domino debitum præferre obligationi reddendi conjugale debitum ſuæ uxori id exigenti?

℟. Non eſt obligatus. Ratio, quam aſſignat D. Thomas in 4. diſt. 36. a. 2. ad 3. eſt; quia Dominus conſentiens in matrimonium ſervi ſui cenſetur eidem conceſſiſſe omnia, quæ exinde neceſſario conſequuntur. *Pontas.*

Nota. Ex circumſtantiis colligendum eſt, an Dominus, cui anterius jus favet, poſſit eſſe *rationabiliter* & *graviter* invitus?

CASUS VII. Vinebodus ſervus invito ſuo Domino contraxit matrimonium cum puella libera, quæ ſæpe debitum conjugale ab illo exigit eodem tempore, quo tenetur Domino ſua præſtare ſervitia.

℟. Domino ſuo potius obedire tenetur quam ſuæ uxori, ſi utrique eodem tempore ſatisfacere nequeat. Obſervanda tamen eſt circumſtantia periculi incontinentiæ uxoris, quo ſtante præferendum eſſet debitum conjugale. Idem ibidem. *Pontas.*

Nota. Idem obſervandum, quod Caſu 6.

CASUS VIII. Bertinus, uxoratus, ſe vendit in mancipium ſine uxoris ſuæ conſenſu.

℟. Potuit hoc facere in Regione, ubi ſervitus viget, ſuppoſito, eum urgente neceſſitate ad id fuiſſe adactum; verum uxori non idem licet facere, cum nec ſit domina ſui, nec ſuarum actionum. *Sylvius in Suppl. S. Thom. q. 52. part. 3. Pontas*

CA-

CASUS IX. Amoricus poteſtne mancipium ſuum matrimonio junctum vendere in regionem remotam, ubi uſum matrimonii habere non poteſt eoquod uxor eum ſequi non poſſit?

℞. Si mancipium hoc absque conſenſu ſui Domini contraxit matrimonium, poteſt vendi, licet uxor illum ſequi non poſſit. Verum ſi cum conſenſu ſui Domini nupſit; non poteſt ab illo vendi, quia ex mancipio factus eſt *liber*, & ſua uti poteſt libertate. S. Thom. *in* 4. *diſt.* 36. *art.* 1. *ad* 4. *Pontas.*

Nota. Ratio eſt falſa: nec enim ſervus fit eo ipſo liber, quod permittatur contrahere matrimonium. Ipſa reſponſio tamen eſt vera; quia conſentiens in matrimonium ſui ſervi etiam tacite conſentit, ſe uſum non impediturum perpetuo.

IMPEDIMENTUM VOTI.

Duplex datur Votum, *ſolenne* explicitum vel implicitum, & *ſimplex*. Votum ſolenne explicitum eſt Votum Profeſſionis ſolennis Religionis; ſolenne implicitum vero eſt votum emiſſum in receptione ſacrorum Ordinum. Utroque contrahitur impedimentum dirimens matrimonii. Sed ſolenne tantum explicitum reddit matrimonium nullum tam contrahendum quam jam contractum, ſi ſit ſolummodo ratum & nondum conſummatum; quod non operatur votum ſolenne implicitum, quod tacite emittitur in receptione primi ſacri Ordinis, ut declaravit Jonnes XXII. Votum ſimplex matrimonium poſtea contractum non reddit invalidum; uſum tamen ejuſdem reddit illicitum reſpectu illius, qui vult uti matrimonio in præjudicium voti ſui.

CASUS I. Cyconius duxit Juſtinam; hæc ipſius pertæſa ſe ab eo ſeparat matrimonio nondum conſummato, & Religionem ipſo invito ingreſſa in ea profeſſionem emittit. Cyconius poteſtne, cui voluerit, nubere denuo.

℞ Poteſt juxta Concilium Tridentinum Seſſ. 24. de Matrim. Can. 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit. Pontas.*

CASUS II. Lucienna nupta Guillelmo, ante conſummationem matrimonii meditatur ingreſſum in Religionem per duos menſes ab Eccleſia pro deliberatione hac ſuper re conceſſos. Guillelmus reſolutionis uxoris ſuæ conſcius inſperato ac violenter matrimonium cum ea invita conſummat.

℞.

℟. Lucienna in iſto caſu non privatur jure ſuo; conſummatio enim matrimonii per vim facta cenſenda eſt ut non facta. Poteſt igitur ingredi Religionem, & in ea profiteri. *Fagnan. in cap. Ex publico converſ, conjug. n.* 27. *& ſeq. Ex eo*, inquit Bonifacius VIII, *non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.* Et juxta regulam juris *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. Pontas.*

CASUS III. Victor Catharina poſt matrimonii promiſſionem deflorata, & ex ea ſuſcepta prole clanculario partu edita demum cum eadem contrahit in facie Eccleſiæ jubente Confeſſario; hujus vero pœnitens nondum conſummato matrimonio relicta uxore diſcedit in Daniam. Catharina cum lateret ejus peccatum præcedens, Religionem ingreditur & in ea profitetur. Septennio elapſo rediens Victor repetit ſuam uxorem, hæc vero votum ſuum, & matrimonium non conſummatum opponit.

℟. Cum multæ in hoc caſu dentur Doctorum opiniones, tutius erit dicere, Victorem ſtante Catharinæ oppoſitione aliam ducere non poſſe, niſi per ſententiam juridicam declaratum fuerit, utrum dictum matrimonium per fornicationem antecedentem conſummatum fuiſſe cenſendum ſit, nec ne? Si declaretur, matrimonium non cenſeri conſummatum, Catharina non ſolum poteſt, ſed debet remanere in Religione, & Victor ſui juris erit. Si vero declaretur contrarium, nempe matrimonium pro conſummato eſſe cenſendum, Victor non poteſt nubere alteri, & Catharina tenetur redire ad ſuum maritum. *Pontas.*

Nota. Circa Leges quoad particularia indeterminatas pro libertate hominum, & pro majori honeſtate Eccleſiæ reſpondendum cenſeo.

CASUS IV. Euſtachius contracto cum Renata matrimonio ante ipſius conſummationem ſeceſſit in monaſterium, ubi per tres annos permanſit in habitu Religioſo, quin tamen emiſerit Profeſſionem.

℟. Poteſt redire, & conſummare ſuum matrimonium cum Renata, aut ea mortua aliam ducere uxorem. Profeſſionis tacitæ, quæ in hoc caſu reſpectu Euſtachii dari videtur, in Gallia non habetur ratio; ſed ad valorem ejuſdem requiritur, ut ſit expreſſa, & habeat conditiones a Tridentino requiſitas, quæ ſunt 1. Ut profeſſioni præmittatur annus completus probationis. 2. Ut profitens annum ætatis decimum ſextum compleverit. *Pontas.*

No-

Nota. Conſtat, non ſolum in Gallia per Edictum menſis Martii 1768., ſed etiam hoc tempore in variis provinciis Italiæ ac Germaniæ per leges Principum ad profeſſionem Religioſam determinatam fuiſſe profectiorem ætatem; non attingunt tamen leges hæ politicæ ipſum valorem profeſſionis coram Deo, nec reſpiciunt effectus, quos profeſſio Religioſa juxta ſacros Canones habet in ordine ad matrimonium, donec Sacerdotium & Imperium hac ſuper re propius convenerint.

CASUS V. Donatus emiſſo voto Religionis vel caſtitatis contrahit cum Lucina.

℟. Si illius votum non fuit ſolenne, matrimonium erit validum; ſi vero ſolenne fuit, & emiſſum in Religione a Sede apoſtolica approbata, matrimonium erit invalidum. Votum caſtitatis emiſſum in receptione ſacrorum ordinum reddit etiam matrimonium nullum; quod tamen non efficit votum ſimplex, licet eo obſtrictus graviſſime peccet contrahendo matrimonium. S. Thom. *quodlib.* 8. *a.* 10. *in corp.* & *in* 4. *diſt.* 38. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 2. *in Corp. Pontas.*

CASUS VI. Ansbergus emiſit ſolenniter votum Caſtitatis in manus Superioris cujuſdam communitatis Religioſæ in præſentia totius Conventus, & aliarum perſonarum plurimarum.

℟. Votum iſthoc ſolenne non eſt, licet publicum. Ansbergus non fecit Profeſſionem Religionis; adeoque tantum ſimplex votum eſt, quod non eſt impedimentum dirimens matrimonii, & Ansbergus non obſtante hoc voto matrimonium poteſt valide contrahere; peccat tamen mortaliter, ſi contrahat abſque legitima prius obtenta diſpenſatione. *Pontas.*

CASUS VII. Treſſanus emiſſo voto ſimplici caſtitatis contrahit matrimonium ſine diſpenſatione.

℟. Non poteſt conſummare matrimonium ſine mortali peccato. Ratio eſt; quia tenetur in conſcientia ſervare votum, quantum poſſibile eſt; reſtat autem adhuc medium illud implendi, per emiſſionem ſcilicet profeſſionis ſolemnis in Religione ante conſummationem matrimonii, ad quod Eccleſia concedit bimeſtre pro deliberatione. Verum illo jam conſummato in conſcientia tenetur reddere debitum ſuæ uxori, licet id tantum interpretative exigeret; ipſius tamen non poteſt ab ea id petere ſine peccato. *Pontas.*

CASUS VIII. Theonillus emiſſo ſimplici voto Religionis poteſtne matrimonium contrahere cum propoſito exequendi ſuum votum ante conſummationem matrimonii?

℟. Non poteſt abſque gravi peccato, ſaltem niſi habeat rationes id faciendi graviſſimas: peccaret enim contra bonam fidem

fidem decipiendo ſponſam, quæ integro anno probationis retardaretur ab alio matrimonio, & exponeretur variis ſuſpicionibus v. g. habitæ copulæ aut peccati commiſſi, aut cujusdam latentis mali, ob quod fuiſſet derelicta, ita ut tam facile alteri nubere non poſſit. Navarrus inter rationes graviſſimas excuſantes hanc Theonilli rationem agendi ponit metum juſtum ac gravem mortis vel infamiæ. *Pontas.*

Nota. Etiamſi haberet rationes graviſſimas, nihilominus peccaret, niſi ſponſæ & parocho prius declaret hunc animum ante apparatum & benedictionem nuptialem.

CASUS IX. Petrus minis aut vi a ſua uxore extorſit conſenſum ad ingreſſum in Religionem, in qua etiam ſolemnem profeſſionem emiſit. Poteſtne violentia ſufficienter comprobata cogi, ut redeat ad uxorem ſuam, & cum ea conjugaliter vivat? Teneturne ipſe ad hoc in conſcientia?

℞. Poteſt cogi & tenetur ipſe in conſcientia, niſi legitimam pro ſe rationem excuſantem allegare poſſit, qualis foret juxta Innocentium III. adulterium interea ab uxore commiſſum, aut facta ab ipſa ſolemnis profeſſio in Religione. *Pontas.*

CASUS X. Valeria uxor Egulfi ſeptendecim aut octodecim annos nata, quoad continentiam ſuſpecta, marito ſuo permittit, ut Religionem ingrediatur, neſciens, ſe ipſam obligari ad emittendum ſaltem votum ſimplex contientiæ.

℞. Conſenſus iſte ex ignorantia datus haud ſufficit ad hoc, ut profeſſio Egulfi reddi poſſit valida. Tenetur ergo redire ad conjugem ſuam, ſi id Epiſcopus neceſſarium judicaverit; & ſic redeundo denuo redit in omnia jura mariti. *Pontas.*

CASUS XI. Patroclus ſuæ uxoris pertæſus proficiſcitur in Turciam, exinde bene gnarus, eam jam diu meditari ingreſſum in Religionem, illi mitti procuravit falſum ſuæ mortis teſtimonium, quo accepto uxor Patrocli emittit Profeſſionem. Patroclo vero domum redeunte illa monaſticæ vitæ pertæſa in ſæculum redire cogitat ad ſuum maritum. Poteſtne id facere, & maritum ſuum obligare, ut ſecum cohabitet?

℞. Non poteſt pro ſuo libitu renunciare Profeſſioni religioſæ ad cohabitandum cum ſuo marito. Profeſſio ſolennis emiſſa ab uxore ſine expreſſo mariti ſui conſenſu valida eſt, in quantum ab ipſa dependet; non poteſt igitur ſine gravi peccato exire monaſterio, in quo profeſſa eſt, niſi a ſuo marito repetatur, multo minus ſi ille e contrario potius approbet illius in monaſterio perſeverantiam. Verum ſi maritus

tus incontinenter viveret, Epiſcopus poterit jubere, ut illa ad maritum revertatur, ut ſic avocetur ille a ſua deordinata vivendi ratione. *Pontas.*

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS CARNALIS.

Triplex datur Cognatio, *carnalis*, *ſpiritualis*, & *legalis*. Hic ſolum agitur de naturali, quæ vocatur conſanguinitas, & eſt vinculum duas inter perſonas ab eodem ſtipite per generationem in linea recta, aut collaterali deſcendentes. Stipitis nomine intelligitur pater aut mater reſpectu filiorum, nepotis ex filio, & aliorum deſcendentium in linea recta, & reſpectu fratrum, & eorum filiorum in linea collaterali. Conſanguinei ex parte patris appellantur juxta jus Romanum *Agnati*; & conſanguinei ex parte matris *Cognati*. Impedimentum cognationis carnalis eſt perpetuum in linea recta, in linea vero collaterali tantum ad quartum uſque gradum incluſive. Diſtantia conſanguinitatis, quæ per generationes computatur, dicitur gradus; ſic filius eſt cum patre in primo gradu, & nepos in ſecundo. Non computatur communis ſtipes. In Eccleſia orientali matrimonium etiamnum uti antiquitus prohibitum eſt usque ad ſeptimum gradum incluſive.

CASUS I. Quirinus & Reynalda ſunt conſanguinei, hic in quarto, illa in quinto gradu.

℟. Poſſunt jungi matrimonio abſque diſpenſatione. Dum lineæ ſunt inæquales, computatio graduum fit a gradu remotiore. Tres communiter aſſignantur regulæ tutæ pro inveſtigandis gradibus conſanguinitatis. *Prima* eſt: In linea recta aſcendentium & deſcendentium duæ perſonæ tot gradibus inter ſe diſtant, quot ſunt generationes, ſtipite communi non numerato. Sic pater & filius diſtant uno gradu. *Secunda*, quæ reſpicit lineam collateralem ſeu transverſam, eſt: duæ perſonæ tot gradibus inter ſe diſtant, quod diſtant a ſtipite communi. Sic duo fratres ſunt conſanguinei in primo gradu. *Tertia* regula eſt, quæ denuo attingit lineam transverſam: quando gradus ſunt inæquales, duæ perſonæ tot gradibus inter ſe diſtant, quot gradibus remotior earum a communi ſtipite diſtat, nulla habita ratione propinquioris. Regulæ iſtæ ab ipſo Concilio generali Lateranenſi approbatæ fuerunt. Cum ergo computatio graduum ſumenda a gradu remotiore, & juxta Tridentinum gradus quintus non conſti-

tuat

tuat impedimentum, non occurrit in poſito caſu impedimentum conſanguinitatis. *Pontas.*

CASUS II. Judas filius illegitimus Raymundi poteſtne valide contrahere matrimonium cum conſanguinea patris ſui in tertio vel quarto gradu lineæ collateralis?

℟. Non poteſt; quia quoad hoc non admittitur diſcrimen inter conſanguinitatem legitimam & illegitimam. *Pontas.*

CASUS III. Gerundius & Olympia conſanguinei in quarto & quinto gradu contraxerunt matrimonium, exiſtimantes ſe eſſe conſanguineos ſimpliciter in quarto gradu æquali.

℟. Quamvis ob malam fidem ſint rei peccati mortalis; matrimonium tamen eſt validum, ſi exiſtimarunt valide ſe contrahere. Nullum vero erit matrimonium eorum, ſi putarunt, invalide ſe contrahere ob impedimentum dirimens conſanguinitatis, quod dari inter ſe ſupponebant. Sylvius in Suppl. 3. part. Summ. S. Thom. q. 55. art. 9. *Pontas.*

CASUS IV. Abraham & Rachel Calviniſtæ, conſanguinei in tertio gradu, olim in Gallia matrimonio juncti a quodam Religionis prætenſæ reformatæ Miniſtro vi articuli 41. ſecreti Edicti Nannetenſis, quod talia permittit matrimonia, ſe ad fidem Catholicam converterunt. Tenenturne ad petendam legitimam diſpenſationem pro ſuo matrimonio revalidando, & ad renovandum conſenſum coram parocho & duobus teſtibus?

℟. Pagani aut infideles in ſimili caſu non tenerentur; Abraham autem & Rachel ad id tenentur. Ratio eſt quia hæretici per Baptiſmum ſubjecti legibus Eccleſiæ non poſſunt contrahere matrimonium ab iisdem legibus prohibitum. Auctoritas Principis poteſt quidem ejusmodi matrimonium validum reddere pro foro externo; pro foro conſcientiæ autem tenentur illud revalidare per legitimam diſpenſationem. *Pontas.*

Nota. In Germania non revallidantur ejusmodi matrimonia coram parocho, nec ſolet peti diſpenſatio. Ratio poteſt eſſe, quia in Germania integra regna, principatus, & Status habent Reges, Principes, & Dominos acatholicos, ubi leges Eccleſiæ non poſſunt junioribus promulgari nec urgeri, ſicut in Gallia ſub Rege Catholico. Cum ergo dependeat a voluntate Eccleſiæ, an ejusmodi homines velit legibus Eccleſiæ aut non ligatos, aut in eorum reditu generaliter diſpenſatos, videtur, Proteſtantes conjugatos ad Eccleſiæ ſinum redeuntes circa impedimenta matrimonii, quæ tantum ſunt juris eccleſiaſtici, haud multum gravandos eſſe.

CASUS V. Duo conſanguinei in ſecundo aut tertio gradu exhibita falſa ſupplicatione obtinuerunt Romæ licentiam contrahendi, & ſic contraxerunt.

℟. Cum iſthæc diſpenſatio nulla ſit, utpote ſubreptitie obtenta, ſic contrahentes coram Deo non ſunt conjugati. Epiſcopus tamen ipſis impertiri poteſt diſpenſationem, quin denuo Romam recurrendum ſit. *Fromageau.*

CASUS VI. Obtenta diſpenſatio circa impedimentum conſanguinitatis *in forma pauperum propter ſuſpicionem copulæ* eſtne cenſenda valida, etſi Partes in ſupplicatione non expoſuerint, re ipſa turpe inter ſe viguiſſe commercium?

℟. Poteſt cenſeri valida, licet inſignes Canoniſtæ oppoſitum ſentiant. Quia tamen hoc impedimentum occultum eſt, & Partes ſint vere pauperes, poteſt in eo Epiſcopus diſpenſare. Si contrahentes ſint conſanguinei in ſecundo gradu, recurrendum eſt ad Pœnitentiariam, facta ibidem mentione de diſpenſatione in Dataria obtenta. Parochus, qui eorum confeſſiones excepit, non potuit ſine expreſſo pœnitentium conſenſu, & absque violatione ſigilli confeſſionis Superioribus manifeſtare carnale commercium habitum inter eos. *Fromageau.*

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS SPIRITUALIS.

Cognatio ſpiritualis eſt affinitas contracta per adminiſtrationem Sacramenti Baptiſmi, aut Confirmationis; & hæc matrimonium reddit nullum inter perſonas, de quibus fiet mentio in prima & ultima deciſione. Datur etiam Cognatio ſpiritualis inter Confeſſarium & pœnitentem; ast hæc non eſt recenſenda inter impedimenta.

CASUS I. Paſchaſius & Maria tenuerunt in Baptiſmo Beatricem, filiam Catharinæ viduæ Joannis. Cum qua illarum Paſchaſius poteſt contrahere matrimonium? cum Maria, cum Beatrice aut cum Catharina?

℟. Solam poteſt ducere Mariam, quia cum ea nullam contraxit cognationem ſpiritualem, utpote quæ ſolum contrahitur inter baptizantem & baptizatum, inter baptizantem & patrem & matrem baptizati, & inter tenentes infantem in baptiſmo ex una parte, & infantem quem tenuerunt, & ipſius parentes ex altera parte. *Pontas.*

CASUS II. Nicerius ab Alexandro ſeptendecim annos nato baptizatus eſt. Aliquanto poſt Alexander contrahit matrimonium cum Mathurina, & tribus elapſis menſibus moritur.

Poteſt-

Poteſtne Nizerius ducere Mathurinam absque diſpenſatione ?

℟. Poteſt juxta Navarrum Manual. c. 21. n. 39. S. Thomas docet oppoſitum ; ſcripſit autem diu ante Concilium Tridentinum , quod hac in re jus antiquum reformavit. *Pontas.*

CASUS III. Audentius baptizavit urgente neceſſitate infantem Apolloniæ , quam corruperat. Daturne impedimentum dirimens ortum ex cognatione ſpirituali inter Audentium & Apolloniam ob baptiſmum huic infanti ab Audentio collatum ?

℟. Datur; neceſſitas enim non impedit cognationem iſtam. Si ergo cum ea matrimonium inire vellet ; opus foret diſpenſatione , ut idem Navarrus docet. Eccleſia non introduxit hoc impedimentum in pœnam , qua afficiantur ii , qui illud contrahunt , ſed in ſignum mutuæ reverentiæ inter perſonas ſic cognatas. *Non ad pœnam*, inquit Sylvius, *ſed ad quoddam amicitiæ genus pertinet*. *Pontas.*

Nota. In vero caſu neceſſitatis , cenſeo , non incurri hoc impedimentum.

CASUS IV. Joannes laicus viginti annos natus urgente neceſſitate baptizavit infantem Mariæ. Paulo poſt cum illa peccavit , & ex ea ſuſcepit prolem adulterinam , quam in ſimili urgente neceſſitate baptizavit. Daturne impedimentum dirimens in utroque caſu , & poteſt valide cum ea contrahere ?

℟. In utroque caſu intervenit impedimentum dirimens , quod ſubſequens matrimonium redderet invalidum. Ita denuo Navarrus , cujus ratio eſt hæc : jus merito favet in ejusmodi circumſtantiis patri legitimo , qui habet jus aquiſitum in corpus uxoris ſuæ ; non autem ita patrocinatur illi, qui baptizat infantem , fructum peccati ſui , quin ullum jus ipſi competat in corpus complicis ſuæ. *Pontas.*

CASUS V. Joſepha puella nobilis octo annorum levavit e baptiſmo Arnaldum.

℟. Contraxit cum eo veram cognationem ſpiritualem , ita ut illi ſuo tempore nubere haud poſſit. Ita S. Congregatio Tridentini teſte Fagnano *reſpondit* , *contractam quidem eſſe cognationem ſpiritualem* , *non obſtante ætate. Pontas.*

CASUS VI. Hæreticus , ſchismaticus aut infidelis levat e ſacro fonte prolem. Num contrahunt cum ea cognationem ſpiritualem ?

℟. Hæreticus & ſchismaticus contrahunt; non autem infidelis, quem inter ergo & prolem non intervenit impedimentum dirimens: qui enim natus non eſt ſecundum ſpiritum per baptiſmum, non poteſt habere cognatos ſecundum ſpiritum. Ex quo liquet, hujusmodi perſonas nunquam eſſe aſſumendas in patrinos & matrinas. *Pontas.*

CASUS VII. Servius Chriſtianus baptizavit filiam Amurati infidelis.

℟. Contraxit cum ea cognationem ſpiritualem, non vero cum ejus patre & matre. *Pontas.*

CASUS VIII. Cæſar de ſacro fonte ſuſcepit Agnetem, jam prius domi ab obſtetrice baptizatam, cum ſolæ ceremoniæ ſupplerentur.

℟. Non datur inter illos cognatio ſpiritualis; quia in hoc caſu non datur adminiſtratio Sacramenti. *Navar. c.* 22. *n.* 20. Juxta Regulam juris *odia reſtringi & favores convenit ampliari.* Impedimentum autem hoc, cum reſtringat libertatem contracturis matrimonium, pertinet inter odioſa. *Pontas.*

CASUS IX. Leopoldus nomine Theotimi, quem parentes patrinum elegerunt, levat e ſacro fonte infantem.

℟. Nullam contraxit cognationem ſpiritualem cum infante, & ejus patre & matre, *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 2. Idem declaravit Congregatio Cardinalium. Et ratio eſt, quam affert Sylvius; quod procurator non agat proprio nomine. *Pontas.*

CASUS X. Marcellinus rogatus ab Ambroſio, ut infantem pariturae ſuæ uxoris e ſacro fonte ſuſciperet, in exteram Regionem proficiſci coactus conſtituit Marcum, ut ſuo nomine patrinum ageret.

℟. Juxta opinionem probabiliorem contraxit Marcellinus cognationem ſpiritualem cum infante & ejus patre & matre juxta regulam juris 72. in 6. *Qui facit per alium, perinde eſt ac ſi faciat per ſe ipſum*: alias enim ſequeretur, quod ejusmodi infans nullum prorſus haberet patrinum; cum procurator non contrahat cognationem ſpiritualem. *Pontas.*

CASUS XI. Apollonius parochus ignorans, a Concilio Tridentino prohibitum eſſe, ne plures quam unus & una in patrinos admittantur, in gratiam Domini ſuæ parochiæ duos Patrinos admittit.

℟. Concilium ſtatuit, talem parochum juxta arbitrium Epiſcopi eſſe puniendum; & cum in tali caſu nihil ſtatuat de cognatione ſpirituali, videtur, omnes patrinos & patrinas contrahere cognationem ſpiritualem cum infante, & ejus paren-

parentibus. Securitatis cauſa in tali caſu petenda eſſet diſpenſatio, *Navar. c. 12. n. 39. Pontas.*

CASUS XII. Bertoldus in Baptiſmo agens patrinum Marthæ, durantibus omnibus ceremoniis nec tenuit nec attigit infantem.

℟. Videtur, ad contrahendam cognationem ſpiritualem neceſſitate abſoluta non requiri, ut infans tangatur; adeoque Bertoldus patrinum agens veram contraxit cognationem ſpiritualem. Ita ſentit *Sylvius in ſuppl. S. Thom. q. 56. art. 3. Pontas.*

CASUS XIII. Quatuor perſonis ſe ad levandum e ſacro fonte infantem offerentibus parochus oblitus eſt deſignare eas, quas conformiter ad Concilium Tridentinum admittere poſſet.

℟. Licet parochus peccaverit contra conſtitutionem Concilii plures quam duas perſonas admittendo, haud dubitandum tamen videtur, omnes quatuor contraxiſſe cognationem ſpiritualem. Bonifacius VIII. in cap. *Quamvis* fin. de cognat. ſpirit. in 6. *Pontas.*

CASUS XIV. Gracilianus patrinus in Confirmatione Benedicti poteſtne validum matrimonium contrahere cum ſorore hujus infantis?

℟. Poteſt contrahere cum ſorore, non autem cum matre Benedicti, quacum eandem cognationem ſpiritualem contraxit, ac ſi Benedictum e ſacro fonte levaſſet. Concil Trid. ſeſſ. 26. de reform. matrim. c. 2. *Ex Confirmatione*, inquit Bonifacius VIII. *ſpiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, matrimonia ſimiliter impediens contrahenda, & dirimens poſt contracta. Pontas.*

CASUS XV. Berta levat infantem ex baptiſmo, ignorans eſſe filium proprii ſui mariti ex concubina.

℟. Si Berta habuit intentionem vere exercendi munus matrinæ, ut ab Eccleſia inſtitutum eſt, cognationem ſpiritualem contraxit cum infante & concubina. Probabilius autem eam non contraxit cum proprio marito; quod deducitur ex Decretali Alexandri III. c. 2. de cognat. Spirit. C. B.

CASUS XVI. Sergius tenuit infantem in baptiſmo privatim adminiſtrato, ac poſtea in Eccleſia, dum ſupplebantur ceremoniæ.

℟. Non contraxit cognationem ſpiritualem; quia juxta praxin Eccleſiæ hoc impedimentum non incurritur, niſi dum quis officio patrini fungitur in baptiſmo ſolemni: patrini enim proprie loquendo ſolum inſtituti ſunt pro baptiſmo ſo-

lemni. Cum ergo Sergius non tenuerit infantem in Baptiſmo ſolenni, dicendum eſt, eum non contraxiſſe impedimentum cognationis ſpiritualis. C. B.

CASUS XVII. Sergius adminiſtrat Sacramentum Baptiſmi cuidam infanti jamjam morituro abſque ceremoniis, patrinum agente Cajo. Patre infantis quoque mortuo mater nubere cogitat Sergio aut Cajo.

℞. Poteſt Cajo nubere; quia patrinus non contrahit cognationem ſpiritualem niſi in Baptiſmo ſolemni. Non poteſt autem nubere Sergio; quia ſolemnitas non eſt neceſſaria ad hoc, ut parentes infantis baptizati contrahant cognationem ſpiritualem cum illo, qui baptiſmum contulit. C. B.

CASUS XVIII. Titius non confirmatus patrinum agit in Confirmatione Petri Bertæ filii. Poteſtne Berta mortuo marito nubere Titio?

℞. Probabilius eſt, eam poſſe; quia nondum confirmatus non poteſt eſſe patrinus in confirmatione; & ideo non contrahit ullam cognationem ſpiritualem. In hoc caſu igitur non datur impedimentum dirimens matrimonii Titium inter & Bertam contrahendi. C. B.

CASUS XIX. Paulus ducturus Sejam vult eſſe patrinus ſororis Sejæ confirmandæ.

℞. Juxta praxin Eccleſiæ & Pontificale Romanum non licet viro agere patrinum fœminæ, nec fœminæ patrinam viri. Si tamen id contigiſſet in hoc caſu, Paulus non contraxiſſet impedimentum cum Seja; quia cognatio ſpiritualis ſolum intercedit inter patrinum & confirmatum, ac patrem & matrem confirmati. C. B.

CASUS XX. Dubitatur de valore baptiſmi a rudi obſtetrice collati; qua de cauſa infans rebaptizatur ſolemniter. Mortuo patre infantis patrinus vult nubere matri viduæ. An obſtat impedimentum cognationis ſpiritualis?

℞. Obſtat; nam ſicut fieri potuit, baptiſmum primum fuiſſe invalidum, ita fieri potuit, ſecundum eſſe validum. Stat igitur præſumptio pro impedimento, quod matrimonium patrinum inter & matrem infantis reddit nullum. C. B.

CASUS XXI. Vitalis urgente extrema neceſſitate proprium babtizat filium. Num contraxit cognationem ſpiritualem cum Berta matre infantis?

℞. Si Berta eſt legitima uxor, Vitalis non contraxit cognationem ſpiritualem cum ea: ſequeretur enim, hac ratione pœnam incurri ob actionem potius laudandam quam vituperandam. Verum ſi Berta non eſt legitima Vitalis uxor, contraxerunt cognationem ſpiritualem, quæ futurum matrimonium dirimeret. C. B.

NOTA.

Nota. Alii non minus probabiliter cenſent, hanc legem non eſſe pœnalem.

CASUS XXII. Fortunius tenet infantem ad Baptiſmum per procuratorem. Quisnam contrahit cognationem ſpiritualem huic actui annexam?

℟. Fortunius ſolus, & non procurator ejusdem, incurrit cognationem baptiſmo annexam. Ita declaravit ſacra Congregatio 29. Martii 1582. & 15. Martii 1631. Et ratio eſt; quia actus non tribuitur exequenti, ſed mandanti. Sicut in matrimonio per procuratorem inito non procurator, ſed procurans & mandans tanquam perſona principalis matrimonii vinculo ligatur, ita & in hoc caſu Fortunius impedimento cognationis ſpiritualis ſtringitur Valet hic regula: *qui per alium tenet, per ſe ipſum tenere cenſetur.* C. B.

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS LEGALIS.

Cognatio legalis contrahitur per adoptionem a jure introductam in favorem eorum, qui filios non habent. Duplex datur adoptio, una dicitur *Adrogatio, ſeu arrogatio* & eſt *perſonæ ſui juris in alienam familiam aſſumptio.* Altera vocatur *adoptio ſimplex* ſeu civilis, qua adoptatur perſona licet adhuc exiſtens ſub poteſtate patris, & hæc adoptio definitur: *Filiifamilias in aliam familiam adoptio.*

CASUS I. Blaſius recens parochus in jure parum verſatus, quærit, an omnis adoptio ſit impedimentum dirimens matrimonii.

℟. Exponendum illi eſt, duplicem dari adoptionem; unam, quæ eſt *perfecta* adoptio & dicicur *Adrogatio*, qua ille, qui adoptatur, tranſit ſub poteſtatem adoptantis, & huic ſuccedit ut filius aut hæres ipſius; quæ adoptio ſit ſolius Principis authoritate: & alteram, quæ *ſimplex* vocatur *adoptio*, & ſola Magiſtratus authoritate ſit, quin perſona adoptata tranſeat ſub poteſtatem adoptantis, aut jus hæreditatis aquirat. Sola prima adoptio eſt impedimentum dirimens matrimonii. Altera nullam prorſus inducit cognationem. Sic docent S. Thomas, & Sylvius cum pluribus aliis primæ notæ Auctoribus. *Pontas.*

CASUS II. Blaſius iterum quærit, quot dentur ſpecies cognationis legalis proprie dictæ, matrimonium illicitum aut invalidum reddentis?

℞. Reſpondendum illi, tres dari ſpecies, *prima* eſt aſcendentium & deſcendentium in linea recta, quæ nimirum oritur inter adoptantem, & adoptatum & eos, qui ab adoptato deſcendunt usque ad quartum gradum incluſive; & hæc eſt impedimentum dirimens matrimonii etiam poſt diſſolutionem adoptationis aut emancipationem adoptati. *Secunda* ſpecies eſt collateralis, & oritur inter adoptatum & filium vel filiam naturalem adoptantis; & ulterius ſe non extendit. Iſta cognationis legalis ſpecies eſt impedimentum dirimens ſolum pro eo tempore, quo adoptatus ſub poteſtate adoptantis manet. *Tertia* denique cognationis legalis ſpecies aliquo modo convenit cum affinitate, & contrahitur inter uxorem adoptati & adoptantem, & inter adoptatum & uxorem adoptantis; iſthæc ſpecies legalis cognationis diſſolvit matrimonium eodem modo ut prima ſpecies. *Pontas.*

CASUS III. Blaſius demum quærit, an detur cognatio legalis inter adoptantem & matrem adoptati, & inter Petrum & Joannam adoptatos ab Antonio.

℞. Nulla datur in utroque caſu cognatio; & hinc libere poſſunt ſibi invicem nubere, ſicut patrinus & matrina eundem infantem levantes ex fonte baptiſmi. Ratio eſt; quia jura nullam faciunt mentionem de cognatione in ejusmodi caſibus, & alia impedimenta locum non habent niſi in jure expreſſa. Sic ſentiunt D. Thomas, Sylvius & alii Theologi ac Canoniſtæ. *Pontas.*

CASUS IV. Archamboldus triginta annos natus vult adoptare Joſephum, qui decem & octo ætatis annos numerat.

℞. Non poteſt eum legitime adoptare: requiruntur enim quædam conditiones, quibus non concurrentibus locus haud eſt adoptioni. Sunt autem ſequentes. 1. Ut adoptans ſit aut fuerit conjugatus, aut ſaltem in ſtatu ineundi conjugium. 2. Ut ætatem viginti quinque annorum habeat, & ſui juris ſit. 3. Ut adoptans octodecim annis ætate excedat adoptatum. Jure adoptandi inſuper privati exiſtunt, qui utroque teſte carent. Eodem jure etiam non gaudent fœminæ vi legis Juſtiniani: *ſed ex indulgentia Principis ad ſolatium liberorum amiſſorum adoptare poſſunt. Pontas.*

CASUS V. Eduardus a Jacobo adoptatus poteſtne valide matrimonium inire cum filia illegitima Jacobi?

℞. Communior opinio, quæ videtur verior, eſt, quod poſſit valide contrahere: leges enim civiles non cenſent liberos illegitimos inter veros liberos patris quoad effectus civiles, inter quos referendi ſunt effectus adoptionis. Parochus

chus in ejuſmodi difficultatibus, ſi quæ emergant, quod rariſſime fit, Juriſperitos conſulat. *Pontas.*

IMPEDIMENTUM AFFINITATIS.

1. Affinitas provenit ex copula Carnali ſine ulla parentela naturali: hæc poſteriora verba diſtinguunt affinitatem a conſanguinitate, licet utraque eandem originem habeat. Affinitas contrahitur a marito ſolum cum conſanguineis ſuæ uxoris, & ab uxore contrahitur ſolum cum conſanguineis ſui mariti, quin tamen utriuſque conſanguinei affinitate aliqua inter ſe jungantur. Itaque duo fratres duabus nubere poſſunt ſororibus.

2. Impedimentum affinitatis proveniens ex copula carnali conjugali ſe extendit ad eoſdem gradus, ad quos ſe extendit parentela naturalis, nimirum ad quartum uſque gradum. Unde ut ſciatur, in quoto gradu Jacobus maritus Luciæ ſit affinis cum conſanguineis ſuæ uxoris, prius ſciri debet gradus horum conſanguineorum, idem dicendum de uxore reſpectu mariti.

3. Affinitas proveniens ex copula carnali illicita ſe tantum extendit ad ſecundum gradum.

CASUS I. Theogenes duxit Eliſabetham; ſed ante conſummationem matrimonii factus eſt viduus. Poteſtne ſecundas nuptias celebrare cum Maria conſanguinea ſuæ uxoris in tertio gradu, quin opus habeat diſpenſatione?

℟. Poſſet quidem, affinitate, quam non contraxit cum conſanguineis uxoris ſuæ, haud impeditus: dicit enim S. Thomas: *Quantumcumque aliquis clauſtra pudoris invadat vel frangat, niſi commixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur ex hoc affinitas.* Obſtat autem impedimentum publicæ honeſtatis, quod ſe extendit ad quartum uſque gradum. Et quoad hoc diſpenſatione indiget, ſine qua matrimonium foret invalidum. *Pontas.*

CASUS II, Maria nupſit Petro, eoque mortuo ſecundas nuptias iniit cum Titio, qui poſt mortem Mariæ uxoris ſuæ duxit Annam. Poſſuntne frater aut ſoror Petri nubere conſanguineis Mariæ & Titii?

℟. Juxta jus antiquum dabantur tria genera affinitatis, quæ Pithæus his verbis exprimit: *Frater uxoris mihi primo gradu affinis eſt; uxor ejus ſecundo gradu; ſoror uxoris primo gradu; maritus eſt ſecundo; uxor ſecunda iſtius mariti tertio.* Hodie ſolum primum genus affinitatis adhuc in uſu eſt. Ex quo ſequitur, fratrem aut ſororem Petri poſſe nubere con-

ſanguineis Mariæ & Titii, affinitate ſecundi ac tertii generis per Concilium Lateranenſe penitus ſublata. *Pontas.*

CASUS III. Florinus duxit Gallianam viduam Jacobi, a quo ſuſcepit filiam nomine Mœviam: Ludovicus filius Florini poteſtne valide & licite ducere Mœviam?

℟. Poteſt: affinitas enim non parit affinitatem. *S. Thom. in 4. diſt. 11. q. 1. art. 1. q. 5. ad 6. Pontas.*

CASUS IV. Chriſtianus mortua Suſanna factus viduus poteſtne aliquam illius conſanguinearum ducere?

℟. Valide non poteſt ducere ullam conſanguinearum ſuæ uxoris niſi ultra quartum gradum: affinitatis enim effectus continuatur etiam poſt mortem eorum, qui eam contraxerunt. *Idem ibidem q. 2. in corp. Pontas.*

CASUS V. Tetradius peccavit carnaliter cum Tertulla.

℟. Non poteſt valide contrahere matrimonium cum aliqua conſanguinea hujus puellæ in primo & ſecundo gradu: affinitas enim naſcitur non minus ex fornicatione, licet vi extorta, quam ex actu conjugali. Idem ſentiendum de Tertulla intuitu conſanguineorum Tetradii. Verum iſte & illa valide poſſunt contrahere matrimonium cum conſanguineis reſpectivis in tertio & quarto gradu. *Pontas.*

CASUS VI. Daturne impedimentum dirimens affinitatis in tertio gradu inter duas perſonas, quarum una nata eſt ex fornicaria copula v. g. inter Stephanum & Mariam in ſequenti tabella.

	NICOLAUS pater	
JOANNIS qui erat pater	&	MAGDALENÆ illegitimæ, quæ erat mater
LUDOVICÆ quæ erat mater		JOANNIS qui erat pater
MARIÆ.		CATHARINÆ uxoris STEPHANI.

Quæritur jam, utrum Stephanus poſt mortem Catharinæ absque diſpenſatione ducere poſſit Mariam.

℟. Ex principiis initio hujus articuli poſitis de affinitate, quam maritus & uxor contrahunt, & de ejusdem extenſione, manifeſte ſequitur, Stephanum poſt mortem uxoris ſuæ Catharinæ absque diſpenſatione ducere haud poſſe Mariam, intercedente eos inter impedimento dirimente, affinitate ſcilicet

licet in tertio gradu, eaque legitima; quia provenit ex matrimonio legitime contracto inter Stephanum & Catharinam; idque non obſtante quod Catharina uxor Stephani conſanguinitatem cum Maria ſolum contraxerit per fornicationem Magdalenæ aviæ ſuæ, ex qua Joannes pater ipſius ortus eſt: conſanguinitas enim illegitima æque ac legitima conſtituunt impedimentum dirimens, quod ſe juxta Concilium Tridentinum extendit usque ad quartum gradum. *Pontas.*

CASUS VII. Geduinus mortua Juſtina viduus vult ducere Agadremam, quam Juſtina ſuſcepit in primo ſuo matrimonio cum Alexandro.

℟. Non poteſt eam licite ducere, licet Roma diſpenſationem obtineret; quæ tamen dari non poteſt, cum hic detur affinitas in primo gradu lineæ rectæ. *Pontas.*

Vide *Diſpenſat. Matrim. Caſ.* 3.

CASUS VIII. Petrus Mariam conjugem prima vice carnaliter cognoſcens fregit virginitatis clauſtrum, ſed extra vas ſemen effudit.

℟. Nullam in tali caſu patet exurgere affinitatem inter Petrum & uxoris conſanguineas. *S. Thom. in* 4. *diſt.* 42. *q. un. art.* 1, *q.* 4. *ad* 2. *Pontas.*

CASUS IX. Si quis intra vas muliebre ſemen emitteret, ſine membri genitalis introductione?

℟ Certum videtur, quod ex ejusmodi copula affinitas exurgeret; quoniam oritur ex ſeminum mixtione quæ hic adeſt. *Sylvius in Suppl. S. Thom. q.* 55. *art.* 3. *Pontas.*

Nota. Circa ejusmodi quæſtiones non turpiter litigandum, ſed ex effectu vel matrimoniali debito de actu ad generationem idoneo præſumendum eſt.

CASUS X. Carolus vult ducere Cœciliam, quæ ex communi rumore ſcit, illum illicitum habuiſſe commercium cum matre ipſius.

℟. Non tenetur fidem adſtruere communi & vago rumori; e contrario potius debet hunc rumorem ut injurioſum ſuæ matri & male fundatum habere, & tali modo poteſt nubere Carolo. Parochus aliunde certitudinem non habens hujus illiciti commercii non poteſt illis denegare conjunctionem, cum per hoc injuſte crearet ſcandalum, quo rumor confirmaretur, & ex incerto fieret certus. *Pontas.*

CASUS XI. Titius petit & obtinet diſpenſationem in impedimento affinitatis ortæ ex peccato commiſſo cum matre ſuæ ſponſæ. Interea vero detegitur, peccaſſe Titium cum ſorore ſuæ ſponſæ, non autem cum matre illius.

℟.

℞. Impedimentum non obſtante errore ſublatum eſt; quia circa affinitatem ortam ex copula illicita non neceſſario exprimendum eſt, an ſit in linea recta vel collaterali. Cum igitur iſta expreſſio non requiratur abſolute, ſequitur diſpenſationem non invalidari per hoc, quod in relatione hæc linea poſita fuerit loco alterius. C. B.

IMPEDIMENTUM PUBLICÆ HONESTATIS.

Honeſtas publica eſt propinquitas proveniens ex matrimonio rato, non conſummato & ex ſponſalibus validis. Stante hoc impedimento ab Eccleſia inſtituto valide non poteſt contrahi matrimonium. Ingens tamen eſt diſcrimen inter hanc propinquitatem ortam ex matrimonio rato non conſummato, & ortam ex ſponſalibus validis: illa enim matrimonium reddit invalidum uſque ad quartum gradum inter maritum & conſanguineos uxoris, ac inter uxorem & conſanguineos mariti; hæc autem ultra primum gradum ſe non extendit, & ad hoc quoque requiritur, ut ſponſalia ſint valida.

CASUS I. Palladius cum Antonia invalidum contraxit matrimonium ob impedimentum dirimens; & matrimonium nondum eſt conſummatum.

℞. Licet matrimonium iſthoc ſit nullum, oritur tamen ex eo impedimentum publicæ honeſtatis; ideoque Palladius valide non poteſt ducere conſanguineam Antoniæ in quarto gradu incluſive, poſito quod nullitas dicti matrimonii non proveniat ex defectu conſenſus. Panormitanus *in cap. Sponſam. de ſponſal. & matrim.* Ratio eſt; quia jure antiquo ita inſtitutum, & a jure novo Tridentini quoad hoc nihil reformatum eſt. *Pontas.*

CASUS II. Alodomirus contractis cum Flaminia ſponſalibus poſtea contraxit matrimonium cum illius ſorore Henrica, quod tamen non conſummavit, advertens, matrimonium ſuum eſſe nullum ob impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus cum Flaminia contractis. Correcturus errorem vult ducere Flaminiam; verum dicitur illi, per matrimonium cum Henrica contractum contraxiſſe ſe idem impedimentum relate ad Flaminiam, ideoque eam valide ducere non poſſe.

℞. Male edoctus eſt Alodomirus: nullum enim relate ad Flaminiam contraxit impedimentum per matrimonium cum Henrica initum; licet illud contraxerit reſpectu Henricæ per ſponſalia inita cum Flaminia. Poteſt ergo valide ducere

Flami-

Flaminiam. Prætenſum Alodomiri matrimonium cum Henrica non poteſt conſiderari niſi ad ſummum ſub ratione invalidorum ſponſalium de præſenti ob interveniens impedimentum dirimens. Sponſalia autem ex quocumque demum impedimento invalida juxta declarationem Tridentini ſeſſ. 24. de reform. matrim. c. 3. non inducunt impedimentum publicæ honeſtatis. *Pontas.*

CASUS III. Vitellius ſponſalia inierat cum Sophia Georgii vidua. Poteſtne ea poſt octiduum mortua matrimonium valide contrahere cum Julita Sophiæ filia?

℞. Non poteſt; quia inter eos intercedit impedimentum publicæ honeſtatis. Jure novo Tridentini validum matrimonium non poteſt contrahi cum patre, matre, filiis, filiabus, fratribus & ſororibus eorum aut earum, inter quos valida prius ſubſtiterant ſponſalia. *Pontas.*

CASUS IV. Dominicus initis cum Genovefa ſponſalibus deprehendit, ſe inter & illam obverſari cognationem in quarto gradu, & hinc ſponſalia eſſe irrita.

℞. In hoc caſu non contrahitur impedimentum publicæ honeſtatis. Dictum jam eſt, hoc impedimentum non oriri niſi ex ſpoſalibus certis, abſolutis ac validis. Notandum hic inſuper venit, a Tridentino ad valorem ſponſalium non requiri præſentiam parochi; & hinc, ut probat Sanchez de ſponſal. diſp. 12. n. 2. privatim inita eundem ſortiuntur effectum impedimenti, ac ſi publice & in facie Eccleſiæ fuiſſent inita. *Pontas.*

CASUS V. Clemens ſe deſponſavit Chriſtinæ; ſed ſponſalia poſtea fuerunt diſſoluta.

℞. Producunt tamen impedimentum dirimens publicæ honeſtatis inter Clementem & conſanguineos Chriſtinæ, ac inter Chriſtinam & conſanguineos Clementis primi gradus; idque etiamſi fuerint ſoluta mutuo conſenſu vel per ſententiam judicis eccleſiaſtici. Quando ſponſalia ſemel ſunt valida, reſultans inde impedimentum, juxta declarationem ſacræ Congregationis ab Alexandro VII. confirmatam, non amplius tollitur, etſi vel mutuo conſenſu ſponſorum, vel auctoritate judicis per ſententiam ea diſſolventis, vel morte ipſa alerutrius ſponſorum diſſolvantur. *Pontas.*

CASUS VI. Ceſſelius initis cum Paula ſponſalibus cum ea peccavit. Paulo poſt diſſolutis communi conſenſu ſponſalibus Ceſſelius vi diſpenſationis papalis cogitat nubere Martinæ ſorori Paulæ.

℞. Tenetur abſolute in literis petitoriis pro obtinenda diſpenſatione explicare ſaltem implicite duo impedimenta, ſcilicet affinitatis ex illicita copula, & publicæ honeſtatis. *Pontas.*

CASUS VII. Caliiſtratus contractis cum Nicolaa ſponſalibus contra datam fidem poſtea cum Juliana ſorore Nicolaæ peccavit. Unam harum ducere parat.

℞. Nullam valide poteſt ducere; datur enim impedimentum dirimens publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus cum Nicolaa contractis, & affinitas orta ex fornicatione cum Juliana. Navarr. *c.* 22, *n.* 27. *Manual. &c. Pontas.*

CASUS VIII. Eligius maritus Adrianæ duas habet filias, unam ex ſua uxore, alteram ex concubina, natam ante matrimonium, Saturninus cum prima contraxit ſponſalia; illa autem paulo poſt mortua vult ducere alteram.

℞. Non poteſt eam valide ducere, obſiſtente impedimento publicæ honeſtatis. *In contrahendis matrimoniis*, inquit lex, *naturale jus & pudor inſpiciendus eſt:* læderetur autem & jus & pudor per tale matrimonium. Ad hæc Jus Canonicum non diſcernit inter liberos legitimos & illegitimos quoad conſanguinitatem, affinitatem & cognationem ſpiritualem; & hinc, ut advertit Genettus Theol. mor. t. 4. p. 2. tract. 9. cap. 6. n. 22. nullum quoque diſcrimen faciendum relate ad honeſtatem publicam. *Pontas.*

CASUS IX. Ali Turcicæ Religionis, ſponſalia cum Adelhaide contraxit: ſeque ad Catholicam fidem convertit, paulo poſt renuit illam ducere volens ducere illius matrem, aut ſororem, aut filiam.

℞. Valide id fieri poteſt; ſi Ali iniit ſponſalia adhuc Turca, & antequam religionem Catholicam amplexus eſt; quia tunc non incurrit impedimentum. Impedimentum publicæ honeſtatis, ut advertit D. Thomas, ſolum auctoritate Eccleſiæ inſtitutum eſt: *robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione.* Eccleſia autem ſuis legibus non ligat infideles. *Pontas.*

CASUS X. Quid requiritur ad hoc, ut ſponſalia efficiant impedimentum publicæ honeſtatis, dum contrahitur poſtea cum conſanguinea ſponſi, vel cum conſanguineo ſponſæ?

℞. Haud opus eſt, ut ſponſalia inita fuerint in Eccleſia aut coram parocho; ſed ſufficit, ea inita fuiſſe coram parentibus aut conſanguineis. Attendenda tamen eſt circa hoc conſuetudo diœceſis, in qua quis moratur; & ſi ibi ii pro impedimento dirimente habeatur, Epiſcopus in eo diſpenſare poteſt. *Fromageau.*

NOTA.

Nota. De jure communi perinde eſt, ſive ſponſalia facta ſint coram parentibus & conſanguineis, ſive clam.

CASUS XI. Titius commiſſo cum Catharina peccato facit ſponſalia cum Roſa ſorore Catharinæ; in tempore monitus, quod non poſſit contrahere matrimonium cum Roſa, id ſaltem contrahere intendit cum Catharina. Poteſtne?

℞. Poteſt; nam ſi impedimentum dirimens daretur reſpectu matrimonii inter Titium & Catharinam contrahendi, eſſet impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus inter Titium & Roſam. Sed in caſu propoſito hæc ſponſalia non ſunt valida; adeoque non inducunt impedimentum. C. B.

CASUS XII. Titius contractis cum Roſa ſponſalibus validis peccat cum Francisca Roſæ uterina ſorore. Jam cum neutri nubere poſſit, quærit, an non ducere liceat conſanguineam Roſæ ex linea paterna, aut conſanguineam Franciſcæ ſimiliter ex linea paterna.

℞. Licet ducere conſanguineam Roſæ, non autem conſanguineam Franciſcæ, ſi ſit conſanguinea germana, & copula cum ea fuerit completa ac apta ad generationem. Ratio primi membri reſponſionis eſt; quia Roſa & ejus conſanguinea in ſecundo gradu ſunt cognatione junctæ, & impedimentum publicæ honeſtatis, quod ſolum inter Titium & Roſæ conſanguineam exiſtere poteſt, non ſe extendit ultra primum gradum in ſponſalibus valide contractis. Ratio ſecundi membri reſponſionis eſt; quia Titius peccando cum Franciſca contraxit affinitatem cum cognata ejus in ſecundo gradu; & hæc affinitas ex copula illicita extendit ſe ad hunc gradum. Conſequenter Titius in poſito caſu non poteſt ducere conſanguineam Franciſcæ in ſecundo gradu, ſeu conſobrinam, utpote obſtante impedimento dirimente. C. B.

CASUS XIII. Titius ſponſalibus cum Berta hac conditione contractis, ſi intra ſex menſes dotem haberet centum imperialium, temporis hujus termino non expectato, ante elapſos ſex menſes ſine ulla conditione contrahit ſponſalia cum Franciſca ſorore Bertæ; quæ autem brevi mortua eſt. Poteſtne Titius ducere illius ſororem Bertam?

℞. Poteſt eam ducere; quia ſecunda ſponſalia ſine conditione cum Franciſca contracta invalida erant, cum Titius ea ſine peccato non potuiſſet exequi, utpote ſex menſium termino prioribus ſponſalibus conſtituto nondum elapſo. Sponſalia autem invalida non inducunt impedimentum publicæ

blicæ honeſtatis, quod ſolum nullum reddere potuiſſet matrimonium Titii cum Berta. C. B.

Nota. Aliud eſt contractum eſſe illicitum, & aliud eſſe invalidum. Venditio equi, agri vel domus ſub conditione pendente in futurum poſita in favorem unius contrahentis videtur reſolvi per venditionem abſolutam initam cum alio, favorabiliorem contrahenti principali.

CASUS XIV. Cajus ante annos pubertatis contrahit matrimonium cum Helena. Hac mortua poteſtne contrahere cum Titia ſorore Helenæ?

℟. Non poteſt; nam licet matrimonium ante annos pubertatis initum jure communi habeatur ut nullum, habet tamen vim ſponſalium. Conſtat autem, ex ſponſalibus validis oriri impedimentum publicæ honeſtatis dirimens matrimonium usque ad primum gradum. Cajus ergo non poteſt contrahere cum Titia. C. B.

Nota. Oppoſitum eadem probabilitate defendi poteſt.

CASUS XV. Berta iniit ſponſalia cum Titio, absque intentione tamen illi nubendi, quod & actu recuſavit. Titius nova contrahit ſponſalia cum Caja ſorore Bertæ. Poſt breve tempus; diſſidio Cajam inter & Titium exorto, hic ſecunda vice repetit Bertam, quæ etiam libens annuit.

℟. Diſpenſatione opus eſt: nam quia Berta in ſponſalibus cum Titio contractis intentionem non habuit illi nubendi, evidens eſt, ſponſalia iſta in foro interno non fuiſſe valida, licet habita fuiſſent valida in foro externo. Ex quo ſequitur, etiam ſponſalia Titii cum Caja eſſe invalida pro foro externo, valida tamen pro foro interno. Cum igitur impedimentum publicæ honeſtatis occultum ſit, validum effici poteſt matrimonium Bertam inter & Titium per recurſum ad Pœnitentiariam, quæ in ejusmodi impedimentis diſpenſare poteſt. C. B.

Nota. Si ſponſalia ſint prorſus occulta, reſpiciendum potius ad intentionem, de qua conſtat, quam ad legalem præſumptionem. Et hinc non eſt opus diſpenſatione.

CASUS XVI. Joannes ait ad Franciſcam coram ſacra imagine: hæc imago mihi teſtis ſit, quod te hodie in meam ſponſam eligam. Et ego, reponit illa, te quoque meum eligo ſponſum. Menſe poſt mutuam hanc promiſſionem elapſo moritur Joannes. Poteſtne Franciſca nubere Cajo fratri Joannis?

℟. Non

℟. Non poteſt : quamvis enim hoc promiſſum nec ſit verum matrimonium, utpote non factum coram parocho & teſtibus; nec rationem habeat ſponſalium, quæ tendunt in futurum & non in præſens; nihilominus tamen, cum matrimonium hocce inchoatum ſit ſolum invalidum ex defectu ſolemnitatis, non vero conſenſus, certum eſt, ex illo oriri impedimentum publicæ honeſtatis, contractum per ipſum matrimonium invalidum, dummodo non ſit invalidum ob defectum conſenſus. Franciſca ergo non poteſt nubere Cajo. C. B.

IMPEDIMENTUM ORDINIS.

Impedimentum hoc eos ſolum afficit, qui ſacrum Ordinem receperunt, & quidem in Eccleſia latina : in Eccleſia enim græca uſus matrimonii permiſſus eſt Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, dum matrimonium inierunt ante ordinationem ſuam, quod tamen poſt ordinationem non amplius inire poſſunt; & ſic impedimento hoc tantum ligantur Epiſcopi. Difficultas haud levis eſt in eo, an ſacer Ordo ſuſceptus ex metu gravi, qui poſſit movere etiam virum conſtantem, dirimat matrimonium a ſic ordinato contrahendum. Ad quod reſpondebitur caſu ultimo hujus articuli.

CASUS I. Adolphus matrimonio contracto & conſummato recepit ſacros ordines invita, aut inſcia ſua uxore.

℟. Certum eſt, illum teneri, vivere & morari cum illa ac debitum ei reddere id exigenti; ipſus vero id ab ea petere nequit ſine peccato mortali, cum renunciaverit juri ſuo. Si autem cum conſenſu uxoris ſuæ ordinatus ſit, illa jure non poteſt eum cogere ad cohabitandum, & ſi ad eam rediret, uterque teneretur vivere uti frater & ſoror. Si matrimonium non conſummavit, poſſet invita ſua uxore facere profeſſionem ſolennem Religionis; ad id tamen non teneretur, ſi eum uxor vellet recipere. Hæc omnia intelligenda ſunt in eo caſu, quo uxor marito non dederit ipſa cauſam legitimam divortii perpetui. Sylvius *in Suppl. S. Thom. q. 54. art. 4. Concluſ. 1. &c. Pontas.*

Nota. Cenſeo, eum invita conjuge non poſſe ingredi ordinem; quia matrimonium ſolenne in facie Eccleſiæ ſine animo deliberativo contractum, ac proin ſacramentale, eſt indiſſolubile.

CASUS II. Medardus Acolythus & Prior ſecreto contraxit matrimonium.

℞. Matrimonium Medardi validum eſt, utpote necdum in majoribus Ordinibus conſtituti. Beneficio autem ſuo eo ipſo privatus exiſtit ante ſententiam, nec illud absque peccato ac obligatione omnes fructus durante matrimonio perceptos reſtituendi retinere poteſt. Tres tantum Ordines majores conſtituunt impedimentum dirimens matrimonii, ut conſtat ex Concilio Tridentino & pluribus declarationibus Pontificum. *Pontas.*

CASUS III. Agapius nupſit Mœviæ; matrimonio autem necdum conſummato ſtatum religioſum amplecti cogitat, & ante ingreſſum in Religionem adhuc recipit ſacros Ordines.

℞. Non potuit recipere ſacros Ordines ſine conſenſu uxoris; teneturque conſummare matrimonium, aut emittere ſolemnem profeſſionem religioſam, quæ ſola diſſolvit vinculum matrimonii rati nondum conſummati. *Si quis uxore invita*, inquit Sylvius in Suppl. S. Thom. q. 53 art. 4. concl. 4. *ordinatur ante conſummationem matrimonii, cum animo ingrediendi Religionem, non videtur ex hoc a mortali excuſandus; quia ſe exponit periculo dehoneſtandi ſacrum Ordinem: ſi enim non admittatur ad profeſſionem, manet obligatus ad reddendum debitum. Pontas.*

Nota. Id verum, ſi contraxit matrimonium animo notorie deliberativo per bimeſtre, quæ notorietas haberetur quidem per Statutum Eccleſiæ. Verum Eccleſiam voluiſſe animum deliberativum jungere matrimonio ſolenni, ſeu Sacramento ſignificativo unionis indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia, non admitto.

CASUS IV. Hermocrates invalide Subdiaconatus Ordinem recepit, quem tamen valide recepiſſe ſe credebat, & intentionem habebat ſe voto continentiæ obſtringendi; reſciens autem, ſuam ordinationem fuiſſe nullam, decrevit nubere Annæ.

℞. Non poteſt tuta conſcientia nubere: licet enim ex parte Eccleſiæ ad hoc non ſit inhabilis ob nullitatem ordinationis, coram Deo tamen obligatur ad continentiam, ad quam ſe voto obſtrinxerat. Nihilominus ſi in receptione Subdiaconatus ipſius intentio non fuiſſet determinate ac in ſpecie vovendi continentiam, ſed ſolum in genere ſeſe ſubjiciendi legibus Eccleſiæ huic Ordini annexis, declarata nullitate ordinationis poſſet nubere, & quidem absque diſpenſatione, dummodo id fieri poſſit absque ſcandalo. *Pontas.*

Nota. Cenſeo, Hermocratem poſſe nubere; tum quia incertum eſt, an Subdiaconi ad caſtitatem obligentur ex voto, an ſolum ex præcep-

cepto Eccleſiæ; tum quia hoc votum fuit ſolum acceſſorie Subdiaconatui annexum, ita ut a paucis ſponte emitteretur. Ergo tacite habet ſenſum conditionatum, ut corruente principali corruat acceſſorium.

CASUS V. Fulvia conſenſit, ut maritus ſuſcipiat ſacros Ordines, quo facto ipſamet perpetuam vovit continentiam. Poteſtne remanere in ſæculo, & quidem in eodem loco, in quo degit maritus? Num tenetur in conſcientia Religionem ingredi?

℟. Si maritus nondum eſt Presbyter, ad hunc Ordinem non eſt admittendus ab Epiſcopo, niſi uxor ſe adſtringat ad ſolemnem profeſſionem, maxime ſi juvenili adhuc ætate ſit. Si uxor jam ſeneſcat, Epiſcopus poterit marito conferre presbyteratum, & propoſito uxoris manendi in ſæculo connivere. Poſito demum, quod maritus cum conſenſu uxoris presbyteratus Ordine initiatus jam fuerit, & uxor ſimplex votum continentiæ emiſerit absque animo ſtatum Religioſum amplectendi, ea nec vi voti nec ex alio motivo poteſt compelli ad ingreſſum in Religionem. Nihilominus ex præcepto charitatis tenetur evitare omnem occaſionem ſcandali, &, ſi nolit in monaſterium, ſaltem eo ſe conferre, ubi ut uxor Presbyteri nota non ſit, donec provectior ætas omnem ſiniſtram ſuſpicionem amoveat. Et hæc reſponſio concordat cum Decretalibus Alexandri III. & Innocentii III. & cum doctrina S. Thomæ. *Pontas.*

CASUS VI. Renatus ſuſcepit Subdiaconatum cum formali ac expreſſa intentione ſe non obſtringendi voto continentiæ. Nupſit ergo paulo poſt. Num validum hoc matrimonium?

℟. Eſt invalidum non obſtante intentione menti Eccleſiæ contraria, qua ſacrum recepit Ordinem. Incurrit inſuper excommunicationem & irregularitatem. *Si quis*, ait Concilium Tridentinum Seſſ. 24. c. 9. *dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica vel voto, anathema ſit.*

Nota. Etiamſi teneret ſententiam, Subdiaconos ad caſtitatem ſolum obligari ex præcepto Eccleſiæ, nihilominus incurreret cenſuram & irregularitatem.

CASUS VII. Si Renatus contra ſuam voluntatem fuiſſet gravi metu adactus ad recipiendos ſacros Ordines, ac ſi propterea fuiſſet expreſse proteſtatus, quod nolit ſe obſtringere voto continentiæ, ſed quod velit nubere; an ine-

nihilominus matrimonium poſtea ab eo contractum foret invalidum?

℟. Ordo ſacer, licet modo præfato ſuſceptus, ſemper conſtituit impedimentum dirimens; & hinc matrimonium Renati foret invalidum. Quamvis quis metu gravi compulſus ordinaretur, teneretur tamen ad cœlibatum vi ſtatus ſui, etſi non vi voti, & fieret inhabilis ad contrahendum matrimonium. *Pontas.*

Nota. 1. Rota quandoque decidit oppoſitum. Dantur quoque Jurisconſulti, maxime Galli, qui exiſtimant, quod ille, qui violentia adactus recepit ſacros Ordines, non indigeat Brevi Pontificio pro reſtitutione ſua in ſtatum priſtinum, & exemptione ab obligationibus per ordinationem contractis, ſed ab Officiali diœceſis ſuæ poſſit reſtitui. Ratio eſt; quia in ejusmodi caſu non agitur de diſpenſatione in voto caſtitatis Ordinibus ſacris annexo, ſed ſolum de judicio ferendo, an votum in Ordinatione emiſſum ſit violenter extortum & nullum ſit. Non deſunt inſuper exempla, quod Subdiaconis ſine diſpenſatione Pontificia obligationes Ordinis fuerint relaxata. Nihilominus, cum plures magni nominis Doctores ſentiant oppoſitum, tutius erit, ſi per violentiam aut gravem metum ad recipiendum ſacrum Ordinem compulſis ejusmodi relaxatio fiat per Breve Pontificium. C. A.

Nota 2. Si probaret Renatus metum aut violentiam in continenti indiciis veroſimilibus, poſſet & deberet diſpenſari, aut potius abſolvi; quia Eccleſia ſemper abhorruit a miniſtris coactis.

IMPEDIMENTUM DISPARIS CULTUS.

Per diſparem cultum intelligitur diſparitas ſeu differentia Religionis inter contrahentes matrimonium, dum ſcilicet unus eſt Chriſtianus & alter paganus aut infidelis, aut una pars contrahentium eſt catholica & altera hæretica. De hac diſparitate hic agitur. Quamvis catholicus peccet ineundo matrimonium cum hæretica, vel catholica cum hæretico, matrimonium tamen eſt validum; quod dici haud poteſt de matrimonio inter Chriſtianum & infidelem, licet catechumenam.

CASUS I. Marinus Chriſtianus duxit Hildegardem infidelem. Eſtne iſtud matrimonium licitum, ac etiam validum?

℟. Etſi matrimonium hoc jure naturali aut divino non ſit invalidum; quia tam in lege naturæ quam Moſaica, imo primis quoque Eccleſiæ ſæculis reperiuntur talium matrimoniorum exempla: nihilominus conſtans ac univerſalis Eccleſiæ praxis ejusmodi matrimonia ſapientiſſime annullat. Baptiſmus eſt fundamentum omnium Sacramentorum, & *ubi fundamen-*

mentum non eſt, ait Innocentius III. *ſuperædificari non poteſt. Pontas.*

CASUS II. Selimus infidelis, factus Chriſtianus tres habuit uxores; primam repudiavit juxta ſuam Mahometanam legem; ſecunda eſt ipſi conſanguinea in ſecundo gradu lineæ collateralis; & tertia, quæ ipſi cognatione nullatenus juncta eſt, ſe convertit. Omnes iſtæ tres cum ipſo volunt commorari, & in pace ac unitate vivere. Quam e tribus his poteſt aut debet retinere pro legitima uxore?

℟. Tenetur in conſcientia recipere primam; quod ſi nollet, neutram ex reliquis duabus retinere poſſet, ſed deberet vivere in continentia. Repudiatio primæ uxoris eum non eximit ab obligatione denuo recipiendi illam; quia Eccleſia, cujus membrum per baptiſmum evaſit, non agnoſcit ejusmodi genus divortii ab ipſo Chriſto abrogatum. Sic ſentiunt Innocentius III., S. Thomas, & plures alii graviſſimi Authores. *Pontas.*

Nota. Bene reſpondet Pontaſius; quia licet matrimonium infidelium ſit contractus mere civilis, eſt tamen jure naturali indiſſolubilis, & monogamus. Teneretur tamen Selimus reliquis duabus providere de ſuſtentatione, ſi poteſt.

CASUS III. Achmetus & Æmilia, infideles & conſanſanguinei in gradu prohibito, ſe matrimonio jungunt; paulo poſt vero Achmetus fit Chriſtianus.

℟. Si conſanguinei ſunt in gradu prohibito jure divino, non poſſunt continuare matrimonium, ſed tenentur ſe ab invicem ſeparare pro ſemper: ſi vero gradus conſanquinitatis ſolum prohibitus ab Eccleſia eſt, debent ſimul habitare ut prius ſi uterque in id conſentiat; & non eſt neceſſarium, ut ſuppleant ea, quæ a Concilio Tridentino præſcribuntur ad validitatem matrimonii. *Pontas.*

CASUS IV. Mahometus Turca ductis quinque uxoribus fit Chriſtianus, idem faciunt omnes quinque uxores. Quam illarum retinere debet?

℟. Solam primam retinere poteſt; & ſi hæc perſeveraret in ſua infidelitate, & nollet vivere pacifice cum ſuo marito ob Religionis mutationem, Mahometo liberum eſſet eligere illam ex reliquis quatuor, quæ ſe converterit: verum de novo contrahendum eſſet matrimonium juxta Eccleſiæ formam. Ita denuo docet S. Thomas. *Pontas.*

CASUS V. Haſſanus & Sophia infideles matrimonio ſe junxerunt, & illud conſummarunt. Sophia vero facta eſt Chriſtiana, & ſolemnem Religioſi Ordinis emiſit profeſſionem.

An matrimonium eſt diſſolutum quoad vinculum, cum maritum ſuper hoc non conſuluerit?

℞. Non poteſt cogi Sophia, ut monaſterio egrediatur, & poſt profeſſionem ſuam ad maritum redeat. Ita ſentiunt S. Bonaventura & Sylvius. Ratio eorum eſt; quod matrimonium infidelium proprie loquendo non ſit Sacramentum, ſed ſolum contractus naturalis ac civilis, & conſequenter non indiſſolubilis. Verum Eccleſia hac in re nil certi ſtatuit. Optimum foret, ſi emergente fors caſu ſummæ Sedis judicium expeteretur. *Pontas.*

Nota. Cenſeo, quod profeſſio ſit nulla, & quod teneatur redire ad maritum, ſi velit pacifice cohabitare.

CASUS VI. Solimanus factus eſt Chriſtianus; Irena vero ipſius uxor exemplum mariti non eſt ſecuta. An Solimanus Presbyter aut Religioſus fieri poteſt?

℞. Si illa in ſua infidelitate perſeverare ſtatuit, maritus poteſt recipere Ordines; & poſtea non amplius tenebitur redire ad eam, etiam converſam. *Pontas.*

Nota. Si uxor velit pacifice cohabitare, tenetur eam recipere.

CASUS VII. Sergius catholicus duxit Berenicen catechumenam, quæ ocyus baptiſmum ſe recepturam ſpopondit. Eſtne matrimonium hoc validum?

℞. Eſt invalidum; licet ejusmodi matrimonia aliquando fuerint valde uſitata in primitiva Eccleſia, & Concilia Calcedonenſe & Agathenſe de anno 506. ea permittere videantur. Ratio, ex qua nullitas hujus matrimonii evincitur, eſt; quia perſona needum baptizata ſemper reputatur ut infidelis, etſi baptizari deſideret. Hinc matrimonium Chriſtiani cum catechumena jure eccleſiaſtico eſt nullum, & ſolum habet rationem contractus naturalis ac civilis. *Pontas.*

CASUS VIII. Januarius catholicus duxit Juditham hæreticam vel excommunicatam denunciatam. Eſtne matrimonium validum?

℞. Eſt validum: caracter enim in baptiſmo receptus facit vinculum indiſſolubile. *Pontas.*

Nota. Non exſtat lex naturalis, nec divina poſitiva, nec eccleſiaſtica, quæ ejusmodi matrimonia nulla declaret. Indulgentior nunquam non erat Eccleſia hæreticis quam paganis ac Judæis ratione baptiſmi, qui hæreticis & catholicis communis eſt, & utrisque viam pandit ad reliqua Sacramenta. Rationem hanc ipſe S. Thomas tetigit in 4. ſent. diſt. 39. q. 1. art. 1. Pro roborando magis valore horum matrimoniorum poteſt addi, quod, ſi ex duobus conjugibus catholicis una pars labatur in hæreſin, matrimonium tamen ſubſi-

ſtat

ſtat juxta Concilium Tridentinum, quod ſeſſ. 24. Can. 5. anathema pronunciavit contra docentes, matrimonium poſſe diſſolvi per hæreſin. C. A.

CASUS IX. Gerundius catholicus duxit Gabrielam hæreticam, eximiis ejusdem dotibus, ſapientia, natalibus ac divitiis captus. Peccavitne?

℞. Peccavit mortaliter: Sacramentum enim matrimonii confert gratiam ſponſis; perſona autem hæretica eſt indigna & incapax ad eam recipiendam, utpote a corpore Eccleſiæ ſegregata per excommunicationem. Sacerdos inſuper benedicens ejusmodi nuptiis peccat mortaliter. Concil. Narbon. 1609. c. 28. *Pontas.*

Vide *Diſpenſatio in matrimonio. Caſ.* 33. & 34.

Nota. 1. Talia matrimonia prohibentur per Canones Eccleſiæ tam orientalis quam occidentalis, imo in Gallia per ipſa edicta Regia, nominatim per edictum menſis Novemb. 1680. in quo quoad effectus civiles prorſus invalida declarantur. Motiva Eccleſiæ prohibendi hæc matrimonia poſſunt reduci ad tria, ſcilicet ad periculum ſubverſionis fidei, ad malam educationem prolium, & ad diſſidia, quæ ordinarie vigent inter perſonas diverſæ Religionis. C. A.

Nota. 2. Si hæreticus ſupponatur conſtitutus in ignorantia invincibili, erit etiam capax gratiæ Sacramentalis. Accedit, quod contrahentes non ſint Miniſtri gratiæ Sacramentalis, ſed Sacerdos, cujus intentio poteſt reſtringi ad ſubjectum capax gratiæ. Ex reſponſo ſequeretur, omnia matrimonia Chriſtianorum cum ethnicis antiquitus fuiſſe illicita.

CASUS X. Theodorus & Daniela catholici matrimonium inierunt; ſed Daniela, quæ haud ita pridem catholicam religionem amplexa fuerat, relabitur in priſtinam infidelitatem aut hæreſin, maritumque ab exercitio ſuæ religionis pro viribus avertere conatur, ac conſtanter de ea loquitur cum contemptu ac blaſphemiis. Diſſolviturne matrimonium quoad vinculum?

℞. Quidquid moleſtiarum Daniela creet Theodoro, matrimonium hoc manet indiſſolubile; nec licet Theodoro vivente Daniela aliam ducere uxorem, imo invalide duceret, ut patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. de matrim. c. 5. Et hoc ipſum reſpondendum, etſi matrimonium necdum fuerit conſummatum. *Pontas.*

Vide *Caſ.* 8.

Nota. Poterit tamen petere divortium.

CASUS XI. Valerius catholicus & Paulina hæretica matrimonium inierunt hac conventione facta, ut filii ex hoc

conjugio procreandi paternæ, filiæ vero religionis maternæ principiis imbuantur.

℞. Conventio hæc graviter peccaminoſa eſt: pater enim nunquam poteſt conſentire in æternam perditionem liberorum ſuorum. *Pontas.*

Nota. Sciendum, quod a Proteſtantibus in Germania in locis, ubi viget mixta religio pueris & puellis poſt adeptos annos majoris diſcretionis circa res religionis relinquatur libertas eligendi religionem, quam voluerint; & ideo illa conventio non eſt conſenſus in æternam liberorum perditionem. Accedit, quod tam liberis quam Eccleſiæ ſit exoptabilius, habere unam ſaltem partem ex parentibus catholicam, quam neutram.

Vide *Divortium* Caſ. 14. 15. 22. & 23.

IMPEDIMENTUM CLANDESTINITATIS.

Verbum *clandeſtinitas* haud multum in uſu eſt niſi in ſtylo curiæ. Ex defectu formalitatum res dicitur clandeſtine facta. Hic ſolum agitur de matrimonio clandeſtine contracto, id eſt, absque formalitatibus requiſitis, quarum aliæ ſunt ſolum de præcepto & accidentales ut trina denunciatio; aliæ autem de neceſſitate & eſſentiales, ut aſſiſtentia proprii parochi, vel de ejus licentia alterius Presbyteri, & juxta Concilium Tridentinum præſentia ſaltem duorum teſtium; & absque his poſterioribus formalitatibus matrimonium foret invalidum. Variæ ab Eccleſia pœnæ decernuntur in transgreſſores harum legum. Principum ſæcularium non eſt quidpiam ſtatuere circa matrimonium, niſi ſub ratione meri contractus civilis conſideratum, & in ordine ad effectus civiles.

CASUS I. Sergius & Apollonia factis inter ſe ſponſalibus per verba de futuro in præſentia parochi, duorum teſtium ac propinquiorum conſanguineorum, paulo poſt matrimonium contraxerunt per verba de præſenti, & ex eo tempore vixerunt inſtar mariti & uxoris affectu conjugali.

℞. Valida quidem erant ejusmodi matrimonia ante Concilium Tridentinum, & adhuc ſunt in locis, ubi Concilium quoad hoc nec receptum nec publicatum eſt, quia lex poſitiva nec recepta nec publicata non obligat; ſed poſt Concilium irrita ſunt & clandeſtina. Si igitur Sergius & Apollonia degunt in loco, ubi Tridentinum quoad hoc punctum diſciplinæ receptum eſt, non ſunt vere conjugati: conſenſus enim requiſitus ad legitimum matrimonium debet exprimi per

verba

verba de præſenti in præſentia proprii parochi & duorum teſtium. Promiſſio per verba de futuro non niſi vim ſonſalium habet. *Pontas.*

CASUS II. Joannes Presbyter ſæcularis aſſiſtebat matrimonio quaſi parochus contrahentium, licet non eſſet revera parochus, & aſſiſtendi licentiam nec ab Epiſcopo nec a proprio contrahentium parocho haberet.

℞. Matrimonium eſt nullum, & Presbyter iſte ſæcularis aut regularis ſuſpenſionem incurrit ipſo jure, a qua non niſi ab Epiſcopo parochi abſolvi poteſt; imo Presbyter regularis eſt excommunicatus ipſo facto. *Pontas.*

Nota. Ea excommunicatio continetur in *Clement.* I. *de Privil.*

CASUS III. Lambertus Presbyter reſidens in quadam parochia aſſiſtebat matrimonio duarum perſonarum ad licentiam a parocho fraude & mendacio obtentam. Eſtne validum matrimonium?

℞. Si dolus ac mendacium ſolum induxerant parochum ad facilius dandam licentiam, matrimonium eſt validum. Si vero fraus ac mendacium verſabantur circa ipſam cauſam, quæ permoverat parochum ad dandam licentiam, ita ut eam certo non daturus fuiſſet, ſi ſciviſſet cauſam eſſe falſam & ſuppoſititiam, matrimonium erit invalidum: *quid enim*, ut ait lex, *tam contrarium eſt conſenſui quam error. Pontas.*

CASUS IV. Lucilius bona fide in quadam parochia per aliquot dies moratus in præſentia parochi ſe jungit matrimonio cum intentione ſuum domicilium elapſis duobus diebus figendi in alia parochia.

℞. Bona fides matrimonium Lucilii reddit validum. Si vero parochiam ſuam mala fide reliquiſſet, ut ſcilicet ſubtraheret ſeſe authoritati parochi ſui, matrimonium foret nullum ob defectum præſentiæ proprii parochi. Prudentis parochi eſt hac in re conformare ſe conſuetudini diœceſis, ac judicio Epiſcopi ſui. *Pontas.*

Nota. Si Lucilius ſit vagus, ad licitam copulationem requiritur conſenſus Epiſcopi. Trid. ſeſſ. 24. *de reform.* c. 7. Si alibi habeat quaſi domicilium, matrimonium eſt nullum; quia aliquot dierum manſio non facit quaſi domicilium, ſed voluntas manendi per majorem anni partem.

CASUS V. Flavius ordinarie ſex moratur menſibus in parochia S. Joannis, & ſex menſibus in parochia S. Jacobi. Actu moratur in poſteriori; contrahit autem matrimonium in parochia S. Joannis.

℞. Videtur dici poſſe, ipſius matrimonium eſſe validum; nam parochus S. Joannis æque ipſius eſt parochus, ac ille S. Jacobi. In tali nihilominus caſu conſultum erit, ut a contrahentibus petatur conſenſus ab utroque parocho. Fundatur hæc reſponſio in eo, quod quis eodem tempore legitime poſſit habere duo domicilia. *Pontas.*

CASUS VI. Patroclus & Bibiana diverſarum diœceſium nubere cogitant. Parochus Patrocli committit cuidam Presbytero, ut aſſiſtat matrimonio in parochia Bibianæ celebrando, & quidem inſcio aut invito parocho Bibianæ. Eſtne validum hoc matrimonium?

℞. Eſt validum; quia vere dici poteſt, illud contractum fuiſſe in præſentia proprii parochi, aut alterius Presbyteri de licentia proprii parochi, quod ſolum Concilium Tridentinum requirit, circa locum prorſus nihil determinans. Ad hæc celebratio matrimonii eſt actus jurisdictionis voluntariæ, qui juxta leges & omnes Canoniſtas exerceri poteſt etiam extra limites proprii territorii. *Pontas.*

CASUS VII. Theodeninus & Eliſabetha Benedictionem nuptialem receperunt in Eccleſia parochiali a parocho Theodenini, invito parocho Eliſabethæ & contra expreſſam legem diœceſanam, vi cujus matrimonia a ſolo parocho ſponſæ celebranda ſunt.

℞. Matrimonium hoc certe validum eſt; quia Concilium Tridentinum ſolum requirit præſentiam proprii parochi contrahentium. Idem declaravit Congregatio Concilii, & confirmavit Gregorius XIII. Ratio autem præcipua eſt; quia inter contrahentes datur neceſſaria ac eſſentialis mutua relatio. Hinc cum parochus indubitatum jus habeat aſſiſtendi nuptiis ſui parochiani, habet hoc jus etiam relate ad compartem. *Pontas.*

CASUS VIII. Franciſcus parochus non poſſidet legitime ſuum Beneficium; & tamen jam plures matrimonio conjunxit. An ea matrimonia ſunt valida?

℞. Sunt valida, dummodo habeat titulum coloratum ac præſumptivum, ac alias non laboret ullo impedimento juris naturalis aut divini, & communiter habeatur pro parocho. Forent autem invalida, ſi Franciſcus eſſet intruſus, idque publice ac notorie. *Quid ſi parochus fuerit intruſus ſine legitima auctoritate?* inquit Sylvius, *reſpondeo, matrimonium coram eo contractum non ſubſiſtere: ſecus ſi obtinuerit inſtitutionem vel canonicam vel coloratam, & communiter habeatur pro legitimo parocho. Pontas.*

CA-

CASUS IX. Alphonſus Dominus territorialis parœciæ vult ducere pauperem puellam ruſticanam. Cum autem parochus nollet eos conjungere, Alphonſus eum una cum duobus teſtibus coëgit, aut fraude induxit, ut eſſent præſentes matrimonio. Eſtne validum?

℟. Eſt validum: Tridentinum enim par matrimonia clandeſtina ſolum intelligit ea, quæ contrahuntur absque præſentia parochi & duorum teſtium. Vis autem & dolus non efficiunt, ut perſonæ ſic inductæ non ſint corpore & animo vere præſentes, & de inito contractu teſtari non poſſint; & hæc præcipua eſt ratio, qua Patres Concilii permoti hanc conſtitutionem ediderunt. Nihilominus ſic contrahentes peccant mortaliter, & in quibusdam diœceſibus excommunicationem ipſo facto incurrunt. *Pontas.*

Nota. Si parochus juxta ſententiam plurium ac graviſſimorum Doctorum non ut merus teſtis, ſed ut miniſter Sacramenti aſſiſtit matrimonio, certe matrimonium in caſu poſitum non valeret in ratione Sacramenti; cum in miniſtro per fraudem aut violentiam ad aſſiſtendum compulſo non poſſit præſumi intentio, quæ ad miniſterium ſacramentale neceſſario requiritur.

CASUS X. Ancelinus contraxit matrimonium coram parocho, cui Epiſcopus expreſſe prohibuit aſſiſtentiam; quia non nulla matrimonia celebrando deliquerat contra leges diœceſanas. Num valide contraxit?

℟. Valide; licet peccaverit mortaliter. Parochus, ut advertit Fagnanus, non deſinit eſſe parochus contrahentium, etſi ex prohibitione Epiſcopi non liceat ipſi aſſiſtere celebrationi matrimoniorum; id quod ſufficit ad valorem, quia Tridentinum plus non requirit. Sylvius exiſtimat, matrimonium fore nullum, ſi parochus eſſet excommunicatus denunciatus. Interea in ejusmodi caſibus recurrendum eſt ad Epiſcopum, & agendum, ut ipſi viſum fuerit. *Pontas.*

CASUS XI. Columbanus parochus excommunicatus denunciatus conjunxit duos ſuorum parochianorum. Eſtne matrimonium validum?

℟. Eſt validum; quia Concilium Tridentinum non excipit parochum interdictum aut excommunicatum: parochus enim, quantumcumque excommunicatus, ſemper adhuc retinet qualitatem parochi contrahentium, donec per ſententiam judicialiter privetur Beneficio ſuo. *Pontas.*

Nota. Probabilior eſt ſententia Sylvii caſu præcedente relati.

CA-

CASUS XII. Sabinius & Valeria a pluribus jam annis non habentes domicilium fixum contrahunt matrimonium coram parocho loci, in quem occaſionaliter venerunt. Eſt-ne validum ac legitimum hoc matrimonium ?

℞. Si non obſtet impedimentum dirimens, eſt validum. Parochi autem graviter obligantur in ejusmodi vagorum ſtatum ſedulo inquirere, & eorum matrimoniis absque expreſſa Ordinarii ſui licentia non aſſiſtere; quod ſi facere negligant, graviter peccant. *Pontas.*

Nota. Parochus tenetur inquirere 1. Utrum ſic contracturi ſint Chriſtiani; hinc exhibere tenentur teſtimonium recepti baptiſmi, ex quo noſcatur locus nativitatis, ætas, conditio, & ortus eorum legitimus aut illegitimus. 2. Utrum ſint catholici & præcepto paſchali ſatisfecerint, quod exhibito teſtimonio comprobandum eſt. 3. An non fuerint jam conjugati; quod ſi ita ſit, ut ſæpius contingit, authentico teſtimonio probanda erit mors partis alterius. 4. An parentes eorum adhuc vivant aut jam deceſſerint; ſi dicant eos vivere, & nupturi ſint *minorennes*, neceſſario de parentum conſenſu conſtare debet; ſi ſint *majorennes*, ſaltem probandum eſt, quod debita forma parentum conſenſum petierint. C. A. Vide *Caſ.* 4.

CASUS XIII. Simplicius ſtabile domicilium non habens duxit Noëlam, cui domicilium erat. Conjunxit autem eos parochus loci, in quem Simplicius forte delatus fuerat. Valetne hoc matrimonium ?

℞. Abſolute loquendo videtur dici poſſe, quod valeat: parochus enim loci, in quo verſatur ille, qui domicilium non habet, cenſetur proprius parochus illius. Sufficit autem ad valorem matrimonii, ſi contrahatur in præſentia proprii parochi unius partis, etſi juxta regulam ordinariam celebrari debeat coram proprio parocho ſponſæ. In ejusmodi caſibus præcautiones adhibendæ caſu præcedente notatæ. *Pontas.*

Nota. Si recte inſpiciatur mens Tridentini, non videtur matrimonium hoc eſſe validum.

CASUS XIV. Philemon & Paulina triduo poſt factas tres denunciationes cum parocho ſuo peregrinationem ſuſceperunt ad locum pium alterius diœceſis, ibique contraxerunt coram ſuo parocho. Num valide ?

℞. Valide; petenda tamen licentia ab Ordinario loci, eaque, ſi in ſcripto obtineatur, jungenda actis ſeu inſtrumentis matrimonii celebrati, idque ex æquitate ac convenientia. Imo ſi in ſua diœceſi, aliena tamen in parochia conjungantur, conveniens foret, ut id fiat ſciente ac permittente parocho loci. *Pontas.*

CA-

CASUS XV. Baſilius parochiæ vicarius ad nutum amovibilis commiſit alteri ſacerdoti copulationem duorum parochianorum. Eſtne matrimonium hoc validum?

℞. Eſt validum: licet enim Baſilius ſit vicarius amovibilis, habet tamen poteſtatem ſubdelegandi circa ea, quæ concernunt ipſius delegationem. Ratio eſt; quia, cum delegatio eſt generalis ad regimen parochiæ & ad omnes functiones parochiales, ſic delegatus poteſt alteri Presbytero committere partem miniſterii ſui juxta ſenſum Gloſſæ: *ſi ei eſſet delegata univerſitas cauſarum*, & juxta declarationem ſacræ Congregationis Cardinalium, de qua teſtatur Fagnanus. Ex hoc autem ſequitur, quod, ſi Presbyter delegatus a vicario denuo ſubdelegaſſet alterum, matrimonium foret nullum; cum in hoc caſu locum haberet regula: *delegatus delegare non poteſt. Pontas.*

CASUS XVI. Heliodorus & Juſtina, diœceſeos Metenſis, ſe contulerunt ad contrahendum matrimonium in parochiam S. Pauli Pariſiis in præſentia Presbyteri ab Epiſcopo contrahentium ad hoc deputati, & duorum teſtium. An matrimonium iſtud validum eſt; non obſtante oppoſitione facta a parocho, qui etiam contra commiſſionem ab Epiſcopo datam reclamavit?

℞. Matrimonium nihilominus eſt validum: Tridentinum enim ſolum loquitur de præſentia aut licentia proprii parochi vel Ordinarii, nil determinando circa locum. Heliodorus autem & Juſtina contraxerunt de licentia Epiſcopi, qui non obſtante oppoſitione parochi eam concedere poterat juxta Concilium, cum in tota ſua diœceſi proprius cenſeatur eſſe parochus. *Pontas.*

CASUS XVII. Camillus & Columba, contracturi matrimonium fieri denuntiationes curarunt, nemine ſe opponente. Verum parochus obtendit varias difficultates; ideo contracturi adeunt Officialem, qui alium ſubſtituit parochum, in cujus præſentia matrimonium obſervatis formalitatibus ordinariis contractum fuit. An valide?

℞. Officialis non potuit alieno parocho committere celebrationem matrimonii; adeoque nullum eſt, utpote contractum coram Presbytero, cui jus aſſiſtendi non competebat. Officialis ſolum habet jurisdictionem contentioſam; celebratio autem matrimonii pertinet ad jurisdictionem voluntariam. Neutra harum jurisdictionum poteſt præjudicare alteri juxta principia indubitata & univerſaliter recepta. Aliud dicendum foret, ſi Officialis ſimul fungeretur officio

Vica-

Vicarii Generalis; quia ſic etiam juriſdictionem voluntariam exercere poſſet. *Pontas.*

CASUS XVIII. Archiepiſcopus Moguntinus adſtitit matrimonio duarum perſonarum primæ nobilitatis ex diœceſi Auguſtana, cujus Epiſcopus eſt Suffraganeus Moguntini. Valetne hoc matrimonium?

℟. Non valet, ſi Archiepiſcopus propria & ſola ſua authoritate adſtitit. Ratio eſt; quia Archiepiſcopus nullam prorſus habet juriſdictionem in diœceſanos ſuorum Suffraganeorum, niſi in caſu appellationis. Idem dicendum de Patriarcha & Primate relate ad Archiepiſcopum & Suffraganeos ſuos. *Pontas.*

CASUS XIX. Pamphilus non quidem Epiſcopus, ſed tamen Prælatus exercens juriſdictionem quaſi - Epiſcopalem in oppido, in quo a nativitate ſua degunt Balthaſar & Anna. His ſcripto concedit licentiam contrahendi coram vicino parocho, ſimulque diſpenſat quoad denunciationem tertiam.

℟. Matrimonium hoc eſt nullum, utpote celebratum a parocho non habente poteſtatem legitimam. Sunt quidem Doctores tenentes oppoſitum; hæc tamen oppinio eſt longe probabilior, utpote innixa rationibus graviſſimis, quas adducit Fagnanus, & ſimul probat, Concilium Tridentinum per Ordinarium non niſi Epiſcopum proprie talem intellexiſſe. Juxta hanc opinionem ſacra Congregatio quoque pronunciavit ſub Gregorio XIII. contra Cardinalem Farneſium, etſi haberet juriſdictionem quaſi - Epiſcopalem. *Pontas.*

NOTA. Cenſeo, hoc matrimonium eſſe validum; quia habens juriſjuriſdictionem quaſi-Epiſcopalem æquiparatur generaliter quoad juriſdictionalia non excepta Epiſcopis.

CASUS XX. Multi Catholici morantur in Suecia, ubi nec Epiſcopus, nec parochus, nec etiam Presbyter datur, qui defectum unius & alterius ſupplere poſſit; vel ſi dantur, ob perſecutionem ſe occultant, aut miniſterium ſuum exercere ob legem Principis nequeunt; & tales Catholici tenentur contrahere matrimonium coram Magiſtratibus, vel in præſentia duorum teſtium.

℟. Valide in his tribus caſibus contrahunt matrimonium, ſi duo teſtes præſentes ſint. Verum ſi Presbyter ab Epiſcopo legitima authoritate munitus, vel Catholicus Epiſcopus ſponte ſe offerret ad aſſiſtendum matrimonio, contracturi juxta Sylvium tenerentur ipſius miniſterium acceptare ſub pœna nullitatis matrimonii. *Pontas.*

CA-

CASUS XXI. Duo diœceſani Pariſienſes relicta Gallia in regionem hæreticam abſcedunt, ibi pro ſemper ſe detenturi; in iſta vero regione Concilium Tridentinum nunquam fuit publicatum, & anno elapſo ibi contrahunt matrimonium juxta morem & legem regionis.

℟. Matrimonium hoc eſt validum juxta declarationem ſacræ Congregationis. Nec obeſt, quod Tridentinum fuerit publicatum in regione, in qua hi duo contrahentes ſortiuntur diœceſin: *publicatio* enim, ut inquit Sylvius, *non eſt perſonalis, ſed localis, ideoque comprehendens perſonas pro omni & ſolo eo tempore, quo ſubjectæ ſunt locis illis. Pontas.*

CASUS XXII. Paſchalis & Ludovica morantur Pariſiis in parochia S. Nicolai. Cum autem illis matrimonium inituris multæ moverentur difficultates, ſtudio abeunt in Angliam, ibi matrimonium contracturi juxta morem & legem regionis, & mox iterum rediturí in Galliam.

℟. Matrimonium hoc eſt nullum: ſunt enim diœceſani Pariſienſes, in qua diœceſi decretum Concilii Tridentini receptum ac in uſu eſt. Huic itaque morem gerere tenentur. Ratio allegata in caſu præcedente tantum afficit eos, qui fixerunt ſtabile domicilium in regione, ubi Concilium non fuit promulgatum, & bona fide renunciarunt domicilio prius habito. *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent. Pontas.*

CASUS XXIII. Duo Sueci lutherani contracto matrimonio juxta leges ſuæ patriæ venerunt in Galliam, ibique ad Catholicam fidem ſe converterunt. Tenenturne reiterare ſuum matrimonium juxta formam a Concilio Tridentino præſcriptam?

℟. Illorum matrimonium validum eſt; non tenentur de novo illud contrahere poſt ſuam converſionem. *Pontas.*

CASUS XXIV. Theophraſtus duxit Thomaſiam in præſentia ſui parochi, qui vero nondum erat Presbyter.

℟. Cenſetur, matrimonium eſſe validum; in dubio tamen parochus debuiſſet alii Presbytero committere celebrationem matrimonii, ſi quem invenire potuiſſet. *Pontas.*

CASUS XXV. Protaſius & Luciana contraxerunt matrimonium juxta Eccleſiæ præſcriptas formas; verum teſtes erant excommunicati denunciati.

℟. Matrimonium nihilominus eſt validum; quia in materia favorabili, qualis eſt hæc, admitti poſſunt teſtes alias de jure inhabiles ad ferendum teſtimonium in aliis negotiis, ut declaravit Alexander IV. Parochus tamen ſciens, teſtes eſſe excommunicatos, non debuiſſet eos admittere, ſi potuiſſent haberi alii. *Pontas.*

CASUS XXVI. Urbanus contraxit matrimonium cum Valentina in præſentia proprii parochi, & duorum teſtium parochi diſcipulorum, quorum unus undecim, alter duodecim annos ætatis habebat. Eſtne matrimonium validum?

℟. Cenſetur eſſe validum: validitas tamen poſſet in controverſiam venire ob ætatem teſtium impuberum. Interea tamen, ſi iſti duo teſtes ſufficienti prædìti erant judicio, ut diſcernere valuerint, quid in contractu matrimoniali agatur, invalidum eſſe matrimonium dici non poteſt ob defectum teſtium legitimorum. Attamen in tali cauſa & caſu non facile admittendi ſunt pueri ut teſtes ob inconvenientias inde emerſuras. *Pontas.*

CASUS XXVII. Hierophilus duxit Olympiam, & absque diſpenſatione denunciationes neglexit. Matrimonio inſuper juncti ſunt media nocte a Presbytero, cui id commiſit Vicarius generalis Epiſcopi, in præſentia tamen duorum teſtium.

℟. Matrimonium iſtud clandeſtinum eſt in foro civili; verum rigoroſe loquendo juxta ſpiritum Eccleſiæ non eſt clandeſtinum clandeſtinitate matrimonium invalidante. Ratio eſt; quia de jure novo Tridentini tantum illud matrimonium dicitur clandeſtinum, quod contrahitur ſine teſtibus & ſine præſentia proprii parochi. Hic autem Presbyter delegatus a Vicario Generali tenet locum parochi, nec deeſt ſufficiens numerus teſtium. Quod attinet neglectum denunciationum, oſtenſum eſt in articulo *Denunciationes*, ex earum omiſſione matrimonium nunquam reddi poſſe invalidum. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Ambroſius parochus aſſiſtit matrimonio in ſtatu peccati mortalis. Peccavitne mortaliter functionem iſtam obiens?

℟. Si parochus non eſt Miniſter matrimonii, ut multi cenſent Theologi, non committit novum peccatum mortale hanc functionem in ſtatu tali obiens. *Pontas.*

Nota. Mihi videtur longe probabilius, eſſe Miniſtrum.

CASUS XXIX. Olympius clanculum nupſit Eleonoræ in præſentia proprii parochi, & duorum teſtium. Matrimonium iſtud jam octo conſtitit annis, & licet quatuor ex eo nati ſint infantes, Olympius tamen certas ob rationes particulares illud publicum fieri noluit; quamvis Eleonora pro publicatione inſtiterit.

℟. Tenetur in conſcientia publicare matrimonium ſuum; idque differendo peccat graviter; quia Eccleſia ſemper voluit

luit, ut matrimonia fiant publica ob praviſſimas ſequelas, quæ oriuntur ex matrimoniis occultis. In Gallia ejusmodi matrimonia habentur inſtar concubinatuum, liberique ex iis procreati ſunt inhabiles ad ſucceſſionem in bona parentum, & eo ipſo habentur pro illegitimis. *Pontas.*

CASUS XXX. Titia juvenis ancilla matrimonio ſe junctura, & benedictionem nuptialem receptura adit parochum ſui avunculi, & non parochum fratris ſui; quia, priusquam ad ſervitia abierat, plerumque degebat in domo avunculi.

℞. Parochus avunculi debet benedicere nuptiis Titiæ; quia in caſu poſito Titia, priusquam ancillari cœpit, ſpreta domo fratris ſui fixit quaſi-domicilium in domo avunculi, ita quidem, ut, quamprimum ancillari deſiiſſet, denuo in domum ſui avunculi redire decreverit. C. B.

CASUS XXXI. Roſa diœceſana Lugdunenſis jam ab aliquot menſibus Viennæ commorans, accepta ab Ordinario Lugdunenſi atteſtatione libertatis ſuæ contrahit matrimonium Viennæ. Parochus Lugdunenſis, in cujus parochia domus paterna Roſæ ſita eſt, cenſet hoc matrimonium eſſe nullum.

℞. Matrimonium hoc eſt validum 1. quia ad valorem matrimonii non requiritur, ut contrahatur in præſentia parochi ſponſæ. 2. Roſa dicitur in caſu jam aliquot menſibus degiſſe Viennæ. Ex quo colligendum, eam ſuam ibi vitam tranſigere cogitaſſe. Quo poſito valide ibi potuit contrahere, & judicium parochi Lugdunenſis falſum & erroneum eſt. C. B.

IMPEDIMENTUM LIGAMINIS.

Ligamen, ut hic ſumitur, eſt vinculum indiſſolubile, perpetuum & reciprocum, quod oritur ex matrimonio, & impedit conjuges contrahere valide ſecundum matrimonium vivente altero. Sed hoc duntaxat intelligendum de conjugibus Chriſtianis, qui conſummarunt ſuum matrimonium; dum vero hoc non eſt conſummatum, poſſunt ſeparari quoad vinculum emittendo profeſſionem ſolennem Religionis. In omni alio caſu vinculum eſt indiſſolubile.

Nota. Iterum ſupponendum, matrimonium non fuiſſe ſolennizatum in facie Eccleſiæ absque animo deliberativo. Vide *Imped. Ord. Caſ.* 1.

CASUS I. Chriſtiernus matrimonio ſe junxit Dariæ juxta formam a Concilio Tridentino præſcriptam; quæ tamen noluit conſummare matrimonium, ſed Religionem ingreſſa ſolemnem in ea profeſſionem emiſit. Poteſtne Chriſtiernus ſine peccato ducere aliam uxorem?

℟. Poteſt ducere aliam, ut patet ex pluribus Decretalibus, & ex S. Thoma in 4. diſt. 27. q. 2. art. 3. q. 3. C. *Pontas*.

NOTA. Decretales loquuntur de matrimonio non ſolemni, hoc eſt non contracto in facie Eccleſiæ, quod antiquitus ante Tridentinum erat validum.

CASUS II. Callixtus in forma ab Eccleſia præſcripta nupſit Valentinæ; ſed matrimonio necdum conſummato duxit Ulricam, & cum ea conſummavit matrimonium. Quodnam ex his duobus matrimoniis eſt validum?

℟. Solum primum eſt legitimum, ut declararunt Alexander III. in duabus Decretalibus, & Gregorius IX. *Pontas*.

CASUS III. Nebridius clanculum contraxit matrimonium cum Titia in loco domicilii ſui, ubi Concilium Tridentinum non eſt receptum. Verum matrimonio nondum conſummato paulo poſt publice ducit Mœviam, & cum ea conſummat matrimonium. Cuinam harum uxorum tenetur cohabitare?

℟. Primum matrimonium eſt validum, & non potuit Titius absque peccato contrahere & conſummare ſecundum; ideoque tenetur recipere Titiam, cum qua tamen matrimonium conſummare non poteſt, niſi abſit omne periculum infamiæ aut ſcandali. Si per authoritatem Eccleſiæ condemnetur, ut maneat apud Mœviam, tenetur cum ea vivere ut frater cum ſorore, ſi id absque periculo incontinentiæ fieri poſſit: alias tenetur ſe ab ea ſeparare non obſtante omni excommunicatione, quæ juxta Innocentium III. coram Deo nulla foret. *Pontas*.

CASUS IV. Germanicus & Flora matrimonio in facie Eccleſiæ juxta formam conſuetam contracto declararunt parocho, ſuum matrimonium eſſe nullum ob affinitatem occultam contractam a Germanico per peccatum cum ſorore Floræ commiſſum; petunt igitur ſeparationem. Parochus illos Judicem Eccleſiaſticum adire juſſit, & coram illo idem cum juramento affirmant. Quid agendum Judici?

℟. Officialis eos non debet ſeparare quoad vinculum; & ſi ſe propria authoritate ſeparaſſent, & novum contraxiſſent matrimonium cum aliis perſonis, teneretur Officialis eos obligare, ad priores ut redeant conjuges. Verum ſi allegata vera ſint, Germanicus tenetur in foro interno vivere cum

Flora

Flora in continentia, uſque dum obtinuerit diſpenſationem, qua rehabilitetur matrimonium. *Pontas.*

CASUS V. Porphyrius licet uxorem ſuam, quæ vere mortua eſt, adhuc vivere exiſtimaret, contrahit tamen cum alia matrimonium. An validum eſt hoc matrimonium? Et ſi non, quomodo revalidandum?

℞. Si Porphyrius tam profundæ fuit ignorantiæ & rariſſimæ ſimplicitatis, ut crederet ſe valide contrahere; alterum matrimonium eſt validum, ſuppoſita tamen morte primæ uxoris. Si autem non credidit ſe valide contrahere, ſecundum matrimonium erit nullum ex defectu legitimi conſenſus, quem utique non dedit in matrimonium, quod contrahere cogitabat, ſed in adulterium, quod committendi animum habuerat ſub prætextu matrimonii. Poteſt autem revalidari hoc matrimonium per renovationem conſenſus; dummodo altera uxor non revocaverit ſuum conſenſum, & matrimonium fuerit celebratum in forma præſcripta ab Eccleſia. Ita declararunt Innocentius III. & Alexander III. *Pontas.*

CASUS VI. Marcellinæ perſuaſum erat, maritum ſuum occubuiſſe in prælio contra Turcas, cui intererat, cum a quindecim jam annis nihil prorſus de ipſo audiiſſet. Poteſtne nubere alteri?

℞. Non poteſt, nec diuturna hæc abſentia eam excuſaret a peccato mortali; niſi teſtimonia ſuppetant moralem certitudinem de morte mariti conſtituentia. Verum ſi teſtem haberet irreprehenſibilem ac fide dignum, qui affirmet, ſe vidiſſe eum occumbere, poſſet authoritate judicis eccleſiaſtici ſecundas inire nuptias. *Pontas.*

Nota. Videtur æquivalere teſti certitudo moralis ex aliis circumſtantiis ſumpta.

IMPEDIMENTUM METUS.

Matrimonium ut ſit validum, debet eſſe contractum conſenſu libero Partium contrahentium. Qui igitur illud contrahit ex metu gravi, injuſto, & potente movere etiam hominem prudentem ac conſtantem, invalide illud contrahit.

CASUS I. Ceſtius ex metu gravi contrahit matrimonium invalide, & ex eodem motivo illud conſummat.

℞. Conſummatio matrimonium non reddit validum; cum ex eodem motivo, metu ſcilicet gravi facta ſit. Ceſtius autem non potuit illud conſummare abſque peccato mortali

ad quod committendum juxta S. Auguſtinum & S. Antoninum conſenſus etiam extortus ſufficit. *Pontas.*

CASUS II. Alphonſus vehementer cupit filiam ſuam Antonio dare conjugem; hoc autem renuente minatur mortem aut aliud grave malum parentibus & conſanguineis Antonii, ſi hic perſiſtat in ſua repulſa. His minis adactus Antonius demum conſentit in matrimonium.

℟. Matrimonium hoc eſt nullum, ſi Antonius prudenter timere potuerit, Alphonſum executurum ſuam comminationem, etſi ea tantum feratur erga parentes & conſanguineos ejus. *Nec differt,* ait S. Thomas, *utrum hæc* (ſcilicet mors, verbera, &c.) *pertineant ad propriam perſonam vel uxoris, vel filiorum aut aliorum hujuſmodi.* Idem docet S. Antoninus. *Pontas.*

CASUS III. Florentinus violenter defloravit puellam; qua de cauſa in carceres conjectus vel ad eam ducendam, vel ad mortem condemnatur. Eſtne matrimonium validum?

℟. Eſt validum, etſi Florentinus illud tantum ineat, ut mortem evadat. Metus juſte incuſſus, ut in præſenti caſu, non reddit matrimonium invalidum. Idem dicendum 1. de eo, qui ad evitandam mortem duceret filiam illius, qui periculum mortis poteſt removere. 2. de ſicario, qui, ut evadat ex carcere, ſeque ſupplicio ſubtrahat, ducit filiam cuſtodis carcerum. 3. de eo, qui, ne condemnetur, ducit puellam a ſe corruptam. *Pontas.*

CASUS IV. Feſtus falso accuſatus de ſeductione & corruptione puellæ ſub poteſtate ſuorum parentum conſtitutæ, poſt depoſitionem duorum falſorum teſtium condemnatus eſt ad eam ducendam, aut mortem ſubeundam. Evitandæ mortis gratia duxit illam.

℟. Sententia judicis legitima eſt; matrimonium autem eſt nullum. *Pontas.*

CASUS V. Barnabas deprehendit in flagranti juvenem cum filia ſua peccantem, detinet illum facta comminatione ſe eum Judici traditurum, ut vel ad mortem vel ad triremes condemnetur. Aut minatur omnino, ſe ei illaturum mortem, niſi ducat corruptam filiam. Juvenis adhuc detentus in poteſtate Barnabæ eam ducit. Eſtne validum matrimonium?

℟. In primo caſu eſt validum; quia pater habet jus deferendi ad Judicem corruptorem filiæ ſuæ, ut puniatur, niſi eam ducere velit. In ſecundo caſu eſt invalidum; quia comminatio Barnabæ eſt injuſta, utpote non habentis jus pri-

privata authoritate interficiendi ſeductorem filiæ; & hic metus injuſte incuſſus efficit impedimentum dirimens matrimonii. *Pontas.*

CASUS VI.* Stephanus contraxit matrimonium cum Martina, quæ tamen non niſi ex metu gravi injuſte ab illo incuſſo conſenſit; aſt conſenſum dein jure jurando confirmavit. Eſtne validum matrimonium, ut alii contractus, ratione juramenti?

℞. Eſt invalidum non obſtante juramento; & in hoc differt matrimonium ab aliis contractibus, qui ex metu gravi & injuſto initi non ceſſant eſſe validi, ſi poſtea juramento confirmentur. Diſcrimen manat ex eo; quia alii contractus a judice facile reſcindi, aut mutuo conſenſu diſſolvi poſſunt, nec ita difficilis accidit reparatio damni exinde illati: matrimonium vero ſemel legitime contractum diſſolvi non poteſt nec annullari, cum ex ratione Sacramenti ſit indiſſolubile. *Pontas.*

CASUS VII. Marinus ex metu duxit Fabiam; ſed datur juſta cauſa dubitandi, utrum iſte metus fuerit adeo gravis, ut in conſtantem virum cadere potuerit. Quid cenſendum de hoc matrimonio?

℞. Tutiſſimum in iſto caſu erit, ut, ſi matrimonium alias in forma requiſita contractum fuerit, renovent animo conjugali ſuum mutuum conſenſum. Si hoc fieri nequeat, relinquendum eſt arbitrio viri prudentis, qui judicet de valore aut nullitate matrimonii. Natura autem metus inveſtiganda eſt quandoque ex malo, quod timetur, quale v. g. eſſet mors; & quandoque ex circumſtantiis ſexus aut ætatis perſonæ metum paſſæ, ex ejusdem magnitudine aut debilitate animi &c. *Pontas.*

Nota. In dubio, an metus fuerit adeo gravis, judex recte pronunciabit in favorem libertatis, niſi ex diſſolutione ſequerentur majora mala. Ratio eſt; quia ceſſante lege recentiore non ceſſat lex anterior naturalis vel divina, quæ tribuit judici poteſtatem pronunciandi circa indeterminata juxta rationem melioris pro bono publico.

CASUS VIII. Servia Tullio nubere conſenſit ex metu infamiæ publicæ ſive ex cauſa vera ſive ficta ſibi intentatæ. Jam quæritur, utrum hoc matrimonium ſit validum. Et an non dici poſſit, quod metus Serviæ perdendi ſuam famam ac honorem ſit gravis & cadens in conſtantem puellam, & conſequenter matrimonium ſit nullum.

℞. Perſona conſtans, & inconſtans differunt quoad duo: primo quoad qualitatem periculi; ille enim qui vere conſtans eſt, ducitur ratione recta, quæ eum cognoſcere facit, quid

faciendum ſit intuitu mali intentati, & ideo ſemper ſuffert minus malum ex metu majoris : inconſtans vero ex metu facile pertrahitur ad majus malum, ut evitet minus. Secundo differt conſtans ab inconſtanti quoad judicium, quod fertur de imminenti malo : conſtans ex metu nil agit niſi fundamento probabili nixus; inconſtans vero abripi ſe ſinit ab opinione levi, & ratione male fundata. Ex hoc principio metus infamiæ talis non eſt, ut in hominem vere conſtantem cadat; conſequenter matrimonium Serviæ ex hac cauſa non eſt invalidum. *Pontas.*

CASUS IX. Lamprius reperit quamdam puellam ſolam; huic minatur, ſe illi protinus ſtuprum illaturum, niſi promittat ſibi nupturam eſſe; puella promittit, & paulo poſt ex hoc metu ſibi incuſſo nubit Lampridio.

℟. Si iſti puellæ vere perſuaſum fuit, Lampridium ſerio velle, & poſſe exequi ſuas minas, matrimonium ex hoc metu contractum nullum eſt. Verum in propoſito caſu non eſt ſupponendum, iſtum metum fuiſſe gravem; quia Joanna extra manus & poteſtatem Lambridii poſita tam facile poſtea cum illo matrimonium contraxit in forma ab Eccleſia præſcripta : potuiſſet enim illatam violentiam ac intentatas a nefario minas indicare parocho aut parentibus & conſanguineis ſuis, imo etiam autoritatem judicum implorare. *Pontas.*

CASUS X. Alcimus duxit Leonardam ex metu gravi ſibi injuſte incuſſo a cauſa externa & libera in ordine ad extorquendum aſſenſum in matrimonium. Potuitne id facere absque peccato?

℟. Videtur Alcimum non eſſe excuſandam a peccato ob hoc matrimonium; cum affirmando, ſe præbere conſenſum in matrimonium, contra veritatem & mentem locutus ſit. *Pontas.*

CASUS XI. Felix præcipit filiæ ſuæ, ut Ferdinando nuberet; illa ex metu reverentiali erga patrem conſentit in matrimonium. Eſtne matrimonium iſthoc nullum?

℟. Iſte metus non eſt cenſendus gravis, ita ut nullum poſſit reddere matrimonium. Si tamen Felix minas graves addidiſſet, uti exhæredationis &c. matrimonium eſſet nullum. *Pontas.*

IMPEDIMENTUM CRIMINIS.

1. Crimen, de quo hic agitur eſt : *Machinatio in mortem conjugis, aut adulterium cum attentato promiſſove matrimonio.* Iſta definitio comprehendit duplicem criminis ſpeciem. Prima eſt illa, cum in mortem unius conjugum conſpiratur, vel cum

cum cœptum mortis conſilium executioni datur, effectivè procurando mortem conjugis eo fine, ut cum complice matrimonium contrahatur.

2. Dicitur: *Cum cœptum conſilium mortis executioni datur*; nam ſola machinatio, morte non ſecuta, non eſt impedimentum dirimens inter machinationis reos.

3. Datur caſus, in quo conjugicidium impedimentum dirimens eſt, licet ab uno tantum complicum patratum ſit inſcia altera parte & ſine illius conſenſu; & talis caſus eſt, quando inter eos adulterium commiſſum eſt.

4. Secunda criminis ſpecies, qua oritur impedimentum dirimens, eſt adulterium commiſſum conſtante matrimonio cum perſona, quam quis vult ducere, & conjunctum cum promiſſione contrahendi matrimonii poſt mortem naturalem ſui conjugis aut ſuæ uxoris; quando iſta promiſſio ab altera parte fuit acceptata, & facta eſt durante matrimonio.

CASUS I. Albinus maritus Ludovicæ derelicta ſua uxore, diſceſſit in regiones exteras cum quadam puella, quacum per annum integrum in adulterio vivit. Tandem percepta ſuæ uxoris morte vult cum dicta puella contrahere matrimonium. Poteſtne id facere valide?

℟. Si ſolum adulterii crimen ab iis commiſſum eſt ſine promiſſione matrimonii, valide poteſt eam ducere, ſuppoſito etiam, quod neutra pars mortis Ludovicæ particeps fuerit. *Mortuo viro, cum quo verum connubium fuit*, inquit S. Auguſtinus L. 1. de nupt. & concup. *fieri verum connubium poteſt, cum quo prius adulterium fuit. Pontas.*

CASUS II. Theognoſtes cuidam puellæ promiſit, ſe illam ducturum ſecuta morte ſuæ uxoris infirmæ. Promiſſio hæc facta eſt bona fide, quin præceſſerit aut ſubſecutum fuerit adulterium, quin etiam quidquam machinatus fuerit in vitam ſuæ uxoris. Validumne eſt matrimonium?

℟. Theognoſtes iſtam promiſſionem facere non potuit ſine graviſſio peccato, multo minus tenetur illam exequi: ſi vero eam exequeretur, matrimonium eſſet validum, dummodo non præceſſerit adulterium, aut quædam in vitam defunctæ molitio. Talis promiſſio periculoſa eſt, & manifeſte tendit ad deſtructionem vel ſaltem diminutionem amoris conjugalis. *Pontas.*

Nota. Si puella fuerit timoratæ conſcientiæ, & abſit omne machinationis vel adulterii periculum, licita & ſervanda eſt promiſſio.

CASUS III. Celerinus vivente ſua uxore contraxit ſecundum matrimonium cum Gilberta, quæ illum uxoratum novit,

conſummavitque matrimonium. Vel, non quidem contraxit cum ea matrimonium, commiſit tamen cum illa adulterium addita promiſſione, eam ducendi poſt mortem ſuæ uxoris, & iſtam promiſſionem acceptavit Gilberta.

℟. In utroque caſu datur impedimentum dirimens, & Celerinus in neutro horum valide poteſt contrahere matrimonium. Et hæc reſponſio eruitur ex ipſa definitione in prænotandis poſita. Advertere hic juvat, quod, licet promiſſio ficta foret, nihilominus efficeret impedimentum dirimens: intentio enim Eccleſiæ impedimentum hoc ſtabilientis erat, ut averterentur fideles a committendis adulteriis ac homicidiis; promiſſio autem etſi ficta, quæ tamen illi, cui facta eſt, videretur ſincera, non minus induceret ad præfata crimina, ac promiſſio ſincera. *Pontas.*

CASUS IV. Marcellus commiſit adulterium cum Æmilia, illique promiſit, ſe nupturum ei. Æmilia Marcellum uxoratum eſſe ignorans acceptat promiſſum. In eodem adulterino commercio vixerunt per annum, quo elapſo Marcellus mortua ſua conjuge duxit Æmiliam.

℟. Matrimonium eſt validum, ſuppoſito quod Æmilia ignorarit Marcellum eſſe uxoratum. Alexander III. *Pontas.*

CASUS V. Caſſius commiſit adulterium cum Anna cum promiſſione eam ducendi poſt mortem ſuæ uxoris; hac tamen addita conditione, ut illa in dotem afferret mille Imperiales; & illa iniit hanc conditionem.

℟. Hæc promiſſio, etſi ſub conditione facta & acceptata, tamen realis & effectiva eſt; & quia cum adulterio conjuncta eſt, vere conſtituit impedimentum dirimens. *Licet promiſſio conditionalis*, inquit Navarrus, *non habeat effectum obligandi promittentem ante conditionem impletam, habet tamen effectum ad hoc, ut dici vere poſſit, eſſe datam fidem; quia datio cum adulterio ſufficit. Pontas.*

CASUS VI. Bloſius uxorem ſuam lento veneno enecavit animo ducendi Nicolaam conſciam criminis & in illud conſentientem.

℟. Intervenit impedimentum dirimens, quo inhabiles fiunt ad contrahendum valide matrimonium. *Pontas.*

CASUS VII. Anna aliquamdiu vixit in adulterio cum quodam viro conjugato, & ut ipſi nubere poſſit, uxorem ejuſdem veneno interemit, marito tamen inſcio. Oriturne exinde impedimentum dirimens?

℟. Abſque dubio hoc crimen efficit impedimentum dirimens. Ita declararunt Alexander III. & Innocentius III. Idem

dem docent ſancti ac inſignes Theologi ac Canoniſtæ, ſcilicet quod, ſi inter duas perſonas committatur adulterium, & una earum procuret mortem mariti vel uxoris alterius, eæ non poſſint valide contrahere matrimonium, ſive dein adulterium præceſſerit ſive ſubſecutum fuerit occiſionem; ſive ambæ conſenſerint in homicidium, ſive una ſola ejusdem ſit rea, alterea inſcia. *Pontas.*

CASUS VIII. Quidam vivente ſua uxore commiſit adulterium cum alia. Poteſtne mortua uxore ſua illi nubere?

℟. Poteſt, dummodo cum adulterio nulla concurrerit promiſſio ineundi poſt mortem uxoris conjugii, aut nec uterque nec alteruter quidquam contra conjugis vitam molitus fuerit. *De Lamet.*

CASUS IX. Titius conjugatus jam diu turpe fovens commercium cum Berta die quodam ſic eam affabatur: Si mea uxor moreretur, ducerem te; & ego, reponit Berta, te maritum meum vellem. Poteſtne Titius poſt mortem uxoris ſuæ ducere Bertam?

℟. Poteſt ducere; quia impedimentum, quod oritur ex adulterio conjuncto cum promiſſione futuri matrimoni, in hoc caſu non datur: ut enim incurratur hoc impedimentum, requiritur adulterium formale una cum expreſſa promiſſione ineundi poſt mortem conjugis matrimonii cum adultera. Præfatus autem modus loquendi: *te ducerem*, potius habendus eſt pro teneræ affectionis indicio aut deſiderio promittendi, non pro reali promiſſione. C. B.

CASUS X. Petrus adhuc ſolutus committit adulterium cum Berta uxore Caji. Poſt aliquod temporis intervallum ducit Martham; hanc vero brevi pertæſus promittit Bertæ, ſe eam ducturum mortuis Cajo & Martha. His mortuis poteſtne ducere Bertam?

℟. Non poteſt; quia obſiſtit impedimentum criminis, ortum ex adulterio & promiſſione futuri matrimonii facta viventibus adhuc Cajo & Berta; & hoc ſufficit, ut matrimonium Petrum inter & Bertam non poſſit ſubſiſtere. C. B.

CASUS XI. Paulus uxoratus ignorans, Catharinam eſſe maritatam, committit cum ea adulterium cum promiſſione futuri matrimonii poſt mortem ſuæ uxoris. Uxore Pauli & marito Catharinæ mortuis poteſtne Paulus ducere Catharinam?

℟. Non poteſt; nam ut contrahatur impedimentum criminis, non requiritur, ut utraque pars adultera ſciat, illam, cum qua peccat, eſſe matrimonio junctam. Sufficit, quod

 pars

pars conſcia matrimonii alterius committat adulterium conjunctum cum promiſſione futuri matrimonii ſoluto vinculo præſentis conjugii. Hoc autem contigit in poſito caſu : ſupponitur enim, Catharinam ſciviſſe, Paulum eſſe uxoratum. C. B.

CASUS XII. Titius Bertæ conjugatæ, quacum plura commiſit adulteria, tradit venenum, ſero proteſtatus, ſuam voluntatem ſolum eſſe, ut uteretur ad enecandos mures, quibus domum illius infeſtatam noviſſet. Die quodam Berta a marito ſuo peſſime habita dato illum hoc veneno interficit. Berta jam cogitat nubere Titio. Poteſtne ?

℟. Si Bertæ, dum marito venenum porrigebat, intentio, finis ac propoſitum fuit matrimonium contrahendi cum Titio, non poteſt valide cum eo contrahere. Si autem id non intendit Berta, poteſt contrahere. Ita ſentiunt Doctores de hac re agentes. C. B.

CASUS XIII. Petrus adhuc ſolutus promittit Bertæ jam maritatæ matrimonium poſt mortem mariti. Verum brevi temporis intervallo ducit Franciſcam, & paulo poſt committit adulterium cum Berta. Franciſca & marito Bertæ mortuis poteſtne Petrus ducere Bertam ?

℟. Poteſt eam ducere ; quia impedimentum criminis tunc ſolum incurritur, quando promiſſio futuri matrimonii & adulterium concurrunt, quod non fit in præſente caſu ; cum promiſſio retractata fuerit ante adulterium, ſi non in terminis formalibus, ſaltem implicite per matrimonium a Petro cum Franciſca initum, non obſtante promiſſione matrimonii ab ipſo cum Berta contrahendi. C. B.

IMPEDIMENTUM IMPOTENTIÆ.

1. Impotentia eſt *inhabilitas ad habendam copulam carnalem*, ſive dein oriatur ab ipſa natura, ſive proveniat ab alia quacumque cauſa. Iſta inhabilitas aut eſt *abſoluta*, aut *reſpectiva*, aut *perpetua*, aut *ad tempus* durans. ABSOLUTA eſt *inhabilitas cum quacumque diverſi ſexus perſona* ; RESPECTIVA eſt ſolum inhabilitas *cum certa perſona*. *Abſoluta* & *perpetua* eſt illa, quæ ſemper durat, & quæ non poteſt ceſſare abſque miraculo, vel abſque peccato, vel abſque periculo evidenti mortis, & iſtud impedimentum annullat matrimonium jure eccleſiaſtico & naturali ; ſi iſta inhabilitas ceſſaret modis primum dictis, matrimonium, quod prius ex inhabilitatis cauſa erat invalidum, idcirco non redditur validum. Conjuncti tali matrimonio poſſunt contrahere novum cum

aliis

aliis, aut ſimul cohabitare, conſenſum renovando in matrimonium, quod ſe contrahere poſſe crediderunt. Inhabilitas *temporalis* eſt illa, quae cum tempore ceſſare poteſt, uti in impuberibus, aut curari poteſt ſolitis medicinæ remediis ſecluſo mortis periculo. Hæc poſterior matrimonium non ſed ſit invalidum, excepta tamen ea impuberum, qui, etſi eorum impotentia poſſit ceſſare, 'dum annos pubertatis attigerint, valide tamen juxta ſanctiones Cononicas contrahere non poſſunt.

2. Si accidat, ut de qualitate impotentiæ prudenter dubitari poſſit, Eccleſia triennium conceſſit, ut veritas experimentaliter comprobetur; & ſi elapſo hoc triennio impotentia adhuc perſeveret, ſeparationem quoad vinculum faciendam judicat; non permittit tamen ejusmodi conjugibus novum matrimonium, niſi in caſu impotentiæ reſpectivæ.

CASUS I. Valetne matrimonium cum arcta muliere contractum?

℞. Validum eſſe non cenſemus; etſi opera chirurgi remedium afferri poſſit: repugnat enim juſtitiæ & honeſtati, virginem nudam oculis ac manibus chirurgi exponi & ad inciſionem cogi, etiam citra mortis periculum. Oppoſitum tenent Sanchez & alii non nulli, ajuntque, impedimentum iſtud non reputari perpetuum, ſed tantum temporale; cum *præter divinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo*, ut loquitur Innocentius III. *valeat removeri Pontas.*

CASUS II. Antonius Mariam uxorem prima vice carnaliter cognoſcere nequivit, quia nimis arcta, quod ceſſaſſet, ſi prius a viro potenti fuiſſet cognita. Judicio autem Eccleſiæ ſeparatus ab illa Antonius Titiam uxorem duxit. Poteſtne huic adhærere, ſeu ut verbo dicam, talis Mariæ impotentia cenſendane eſt perpetua reſpectu Antonii?

℞. Conſtat Antonium poſſe adhærere Titiæ; ſed non, ſi Maria abſque periculo & gravi incommodo vellet pati inciſionem, ex qua poſſet eſſe viro idonea: tunc enim teneretur Antonius relicta Titia ad Mariam reverti, & cum illa ut cum legitima uxore cohabitare. *Pontas.*

NOTA. Concedendum Antonio, & Mariæ triennium ad probationem, ſi alterutra pars id petat, & expertæ perſonæ præbeant ſpem curandæ arctitudinis.

CASUS III. Ægidius Mariam uxorem duxit, & ita fuit arcta inventa, ut judicio Medicorum abſque periculo vitæ copulæ apta per inciſionem non poſſet fieri. Periculum illa

ſpon-

ſponte ſubire voluit, & inciſione apta facta eſt. Matrimonium ante nullum convaleſcitne ?

℟. Non inde fit validum matrimonium, niſi novo utriusque cenſenſu. *Pontas.*

Nota. Maritus non quidem tenetur ſe exponere periculo perennis miſeriæ exſpectando operationem. Si tamen conſenſit, non eſt opus novo conſenſu feliciter impleta conditione.

CASUS IV. Rodanus, qui copulæ ac generationis potens eſt, cum Titia ad utrumque impotente ſcienter contraxit. Poteſtne ſeſe ab illa ſeparare ?

℟. Poteſt, imo debet; niſi ſecluſo omnis incontinentiæ periculo velit eam quaſi ſororem habere. Ratio eſt; quia impotentia abſoluta, aut relativa perpetua eſt impedimentum contra ſubſtantiam matrimonii militans. *Pontas.*

CASUS V. Quando conjugum alter ſæpius copulam tentatam nequivit perficere, unde ſe ante ipſum contractum matrimonium impotentem fuiſſe ſuſpicatur, poteſtne ſine lethali crimine licentia uti conjugali in poſterum ?

℟. Non poteſt, quoniam difficillimum eſt impotentiam perpetuam a temporali diſcernere; & elapſo triennio ab Eccleſia conceſſo, intra quod carni operam dare conjugibus licet, nedum actu carnali debet ſe privare, ſed etiam tactibus, amplexibus, & oſculis. *Pontas.*

Nota. Cenſeo, tamdiu ex conſenſu conjugum poſſe continuari actus conjugales, quamdiu ſupereſt ſpes, quantumvis tenuis, curandæ impotentiæ.

CASUS Qui certo ſcit, ſe fuiſſe impotentem ante matrimonium, poteſtne ſine peccato mortali propria authoritate, & non exſpectata judicis ſententia ad alias nuptias convolare ?

℟. Non poteſt; quia, quamvis matrimonium ab impotente contractum ſit omnino irritum, a neutro tamen conjugum ſine Eccleſiæ judicio ſeparatio inſtitui poteſt, tum ob ſcandalum inde naſciturum, tum ob debitam Eccleſiæ obedientiam. *Pontas.*

CASUS VII. Qui utroque teſte carent, virili tamen membro valent, poſſuntne valide matrimonium contrahere ?

℟. Non poſſunt; quia 1. talis privatio eſt, omnium conſenſu, impotentia perpetua. 2. Talium matrimonium a Sixto V. irritum declaratum fuit. 3. Tales etiam ad contrahendum inhabiles declaravit Senatus Pariſienſis decreto 8. Jan. 1665. *Pontas.*

CASUS VIII. Defectus alterius tantum teſticuli conſtituitne impedimentum dirimens?

℟. Non conſtituit; quia vir uno tantum teſte carens verum prolificum ſemen poteſt emittere. *Pontat.*

CASUS IX. Procopius homo valde ſimplex duxit Claudinam, cum qua per quatuor annos non potuit conſummare matrimonium. Claudina a Vicino corrupta peperit infantem, cujus ſe eſſe patrem Procopius credidit, quamvis per quadriennium nunquam ſemen intra vas emiſerit. Claudinam propterea Procopius affectu conjugali ſæpius amplexatus eſt, & illa reſiſtere non potuit; cum uxor marito ſuo licentias maritales denegare non poſſit.

℟. Claudina abſque peccato non potuit Procopio permittere tam longo tempore licentias maritales. Confeſſarius debuit illam obligare ad ſeparationem quoad thorum, & ad petendam ſententiam ſeparationis. Verum cum infans, quem a Vicino ſuſceptum Propcopius credit eſſe ſuum, obſtaculum ſit ſeparationis, illa tenetur vivere cum Procopio ut fratre, & illi nullam concedere licentiam maritalem. Quod autem infantem attinet, tenetur Claudina reparare damnum, quod legitimis Procopii hæredibus inferetur. *Pontas.*

Nota. Cenſeo, actus conjugales concedi poſſe, quamdiu vel minima ſpes ſupereſt ſiniendæ impotentiæ. Vide *Caſ.* 5.

CASUS X. Epimenides anno ætatis ſuæ decimo quarto completo, & Sempronia duodecimo pariter completo a ſuis parentibus matrimonio juncti ſunt altero die, quo dictam attigere ætatem. Jam per tres annos cohabitant, quin matrimonium conſummare potuerunt ob temperamenti debilitatem.

℟. Valide contraxerunt matrimonium, & non ſunt ſeparandi; ſuppoſito quod eorum impotentia non ſit perpetua. Triennium ab Eccleſia conceſſum ad dignoſcendam perpetuitatem impotentiæ incipit primum ab adepta perfecta pubertate, id eſt, ab anno decimo octavo in maſculis, & a decimo quarto in fœminis. *Pontas.*

CASUS XI. Hippolytus octuaginta annos natus & ſupra vult ducere Hortenſiam ſeptuaginta natam annos.

℟. Valide poſſunt contrahere matrimonium, quamvis iſta fœmina ob ætatem ad ſuſcipiendam prolem impotens ſit; poſſunt etiam licite uti matrimonio. Ratio eſt 1. Quia Eccleſia ejuſmodi matrimonia ut valida ſemper agnovit. 2. Quia juxta D. Thomam *vetuli, quamvis quandoque non habeant calidi-*

caliditatem ſufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem ſufficientem ad carnalem copulam : & ideo conceditur eis matrimonium, ſecundum quod eſt in remedium, quamvis non competat eis, ſecundum quod eſt in officium naturæ. Ex quo ſequitur, hominem morti proximum poſſe contrahere matrimonium; quia impotentia illius tantum eſt accidentalis. *Pontas.*

Nota. Non eſt phyſice certum, in ea ætate non poſſe gigni prolem.

CASUS XII. Mirocles luxuriæ penitus deditus contraxit morbum venereum, ejusque curatione neglecta duxit uxorem; hæc vero illum ad conſummandum matrimonium impotentem experta petit, ut matrimonium declaretur nullum. Sententia igitur nullitatis lata eſt, cum permiſſione novi contrahendi matrimonii, quæ tamen Mirocli denegata eſt. Mirocles autem recuperata valetudine ducit Sylviam non obſtante prohibitione ſibi a judice facta, & ex ea multos ſuſcepit infantes. Prior ipſius uxor percipiens, Miroclem impotentem non eſſe, petiit ab eo ut ad ſe revertatur; ſua petitione vero fruſtrata cum alio vult contrahere matrimonium.

℞. Officialis deceptus eſt in ſuo judicio, quod tulit declarando, nullum eſſe Miroclis matrimonium; hoc erat validum, ſecundum vero eſt nullum; & ſi Sylvia primi matrimonii notitiam habuit, ſine peccato mortali non potuit reddere debitum Mirocli. Mortaliter etiam peccavit, ſi ipſi nupſit illius impotentiæ conſcia; ideoque illi cohabitare nequiit ne quidem ut ſoror fratri. Mirocles autem tenetur redire ad priorem uxorem, quæ ſola uxor legitima eſt, & quæ nec licite nec valide potuit contrahere matrimonium cum alio. Poſito etiam quod ea moriatur ante reditum Miroclis, hic non poterit permanere cum Sylvia, niſi de novo cum illa contrahat in præſentia parochi & teſtium; quia impedimentum ligaminis ex priore matrimonio publicum erat. Quod ſi fuiſſet occultum, ſufficiet, ſi ſecreto renovent conſenſum mutuum. *Pontas.*

CASUS XIII. Daniel ob impotentiam in perpetuum ſeparatus ab uxore ſua emiſit ſolemnem profeſſionem religionis; aut recepit omnes ſacros Ordines. Teneturne in conſcientia redire ad uxorem, quando dein certo conſtat, impotentiam non fuiſſe perpetuam?

℞. In priore caſu, etſi videatur impotentia non eſſe perpetua, Daniel abſolute non poteſt redire ad uxorem. In altero caſu autem tenetur redire, ſi uxor petat, & ipſe no-

lit

lit ſolemniter profiteri Religionem. *Votum ſolennizatum*, inquit Papa Joannes XXII. *per ſacri Ordinis ſuſceptionem ad diſſolvendum prius contractum matrimonium, etiamſi per carnis copulam non fuerit conſummatum, invalidum eſt cenſendum. Pontas.*

CASUS XIV. Theocritus duxit Thomaſiam; aſt ſive per maleficium ſive per frigiditatem naturalem ſenſit ſe impotentem ad conſummandum matrimonium.

℟. Si impotentia eſt perpetua, matrimonium eſt nullum; ſecus eſt validum. Ad hoc dignoſcendum Eccleſia conjugatis conceſſit triennium. Eſt autem inter impotentiam ex maleficio & ex frigore naturali hoc diſcrimen; quod poſterior impediat matrimonium cum quacumque fœmina, & prior ſolum cum ea, quam quis duxit, ita ut aliam ducere poſſit. Ita ſentit D. Thomas. Utrum impotentia proveniat ex maleficio, veroſimiliter ex ſequentibus indiciis colligi poteſt: 1. Quando uxor ad ſe accedentem pati recuſat, & illius mentulam tantæ magnitudinis imaginatur, ut ſe ab eo cognoſci, ferre nequeat. 2. Quando conjuges, cum alias ſeſe diligant, odio tamen inflammantur vel exhorreſcunt, quando ad coitum veniendum eſt. 3. Quando vir, quem ad alias fœminas potentem eſſe conſtat, cum ſola uxore, in qua nullum eſt obſtaculum, eſt impotens. 4. Quando vir coitum appetens, & mentula erecta paratus eſt ad copulam, ſubito friget, organumque relaxatur & concidit. *Pontas.*

CASUS XV. Liberius maleficio affectus aut naturaliter frigidus non potuit conſummare ſuum matrimonium cum Martha ultra tres annos. Martha igitur obtinuit ſententiam declarantem, matrimonium eſſe nullum; Liberius vero duxit aliam, cum qua ſine difficultate conſummavit matrimonium; nec amplius apparet maleficium aut frigiditas in illo.

℟. Si impotens ex maleficio fuerit cum Martha, & iſta impotentia declarata fuerit perpetua, potuit ducere aliam uxorem, & non tenetur redire ad priorem. Verum ſi Liberius, qui ſe naturaliter frigidum cum Martha credebat, contrarium expertus ſit, tenetur in conſcientia redire ad eam, non obſtante ſententia judicis, & dimittere ſecundam uxorem, quam ducere auſus eſt. *Pontas.*

Nota. Si maleficium eſt tantum reſpectivum, certum eſt, illud fieri tantum per operationem dæmonis tranſeuntem; ac proin maleficium non eſſe ex ſua natura perpetuum.

CASUS XVI. Nicander ex maleficio impotens cum Paula uxore ſua, ſeparatus eſt ab ea, poſtquam triennio illi cohabi-

habitaverat. Exinde duxit Gertrudem cum qua pariter impotentem ſe expertur. Sui ſtatus pertæſus ſe liberavit hoc maleficio per aliud maleficium, ſicque ſublata eſt impotentia reſpectu utriusque uxoris. Quid illi agendum?

℞. Debet remanere cum Gertrude, cum pro ea impotens eſſe deſierit, licet medio graviter illicito; ſuum tamen conſenſum mutuum renovare debent. Paulam quod attinet, Nicander validum cum ea non contraxit matrimonium. *Si poſſet*, ait S. Thomas, *per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputatur; quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficia invocare. Pontas.*

Nota. Ex effectu patet, utrumque maleficium fuiſſe ſolum per operationem dæmonis tranſeuntem, quæ jubente Deo ad preces digni Oratoris in momento ſiſtitur. Igitur Nicander ad reſumendam primam conjugem compellendus foret, ſi alterutram reſumere tenetur.

CASUS XVII. Henricus ex maleficio impotens detexit illum, a quo maleficio eſt affectus. Qua ratione ſe illo liberare poteſt?

℞. Non poteſt tuta conſcientia, ut ſuo liberetur maleficio, illius authorem obligare ad comburendam rem, cui annexum credit eſſe maleficium. Nihilominus tamen omiſſo recurſu ad authorem maleficii poſſunt comburi ſigna ea intentione, ut deſtruantur opera diaboli, verum ea comburendo renunciandum eſt omni pacto cum illo, & nihil per hoc medium ab ipſo exſpectandum. Remedia, quæ in hisce circumſtantiis adhiberi poſſunt, ſunt confeſſio, preces ad Deum, eleemoſynæ, profuſæ piæ lacrymæ, ac jejunia cum exorciſmis eccleſiaſticis. *Pontas.*

Nota. Nec quærenda, nec inventa ſuperſtitiose comburenda ſunt ſigna maleficii; ſed contemnenda, & facto deſuper ſigno crucis invocandus Deus, ut inhibeat operationem dæmonis.

CASUS XVIII. Norbertus & Juliana matrimonio juncti, maleficio affecti ſunt, & ultra ſex menſes non potuerunt conſummare matrimonium. Audierunt, alios conjuges maleficio infeſtatos reiterata celebratione matrimonii ocyus ac penitus fuiſſe liberatos.

℞. Non poſſunt absque ſuperſtitione uti hoc medio. *Exiſtimo*, inquit Sylvius, *illam praxin pertinere ad vanas ſuperſtitiones, quæ, licet aliquando reperiantur habere effectum, non idcirco tamen deſinunt eſſe vanæ. Pontas.*

Nota. Hæc reiteratio Sacramenti ejusdem cum eadem eſt veriſſima ſuperſtitio. Non alia media adhibenda, niſi recurſus ad Deum per ora-

orationes, jejunia, eleemoſynas, vota ad Chriſtum in cruce evertentem opera dæmonis, interceſſiones Sanctorum, ſanctioris vitæ propoſita &c. ut ſic Deus, ſine cujus permiſſione ſpeciali dæmon nec minimum nocere poterit, ſiſtat ejusdem operationem.

CASUS XIX. Si in cauſa divortii maritus affirmet ſuam potentiam, uxor autem neget, quid agendum?

℞. Marito credendum eſt; quia vir eſt caput mulieris, ut inquit S. Thomas, & Concilium Compendienſe. Si tamen uxor poſſet probare impotentiam, audienda foret. Si vice verſa, maritus diceret ſe eſſe impotentem, & uxor tueretur oppoſitum, uxori credendum foret; quia præſumendum non eſt, uxorem velle cohabitare cum viro impotente; ad hæc maritis ſic frequens daretur occaſio dimittendi uxores ſuas. *Pontas*.

Nota, Cenſerem, maritum a duobus medicis & duobus viris honeſtis conjugatis primum ſeorſim examinandum ac inſtruendum, dein poſt tempus in præſentia uxoris & eorumdem teſtium eidem juramentum deferendum.

CASUS XX. Lucia maritum ſuum accuſat de impotentia, quam iſte negat. Judex tulit ſententiam, ut congrediantur in præſentia duorum teſtium.

℞. Probatio hæc infamis jam eſt ſublata, utpote illegitima & illicita. *Pontas*. Vide Caſ. 19.

CASUS XXI. Si quis primum poſt matrimonium ratum, necdum conſummatum, fiat ad copulam perpetuo impotens, quid juris?

℞. Non poteſt hac de cauſa dirimi matrimonium, quod ſola profeſſio religioſa ſolemnis dirimit. *Pontas*.

CASUS XXII. Margaritha exiſtimat, maritum ſuum eſſe impotentem.

℞. Si non certo conſtet de impotentia, non poteſt absque peccato mortali ipſi denegare debitum durante triennio. *Si eſt evidens impedimentum, ut in eunuchis*, ait S. Thomas, *poſſunt ſtatim ſeparari*; in quo caſu uxor adeo non tenetur ad debitum, ut ne quidem absque peccato reddere poſſit. *Pontas*.

Nota. Si vult, poteſt uxor marito reddere debitum etiam ultra triennium, quamdiu ſupereſt vel tenuis ſpes meliorationis.

CASUS XXIII. Impotentia reſpectiva inter duos conjuges tribuitne jus diſſolvendi matrimonium?

℞. Tribuit. Sed ſi poſtea ceſſet hoc impedimentum, & una Pars jam ad alias nuptias tranſierit, non amplius obliganda eſt Pars altera, quæ erat prius impotens, ut redeat

ceſſante impotentia ad primum ſuum matrimonium, ſed permittendum, ut pro ſuo arbitrio nubat alteri. Hæc praxis ac conſuetudo a pluribus jam ſæculis obtinuit in Gallia. *Fromageau.*

IMPEDIMENTUM RAPTUS.

1. Duplex diſtinguitur raptus, *violentiæ* ſcilicet & *ſeductionis.* Raptus primi generis eſt *fœminæ invitæ abductio, matrimonii contrahendi libidinisque explendæ cauſa.* Raptus ſecundi generis improprie dictus committitur, cum filiusfamilias vel filiafamilias captioſe inducitur ad dandum conſenſum in matrimonium invitis parentibus, tutoribus &c. Crimen iſthoc ſæpius pœna infamiæ, quandoque etiam mortis mulctatum eſt.

2. Raptus proprie ſolos maſculos afficit, licet & fœminis ſub eadem ratione prohibitus ſit. Concilium Tridentinum quoque de ſolis maſculis loquitur. In Gallia autem etiam fœminæ ac puellæ puniuntur, qui juvenes rapiunt.

CASUS I. Maximianus & Roſa filiafamilias matrimonium inire cogitant; Roſa autem ætatis viginti trium annorum non poteſt obtinere conſenſum parentum aut tutoris ſui. Permittit itaque Maximiano, ut ſe abducat in locum diſſitum; quo cum perveniſſent, conſtituto ibi domicilio ſe jungunt matrimonio coram parocho & duobus teſtibus.

℞. Matrimonium hoc eſt nullum propter crimen raptus, cujus Maximianus ſe reum fecit; quia, ut D. Thomas obſervat, etſi puella conſentiat in raptum, raptor tamen infert violentiam parentibus & tutori, qui durante minorennitate ſunt quaſi depoſitarii voluntatis liberorum ac pupillorum ſuorum. *Pontas.*

Nota. Extra Galliam non adeo certum eſt, de jure communi hoc matrimonium eſſe invalidum; quia ex parte puellæ nulla intervenit violentia.

CASUS II. Martialis raptu abduxit Juſtinam invitam, conſentiente tamen ejusdem patre aut tutore.

℞. Martialis commiſit crimen raptus; hinc matrimonium inter eos contractum eſt invalidum. Ratio eſt; quia juxta D. Thomam tantum juris non habet pater in perſonam ac libertatem filiæ, multo minus tutor in pupillum; etiamſi ageretur de procurando matrimonio ſumme favorabili. *Pontas.*

CASUS III. Mutius iniit ſponſalia cum Servia conſentientibus ejusdem parentibus ; ſed cum jam contrahendum ipſum matrimonium, pater abſque ulla ratione legitima puellæ negat conſenſum. Mutius ergo abduxit puellam volentem ac conſentientem, & cum ea biduo poſt contrahit.

℟. Matrimoninm eſt validum ; & licet peccaverit Mutius adhibendo violentiam, non tamen reus eſt raptus. Ratio eſt ; quia juxta S. Thomam deſponſatus habet jus aquiſitum in perſonam ſponſæ, quæ fidem ſuam obligavit mutuo matrimonii promiſſo. *Pontas.*

CASUS IV. Antonius rapuit Luciam puellam majorennem conſentientem, ac fortiter reſtitit parentibus filiam ſuam ex manibus ipſius eripere tentantibus. An initum cum abducta matrimonium eſt validum ?

℟. Proprie loquendo & ſumendo raptum in ſenſu Canonum Antonius non commiſit raptum ; cum enim Lucia jam eſſet majorennis ac ſui juris, & ipſa conſenſerit in raptum, nullam prorſus paſſa eſt injuriam juxta regulam juris ; *ſcienti & conſentienti non fit injuria neque dolus.* Neque injuria illata fuerat parentibus Luciæ ; quia filia non amplius erat in eorum poteſtate, ſed domina ſui, voluntatis ſuæ & jurium ſuorum effecta eſt. Hinc valor matrimonii hujus non poteſt impugnari ex impedimento raptus. Adde, quod etiam in Gallia leges pœnales in raptores latæ tantum afficiant eos, qui rapiunt maſculos aut fœminas annum ætatis vigeſimum quintum necdum egreſſos. *Pontas.*

CASUS V. Anaſtaſia matrona vidua, nobilis ac potens abducendum curavit juvenem octodecim annorum ſub patria adhuc poteſtate conſtitutum, æque nobilem, & conſentientem in ſui abductionem, cui dein nupſit in præſentia proprii parochi & plurium teſtium.

℟. De jure communi & in foro interno videtur hoc matrimonium eſſe validum : decretum enim Concilii Tridentini tantum loquitur de viris raptoribus puellarum aut fœminarum, & non de mulieribus raptricibus virorum ; juxta regulam autem juris : *in pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt.* In Gallia tamen juxta leges regni pro foro externo hoc matrimonium declararetur invalidum. *Pontas.*

CASUS IV. Sejus rapit Bertam juſſu Pauli, An Berta poteſt nubere Sejo ?

℟. Poteſt ; nam qui juſſu alterius rapit, proprie non cenſetur ipſe eſſe raptor. Cum ergo impedimentum raptus juxta Tridentinum ſeſſ. 24. c. 6. ſolum intercedat raptam inter & rapto-

raptorem proprie talem, & Sejus non ſit proprie talis, matrimonium inter Sejum & Bertam poteſt conſiſtere. C. B.
Vide *Diſpenſatio in Matrimonio. Matrimonium. Sponſalia.*

IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA

1. Impedimenta *impedientia* ſunt ea, quæ prohibent matrimonium contrahendum ſub peccato, non tamen invalidant jam contractum. Hæc numero ſunt duodecim his verſibus comprehenſa:

Eccleſiæ Vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechiſmus, Sponſalia jungito Votum,
Inceſtus, Raptus ſponſatæ, Mors mulieris,
Suſceptus propriæ prolis, Mors presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem
Accipiat. Prohibent hæc conjugium ſociandum.

2. Ex his duodecim impedimentis ſolum quatuor adhuc ſunt in uſu, nempe Eccleſiæ vetitum, tempus feriatum, ſponſalia & votum; reliquis omnibus conſuetudine contraria abrogatis.

CASUS I. Jodocus contraxit matrimonium, etſi id prohiberent impedimenta, quæ impedientia dicuntur. Peccavitne mortaliter?

℟. Peccatum mortale eſt contrahere matrimonium 1. Contra prohibitionem Eccleſiæ, dum ſcilicet Epiſcopus, Vicarius Generalis, Officialis aut etiam parochus id prohibent, donec ſuperveniens difficultas ſit ſublata; aut dum quis excommunicatione majore vel minore aut interdicto ligatus; aut denique dum denunciationes non ſunt præmiſſæ: & hoc impedimentum dicitur *Eccleſiæ vetitum.* 2. Nuptias celebrare eo tempore, quo ab Eccleſia prohibentur, nimirum a prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam, & a die Cinerum usque ad Octavam Paſchæ: & hoc eſt *tempus feriatum.* 3. Dum quis ligatur voto caſtitatis, Religionis, recipiendi ſacros Ordines, non nubendi: & hoc intelligitur per *Votum.* 4. Denique non poteſt quis, ſaltem regulariter loquendo, absque peccato mortali contrahere cum perſona, ſi prius jam iniit ſponſalia cum alia, niſi ſubſint rationes legitimæ: & hoc impedimentum dicitur *Sponſalia. Pontas.*

CASUS II. Candidus ſcit impedimentum prohibens inter duos contrahentes, quorum matrimonium futurum jam publice denunciatum fuit. Teneturne ſub peccato mortali illud manifeſtare parocho ?

℞. Tenetur ſub peccato mortali ad manifeſtationem hujus impedimenti ; quia alias inobedientiam committeret erga Eccleſiam, & ſemet ipſum participem redderet peccati in hoc ſtatu contrahentium. *Pontas.*

IMPOTENTIA.

Vide *Impedimentum impotentiæ.*

INCARCERATUS.

CASUS. Cajus ad perpetuos carceres damnatus fugæ, quam ſemel & iterum tentaverat, tandem occaſionem nactus, perfractis regulis feliciter evadit. Peccatne tentando fugam, & perfringendo carcerem ?

℞. Non peccavit meditando ac tentando fugam ; cum reo mortis vel pœnæ æquivalentis nunquam non liceat quærere modos ac vias ſubtrahendi ſe ſupplicio, quamdiu ſpes affulget evadendi. Neque peccavit perfringendo carcerem : ſi enim ipſi licuit fugere, licuit etiam excogitare ac applicare media ad executionem propoſiti maxime idonea, citra ullius tamen injuriam. Jam vero, cum in poſito caſu unicum, quod Cajo ſupererat, evadendi medium, fuerit effractio carceris, evidens utique eſt juxta S. Thomam 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2., quod effringendo carcerem ac fugiendo non peccaverit. C. B.

INCESTUS.

1. *Inceſtus* eſt *copula carnalis conſanguineorum vel affinium intra gradus prohibitos.* Duplex hinc diſtinguitur inceſtus, inter duos ſcilicet *conſanguineos*, & inter duos *affines*. Eſt & tertium genus inceſtus, nimirum *ſpiritualis*, qui committitur a perſonis, inter quas per ſacramenta Baptiſmi & Confirmationis, ac juxta nonnullos Theologos etiam Pœnitentiæ quædam cognatio & affinitas ſpiritualis contracta eſt.

2. Inceſtus eſt impedimentum matrimonii, quod non niſi diſpenſatione legitima tolli poteſt. Contracto jam matrimonio privat reum jure petendi debitum conjugale, ad quod recuperandum denuo requiritur legitima diſpenſatio ab Epiſcopo.

NOTA. Poteſtatem diſpenſandi hac in re, ſcilicet circa amiſſum jus petendi debitum, pro foro interno multi Authores aſſerunt omnibus Confeſſariis regularibus legitime approbatis. Vide GRUEBER *De privilegiis Religioſorum Tract.* 4. *Diſput.* 3. *Sect.* 3.

CASUS I. Abrahamus commiſit inceſtum cum Ansgarda conſanguinea ſua; in confeſſione autem ſe ſolum accuſat de ſimplici fornicatione; eo quod, cum ambæ perſonæ ſint ſolutæ, circumſtantiam conſanguinitatis non neceſſario exprimendam arbitraretur. Potuitne reticere hanc circumſtantiam?

℞. Inceſtus eſt peccatum ſpecie diſtinctum a ſimplici fornicatione, cui novam ac diſtinctam addit difformitatem; quia læditur honor ac reverentia, quæ ſanguine aut affinitate junctis ex inſtinctu naturæ debetur. Ad hæc, ſi ejusmodi peccatum non eſſet ſpecialiter prohibitum inter conſanguineos & affines, qui plerumque ſimul commorantur ac in eadem domo, ingens inveheretur perturbatio inter familias. Indubitato ergo Abrahamus explicare debuit non ſolum circumſtantiam inceſtus, ſed etiam gradum conſanguinitatis. Id autem cum non fecerit, juxta S. Thomam in 4. diſt. 41. q. 1. art. 4. C. confeſſio ipſius fuit nulla. *Pontas.*

NOTA. Si exiſtimabat, hanc circumſtantiam non neceſſario confitendam eſſe, prout & dari poterat circa hanc obligationem ignorantia inculpabilis, non poteſt dici, hanc omiſſionem liquido inexcuſabilem, ac gravis peccati ream eſſe, ita ut confeſſio certe ſit nulla. Hæc ſoli Deo relinquenda ſunt.

CASUS II. Vigilius parochus convictus eſt de carnali commercio habito cum ſua confeſſionis filia. Commiſitne inceſtum ſpiritualem? Num & pœnam incurrit in inceſtuoſos latam?

℞. Quidam Theologi docent, in hoc caſu verum committi inceſtum ſpiritualem, & incurri pœnam inceſtuoſi. Alii vero cenſent, cognationem ſpiritualem proprie loquendo ſolum contrahi per adminiſtrationem Sacramentorum Baptiſmi & Confirmationis, non autem pœnitentiæ, ut id expreſſe declarat Bonifacius VIII. in Cap. *Quamvis* 3. Lib. 4. Tit. 3. in 6., & idem docet S. Thomas in 4. diſt. 42. q. 1. art. 2. ad 8. Hinc proprie loquendo Confeſſarius peccans cum

ſua

ſua pœnitente non eſt reus veri inceſtus, committit tamen crimen juxta S. Thomam l. c. haud minus enorme ipſo inceſtu. Itaque Vigilio ſubeunda eadem pœnitentia, quam prudens Confeſſarius injungeret pro inceſtu proprie tali, licet duntaxat commiſerit ſimilitudinarium. *Pontas.*

Nota. In variis Authoribus & Synodalibus etiam concubitus cum Moniali vocatur inceſtus.

CASUS III. Berta adhuc Judæa, poſtea vero ad veram fidem converſa, rem habuit cum Cajo, qui ad Baptiſmum tenuerat ejus filium, dum maritus ejusdem catholicam religionem amplexus jam fuerat. Eſtne hic concubitus inceſtuoſus?

℟. In ſenſu catholico, & quoad effectus juris eccleſiaſtici non eſt inceſtuoſus; quia, dum baptizabatur filius, non potuit contrahere cognationnm ſpiritualem cum Cajo, utpote adhuc in Judaiſmo exiſtens, & conſequenter non ſubjecta legibus Eccleſiæ. Neque eam cognationem contraxit Berta, dum poſtea ad religionem catholicam ſeſe converterat; quia. quod ab initio non ſubſiſtit, tractu temporis non firmatur. C B.

Vide *Impedimentum Cognationis carnalis & Affinitatis.*

INDULGENTIÆ.

1. Vox *Indulgentiæ* derivatur a verbo latino *indulgere*, quod idem eſt ac remittere aut condonare culpas commiſſas. Hic per indulgentias intelligitur condonatio ac remiſſio pœnæ peccatis debitæ; & hinc indulgentia in genere a Polmano definitur, quod ſit *abſolutio a pœna injuncta vel injungenda per poteſtatem clavium.*

2. Virtus indulgentiarum unice provenit ex meritis Chriſti, quæ ſunt infiniti valoris; & dum etiam merita Sanctorum in theſaurum Eccleſiæ referuntur, ea ſolum conſiderantur per modum ſubſidii, quod omnem ſuam virtutem obtinet ex meritis Chriſti, ut id explicat Clemens VI. in C. *Unigenitus.* 2. Extrav. Lib. 5. Tit. 2.

3. Chriſtus dedit Eccleſiæ, ſeu primariis ejusdem rectoribus poteſtatem concedendi indulgentias, quarum uſus fidelibus apprime proficuus eſt: ſuppletur enim per eas peccatoris impotentia ac infirmitas, ita ut iis adjutus plenius ſatisfacere poſſit divinæ juſtitiæ.

4. Manifeſta foret deceptio, ſi quis exiſtimaret, ope quarumdam precatiuncularum ac modicarum eleemoſynarum tam facile obtineri poſſe remiſſionem omnium pœnarum ob peccata commiſſa læſæ divinæ juſtitiæ debitarum. Medium ſecuriſſimum ac utiliſſimum lucrandi indulgentias eſt, ſi pœnitens peccator per laborioſa pœnitentiæ opera dignum ſe reddat, ut Eccleſia ejusdem ſubveniat infirmitati, & bonam ejus voluntatem conſpiciens defectum rigoroſæ pœnitentiæ oblata indulgentia ſuppleat.

5. Nota. Emanarunt a S. Congregatione Indulgentiarum duo decreta in materia indulgentiarum notabilia. *Primum* de anno 1759. die 19. Maji ſtatuit: *Confeſſionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro indulgentiarum conſecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui ſibi lethalis peccati conſcii non ſunt; nec non præfatam confeſſionem ſuffragari etiam poſſe, ſi expleatur in vigilia feſtivitatis. Quod autem ad Eccleſiæ viſitationem ſpectat, eam impleri poſſe ſive ante, ſive poſt aliorum piorum operum implementum.* Alterum de anno 1763. 9. Decembris continet indultum conceſſum *omnibus Chriſti fidelibus, qui frequenti peccatorum confeſſione animam ſtudentes expiare, ſemel ſaltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, niſi legitime impediantur, conſueverant, & nullius lethalis culpæ a ſe poſt peractam ultimam confeſſionem commiſſæ ſibi conſcii ſunt, ut omnes, & quascumque indulgentias conſequi poſſint, etiam ſine actuali confeſſione, quæ ceteroquin ad eas lucrandas neceſſaria eſſet. Nihil tamen innovando circa indulgentias Jubilæi, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad inſtar Jubilæi conceſſas, pro quibus aſſequendis, ſicut & alia opera injuncta, ita & Sacramentalis confeſſio tempore in earum conceſſione præſcripto peragantur.*

CASUS I. Papa conceſſit Breve indulgentiarum ad ſeptennium cuidam confraternitati. Competitne Epiſcopo diœceſano jus hoc Breve examinandi, antequam indulgentias publicari permittat?

℟. Certum eſt, hoc jus Epiſcopo competere, ne indulgentiæ falſæ promulgarentur; & ſane juxta Concilium Tridentinum Seſſ. 21. de Reform. c. 6. penes ſolum Epiſcopum eſt indulgentiarum publicationem permittere. Hoc punctum diſciplinæ in univerſa Eccleſia obſervatur, nec ipſa Gallicana excepta, ubi a Conventu Clericali anno 1625. omnibus Religioſis aliisque publicatio indulgentiarum interdicitur absque licentia Epiſcopi diæceſani in ſcripto obtenta. *Pontas.*

CASUS II. Communitas quædam Religioſa Epiſcopo ſubjecta Roma obtinuit Breve indulgentiæ plenariæ ad ſeptennium in favorem Confraternitatis recenter erectæ. Superior Breve iſthoc Ordinario obtulit examinandum, ac dein de ipſius licentia publicandum. An non injuſte egit Epiſcopus

Bre-

Breve hoc per trimeſtre ſecum retinendo, ut adeo tamdiu publicari non potuerit?

℟. Quamvis Epiſcopus nullum vitium in Brevi Apoſtolico detegat, non tamen tenetur ſtatim permittere publicationem ejusdem; ſed poteſt eam differre in tempus, quod ſibi viſum fuerit congruum: Papa enim diſpenſat indulgentias in bonum ſpirituale fidelium; cum autem ipſe ponderare non poſſit, quo tempore eadem convenientius ac pro majori bono ſpirituali confratrum promulgari poſſint ac debeant, determinatio temporis relinquitur Epiſcopo. *Pontas.*

CASUS III. Papa indulgentias conceſſit cuidam Eccleſiæ parochiali ad novem annos; has autem publicare neglexit parochus, quo interea mortuo primum poſt decennium a ſucceſſore illius promulgatæ fuerunt; ut proin integer annus abierit poſt exſpirationem illarum. Valentne adhuc iſtæ indulgentiæ? An non decepit ſucceſſor parochianos ſuos eas promulgando?

℟. Brevia indulgentiarum effectum ſuum ſortiuntur a die publicationis, non autem a die, quo conceduntur; id quod ex ipſo Concilio Tridentino deſumi poteſt. Hinc in caſu poſito Breve ex defectu publicationis fuit ſolum ſuſpenſum, non vero invalidatum; & ideo ſucceſſor prioris parochi absque ulla deceptione parochianorum potuit promulgare has indulgentias, utpote adhuc validas. *Pontas.*

Nota. Hæc reſponſio eſt erronea. S. Congregatio Indulgentiarum declaravit, ejusmodi Brevia valere a die præſentati; & ſi negligatur præſentatio intra annum, ab Ordinario non eſt permittenda publicatio; cum etiam aliæ literæ Romanæ ad Beneficia, niſi intra annum inſinuentur Ordinario, exſpirent.

CASUS IV. Arſenius Abbas regularis obtinuit Roma Breve indulgentiarum in favorem Eccleſiæ parochialis Abbatiæ incorporatæ, & Breve inſcriptum erat *Viro in dignitate conſtituto.* Abbas has indulgentias publicari juſſit a parocho in feſto Patroni Eccleſiæ, multique fidelium eas lucrari ſatagebant. Aſt Epiſcopus id reſciens, nullam harum indulgentiarum rationem habendam eſſe declaravit. Quæritur, num Epiſcopus jure ſe oppoſuerit, & an valeant hæ indulgentiæ.

℟. Authoritas Epiſcoporum hac in re eſt tanta, ut ſine ejusdem licentia ac conſenſu omnis publicatio Indulgentiarum interdicta ſit, poſſuntque ejusmodi indulgentiæ haberi pro ſubreptitiis aut obreptitiis, usque dum earum publicatio ab Epiſcopo permiſſa fuerit. Concilia tam Tridentinum quam alia huic diſciplinæ articulo firmiter inſiſtunt; plurimum

mum quoque refert ad bonum ſpirituale fidelium Epiſcopo ſubjectorum, ut certi ſint, Brevia indulgentiarum eſſe authentica, & non abuſiva; cujus rei diſcuſſio ad ſolos pertinet Epiſcopos. *Pontas.*

CASUS V. Cum Breve indulgentiarum præſentaretur Archiepiſcopo Trevirenſi, eas reperit immodicas ac exorbitantes; & hinc non permittit earum publicationem. An non peccat contra reverentiam Sedi Apoſtolicæ debitam?

℞. Intentio Papæ certe non eſt concedendi indulgentias nimias & immodicas, quæ frequenter ad aliud non ſerviunt, niſi ad relaxandam diſciplinam Eccleſiæ, & ſimplicis plebis deceptionem. Epiſcopus, cui præſentantur id genus indulgentiæ, cenſere debet, eas eſſe ſubreptitias, ac prohibere earum promulgationem. Hæc reſponſio fundatur in decretali Innocentii III. Cap. *Cum ex eo.* 14. lib. 5. Tit. 38. Archiepiſcopus igitur non peccavit contra reverentiam Papæ debitam. *Pontas.*

CASUS VI. Eccleſia quædam parochialis obtinuit indulgentias plenarias pro feſto Annunciationis B V., quod in 25. Martii incidit. Quæritur, an hoc feſto poſt octavam Paſchæ translato, transferantur etiam indulgentiæ.

℞. Juxta mentem Sylvii, ſi in Brevi ſolum deſignatur dies feſtus Annunciationis, & non præciſe dies vigeſimus quintus Martii, probabile eſt, cum feſto etiam transferri indulgentias; id quod confirmari poteſt ex præſumpta intentione Pontificis concedentis hujusmodi indulgentiam: cum enim Papa non ſoleat præciſe reſtringere indulgentiam ad hunc vel illum menſis diem, ſed ſolum ad eum diem, quo hoc feſtum ſolemniter agitur, videtur conſentire, ut indulgentia ſuum habeat effectum, quocumque demum die feſtum celebratur. Et hæc interpretatio conformis eſt regulæ juris: *Favores convenit ampliari. Pontas.*

Nota. Obſtat declaratio Congregationis indulgentiarum, vi cujus translatis feſtis non transferuntur indulgentiæ; niſi id per ſpecialem ſupplicationem obtineatur. Vide *Amort. Theol. Ecleſ. De Indulg. quæſtiunc.* 74.

CASUS VII. Parochus quidam ante triginta annos obtinuit pro Eccleſia ſua indulgentias perpetuas ad feſtum Nominis Jeſu. Eo autem mortuo ſucceſſor illius publice denunciat, dictas indulgentias exſpiraſſe. Scandalizantur ex hoc plurimi, & non obſtante hac denunciatione fervide conantur lucrari haſce indulgentias, ut prius. Num bene agunt?

℞.

℟. Male agunt, & inſigniter decipiuntur: licet enim quandoque in Brevi dicatur, indulgentias concedi *perpetuas*, hoc tamen prædicatum non eſt ſumendum ad literam, ſed juxta ſtylum Cancellariæ Romanæ, quæ in Regula 57. declaravit, in materia indulgentiarum terminum *perpetuas* reſtringendum eſſe ad numerum viginti annorum, ut docet Gamachæus in tract. de Indulgent. cap. 6. Hinc ſucceſſor parochi, qui ante triginta annos impetraverat indulgentias *perpetuas*, optime advertit populum, eas jam *exſpiraſſe*. *Pontas.*

Nota. Reſponſio hæc prorſus eſt erronea, & praxi modernæ omnino contraria. Gamachæus cum ſua veterana Cancellariæ regula fuit antiquatus. Illius tempore necdum erecta fuerat Congregatio Indulgentiarum, quæ aſſumpſit regulas conſtantes. Euſebius Amort, qui Romæ legit omnia protocolla hujus S. Congregationis, nec unicum caſum reperit, quo poſt viginti aut plures annos poſtulata fuiſſet renovatio indulgentiarum in perpetuum conceſſarum.

CASUS VIII. Papa conceſſit Eccleſiæ S Paulini indulgentias plenarias ad feſtum S. Joannis Bapt. cum hac conſueta clauſula: *Si in dicta Eccleſia aliæ indulgentiæ perpetuo vel ad tempus nondum elapſum duraturæ conceſſæ ſint - - - præſentes nullius ſint roboris.* Habebatur autem jam indulgentia perpetua in dicta Eccleſia ad feſtum Patroni Eccleſiæ. Quæritur hinc, an iſtud Breve ſit nullum ratione prioris indulgentiæ; aut num dictæ clauſulæ ſenſus ſolummodo ſit: quod ſi ad diem S. Joannis Bapt. alia non habeatur indulgentia, hæc ſuum ſortiatur effectum, licet ad feſtum Patroni jam prius conceſſa fuerit indulgentia perpetua.

℟. Clauſula iſthæc eſt intelligenda de omni alia indulgentia huic Eccleſiæ ad quemcumque diem conceſſa, ita ut indulgentiæ ad diem S. Joannis conceſſæ nullæ ſint; quia hæc Eccleſia aliis indulgentiis ad feſtum Patroni erat inſtructa. Sic docet *Sylvius Reſolut. var. V. Indulgentiæ.* 3. *Pontas.*

Nota. Fors mitius ſentiendum ex eo capite; quia in modernis Bullis vel Brevibus ordinarie dicitur: Niſi alia *ſimilis* indulgentia reperiatur; hoc eſt, ex *eodem titulo* ſeu *motivo* conceſſa.

CASUS IX. Datur indulgentia plenaria perpetua in Eccleſia S. Clotildis jam dudum conceſſa. Superior autem hujus Eccleſiæ erecta cum conſenſu Epiſcopi nova confraternitate Roma petiit ac obtinuit indulgentias plenarias ad ſeptennium in favorem confratrum. Poſſuntne hæ indulgentiæ publicari? Num valent ſimul cum priori indulgentia plenaria perpetua?

℟. Va-

℞. Valent & poſſunt publicari non obſtante priori indulgentia, quæ & ipſa in ſuo vigore perſeverat: clauſula enim Brevium indulgentialium ordinaria: *Volumus autem, ut ſi alias Chriſti fidelibus in quocumque alio anni die dictam Eccleſiam, ſeu capellam, aut altare in ea ſitum viſitantibus, alia aliqua indulgentia, vel perpetua, vel ad tempus nondum elapſum conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint*, intelligi debet de indulgentia locali; & cum indulgentia confraternitati conceſſa ſit perſonalis, una ſubſiſtit cum altera. *Pontas.*

CASUS X. Ante ſeptennium conceſſum eſt a Papa Breve indulgentiæ plenariæ cuidam Confraternitati ad ſeptennium. Termino hoc jam prope ad finem vergente Confraternitas Romæ ſupplicavit 1. Semptembris pro ulteriori prolongatione indulgentiæ, facta tamen annotatione, priorem indulgentiam primum 31. Decembris exſpiraturam. Prolongatio fuit conceſſa & obtenta 1. Octobris, exaratumque deſuper Breve eaſdem conditiones ac terminos continebat, qui legebantur in primo Brevi. nempe *Volumus Eccleſiam N. N. ſimul ad præſens privilegio, ut accepimus, minime decoratam hoc ſpeciali dono decorare.* Jam quæritur, an ob iſtam clauſulam Breve non videatur obreptitium & nullum; & ſuppoſito quod ſit validum, an a die, quo datum eſt, ſuum ſortiatur effectum.

℟. Iſthoc ſecundum Breve non eſt obreptitium, ſed validum, non obſtante dicta clauſula. Ratio eſt 1. quia verum erat, quod Confraternitas non haberet indulgentiam ſeptem annorum eo tempore, pro quo illam petebat, ſcilicet poſt lapſum primi ſeptennii. 2. Si hæc explicatio non admittatur, in regionibus Roma remotioribus nunquam poſſent continuari ejusmodi indulgentiæ ſine interruptione plurium menſium, quod eſt contra intentionem ſummi Pontificis. 3. Ejusmodi clauſula eſt de mero ſtylo Curiæ Romanæ; & hinc. ſi aliunde nulla intervenerit ſub - aut obreptio, valori indulgentiarum non obeſt. *Pontas.*

NOTA. *Amort* in Theol. Eclect. De Indulg. allegat declarationem Congregationis Indulgentiarum, vi cujus confirmatio aut prolongatio indulgentiarum incipit in regionibus remotis a die præſentationis Brevis Ordinario factæ.

CASUS XI. Nicephorus Superior cujusdam Conventus Mendicantium obtinuit Breve indulgentiarum pro altari privilegiato ad ſeptennium cum hac clauſula: *Ut quandocumque ſacerdos ejusdem Eccleſiæ duntaxat ad præfatum altare celebrabit, indulgentiam conſequatur.* An Religioſi aliorum

Con-

Conventuum tranſeuntes, & ad altare hoc celebrantes lucrari poſſunt indulgentiam ?

℟. Sylvio certum videtur, intentionem Papæ fuiſſe ſolis Religioſis hujus Conventus, cujus Nicephorus Superior eſt, concedendi indulgentiam, & non aliis exteris in iſto altari celebraturis : Papa enim non dixerat : *quandocumque ſacerdos ejusdem Ordinis* ; ſed, *quandocumque ſacerdos ejusdem Eccleſiæ duntaxat.* Quamvis etiam Religioſi aliorum Conventuum eſſent ſubjecti Superiori hujus Conventus, cenſentur tamen extranei & hoſpites. *Pontas.*

NOTA. Reſpiciendum ad motivum concedentis, an ſit locale, perſonale, vel mixtum : favor enim ſpecialis indultus perſonis monaſterii vel Ordinis non extenditur ad exteros.

CASUS XII. Eucherius Religioſus multum ac graviter delinquens fuit punitus a Superiore ſuo in pleno Capitulo per impoſitionem variorum operum pœnitentialium. Poteritne harum pœnarum remiſſionem obtinere lucrando indulgentias plenarias.

℟. Certum eſt, id fieri non poſſe : indulgentiæ enim non conceduntur ad enervandam diſciplinam regularem : *nec iterum*, inquit S. Thomas, *per indulgentias remittuntur pœnæ injunctæ in Capitulo* ; *quia in Capitulo agitur forum quaſi judiciale magis, quam pœnitentiale. Pontas.*

CASUS XIII. Innocentius lucraturus indulgentiam, quæ ad ſeptennium conceſſa eſt iis, qui certas perſolverint preces, & eleemoſynam elargiti fuerint, recitat preces cum diſtractione voluntaria, & eleemoſynam erogat ex motivo vanæ gloriæ ; quin tamen mortaliter peccaverit. An lucratus eſt indulgentiam ?

℟. Videtur, dici poſſe, eum lucratum fuiſſe indulgentiam : nam juxta S. Thomam & alios theologos a Bellarmino L. de indulg. c. 13. citatos ad lucrandas indulgentias ſufficit, ſi quis a peccato mortali ſit immunis, & exiſtat in ſtatu gratiæ. Obſervandum tamen, quod in hoc caſu fructus indulgentiarum ſe non extendat ad remiſſionem pœnæ debitæ diſtractioni voluntariæ ac vanæ gloriæ. *Pontas.*

NOTA. Cum lucrari indulgentias nil aliud ſit, quam participem fieri theſauri Eccleſiæ juxta diſpoſitionem lucrantis, eo minor eſt fructus indulgentiæ, quo minor eſt diſpoſitio lucrantis. Cum ergo Innocentius in ipſa expletione operum præſcriptorum peccarit, & quidem deliberate, licet venialiter, nemo ipſi invidebit fructum ex indulgentia perceptum.

CASUS XIV.

CASUS XIV. Ferdinandus vitam vivens licentioſiſſimam ac notorie ſcandaloſam conceſſit indulgentias. Suntne validæ?

℞. S. Thomas in 4. diſt. 20. art. 4. quæſt. 4. C. tenet affirmativam: nam poteſtas jurisdictionis eſt eadem in Prælato malo ac in bono. Dein indulgentiæ fundantur in meritis Chriſti & Sanctorum, non in meritis propriis concedentis. *Pontas.*

CASUS XV. Leander Epiſcopus conceſſit indulgentias unius anni omnibus viſitantibus Eccleſiam eo die, quo illam conſecravit. Num eam lucrantur etiam confluentes ex vicina aut alia diœceſi, peragentes omnia opera præſcripta?

℞. Non lucrantur; quia non ſubjacent jurisdictioni Epiſcopi concedentis; conceſſio autem indulgentiarum eſt actus jurisdictionis, quæ exerceri non poteſt niſi in ſubditos. Ita Alexandar III. in C. *Quod autem.* 4. Lib. 5. Tit. 38. *Pontas.*

Nota. In Germania alia viget obſervantia, ubi omnes, cujuscumque ſint diœceſis, lucrari poſſunt indulgentias conceſſas viſitantibus Eccleſiam in feſto Dedicationis: Epiſcopi enim, ſicut tacite ac connivendo diœceſanos ſuos aliis Epiſcopis ſubjiciunt in ordine ad confeſſionem, ita eosdem ſubjiciunt in ordine ad indulgentias.

CASUS XVI. Epiſcopus Cremonenſis conceſſit indulgentiam quadraginta dierum viſitantibus Eccleſiam S. Maximi. Triſtanus diœceſanus ſæpius viſitabat Eccleſiam, & ſæpius opera alia præſcripta peragebat. An plus lucratus eſt quam quadraginta dierum indulgentiam?

℞. Si indulgentia eſt perpetua ſine limitatione aut determinatione certi numeri annorum, ſicut in Eccleſia S. Petri Romæ, toties quis indulgentiam lucrari poteſt, quoties deſignatam Eccleſiam viſitat, & præſcripta a Papa, qui ſolus ejusmodi indulgentiam concedere poteſt, opera perſolvit. Verum ſi indulgentia ad certum tempus determinata eſt, juxta S. Thomam in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 2. ad 4. unica tantum vice eam quis lucrari poterit. *Pontas.*

Nota. Extat recentior declaratio Congregationis indulgentiarum, neminem eodem die plures indulgentias plenarias conſequi poſſe, quamvis eſſent diverſi generis. Ergo multo minus ejusdem generis, ut ſunt v. g. indulgentiæ Portiunculæ.

CASUS XVII. Epiſcopo Algerienſi in Sardinia mortuo Capitulum Cathedrale ſibi jurisdictionem epiſcopalem aſſumpſit, eamque exercere cœpit publicando indulgentias quadraginta dierum pro omnibus, qui Eccleſiam ſuam parochialem viſitaverint, ibique ad Deum preces fuderint pro ele-

electione digni ſucceſſoris. An huic Capitulo ſede vacante jus competebat concedendi indulgentias?

℞. Licet Capitulum Cathedrale ſuccedat mortuo Epiſcopo in adminiſtratione ac gubernatione diœceſis, non tamen gaudet jurisdictione epiſcopali in tota ſua latitudine. Jus concedendi indulgentias ſoli competit perſonæ Epiſcopi, & nequaquam devolvitur ad Capitulum. Imo nec Vicarius generalis ea jurisdictione gaudet. Unde manifeſte patet, nec Abbates aut alios inferiores Eccleſiæ Prælatos indulgentias conferre poſſe. *Pontas.*

CASUS XVIII. Panthenius Abbas Regularis habens jurisdictionem quaſi-epiſcopalem omnibus in territorio jurisdictioni ſuæ ſubjecto conceſſit indulgentiam quadraginta dierum. Epiſcopus autem iſtam indulgentiam declaravit nullam & abuſivam. An illi, qui præſcripta ab Abbate opera perſolverunt, lucrati ſunt vere indulgentiam? Ratio dubitandi eſt iſta: Epiſcopus confirmatus, quamvis nondum conſecratus, poteſt indulgentias concedere; ex quo patet, eam poteſtatem non fundari in charactere Ordinis epiſcopalis, ſed ſolum in jurisdictione epiſcopali, quæ illi aquiritur jam ante conſecrationem; hinc ſequi videtur, Panthenio jurisdictionem quaſi-epiſcopalem habenti idem jus competere.

℞. Indulgentiæ a Panthenio conceſſæ nullæ ſunt ac abuſivæ; quia, ut Bellarminus docet L. 1. de Indulg. c. 11. poteſtas concedendi indulgentias competit ſoli Papæ & Epiſcopis, non autem Abbatibus, niſi habeant ſpeciale privilegium aut commiſſionem a Papa vel Epiſcopo. Ita Innocentius III. in C. Accedentibus. 12. Lib. 5. Tit. 31. Nec obſtat adducta ratio; quia magnum eſt diſcrimen inter jurisdictionem epiſcopalem & quaſi-epiſcopalem: illa enim, ut D. Thomas obſervat, eſt ordinaria ac perfecta; iſta autem tantum delegata, imperfecta ac improprie epiſcopalis. *Pontas.*

CASUS XIX. Obrinus Romæ pro ſe obtinuit indulgentiam plenariam applicabilem *in articulo mortis.* Rediturus in Galliam in via gravi morbo corripitur, ita ut moriturum ſe crederet; hinc omnia ad lucrandam hanc indulgentiam præſcripta perſolvit. Aſt denuo reconvaleſcens quærit, an lucratus ſit indulgentiam; an vero effectus ipſius ſuſpendatur in aliam ſimilem occaſionem.

℞. Dicendum, quod lucratus fuerit hanc indulgentiam a Papa conceſſam *in articulo mortis*: hi enim termini denotant eum ſtatum, in quo quis ex circumſtantiis periculum mortis indicantibus veroſimiliter judicat, ſe brevi moriturum, & non ipſum momentum ſeparationis animæ a corpo-

re

re per mortem. Par ratio eſt circa effectum hujus indulgentiæ, & abſolutionis *in articulo mortis* a ſimplici ſacerdote non approbato obtentæ etiam a caſu Papæ reſervato: ſic enim abſolutus, ſi reconvaleſcat, non indiget ſecunda abſolutione. Id autem extendendum non eſt ad alios obligationes quandoque a Confeſſario conſtitutis in articulo mortis in caſum reconvaleſcentiæ injunctas, quas reconvaleſcentes ad amuſſin explere tenentur. *Pontas.*

Nota. Inter has obligationes abſque dubio erit ea, ut taliter abſolutus a caſu reſervato, vel a cenſura, maxime notoria, ſe ſiſtat poſt reconvaleſcentiam Superiori, vel habenti poteſtatem delegatam.

CASUS XX. Geranus parochus, cum indulgentiam plenariam a Papa Confraternitati agonizantium conceſſam promulgaret, addidit, omnes hanc indulgentiam lucrantes, plenam peccatorum ſuorum remiſſionem obtinere tam quoad pœnam quam quoad culpam. An non nimium exaggeravit virtutem indulgentiæ?

℟. Exaggeratio hæc indubitato eſt nimia, & contra veram doctrinam Eccleſiæ, quæ ex poteſtate a Chriſto accepta culpam peccati mortalis remittere non poteſt, niſi per Sacramentum pœnitentiæ. *Uno ore*, ait Maldonatus, *omnes Theologi, nemine excepto, reſpondent, indulgentiam non eſſe remiſſionem culpæ, ſed pœnæ.* Addi poteſt, verba *ab omni pœna & culpa* in Brevia irrepſiſte ex ignorantia eorum, qui ea expediebant, aut a quæſtoribus indulgentiarum ſæculo decimo tertio & decimo quarto fuiſſe inſerta. Vide *Gerſon Tract. de indulg. conſider.* 5. *Pontas.*

Nota. Gerani dicta poſſent in aliquo ſenſu tolerari, ſi ſupponatur cum multis Scotiſtis, reatum pœnæ & culpæ identificari. Sed etiam in hac ſuppoſitione nihilominus non deberet abſolute dici, per indulgentias remitti culpam; quia per hanc ſimpliciter loquendo intelligitur obligatio ad pœnam æternam.

CASUS XXI. Poteſtne Eccleſia concedere indulgentias pro defunctis? Et quis effectus earum?

℟. Eccleſia poteſt concedere indulgentias in favorem animarum in purgatorio ex meritis Jeſu Chriſti, & ſatisfactionibus ſuperabundantibus Sanctorum, de quibus diſponere poteſt. Non tamen ejusmodi indulgentias concedit *per modum abſolutionis*, ſed ſolum *per modum ſuffragii*; quia animæ a corpore ſeparatæ non amplius exiſtunt ſub juriſdictione Eccleſiæ. Animæ purgatorii certe ex ſacrificiis, precibus, eleemoſynis, & aliis bonis operibus, quæ fideles pro ipſis Deo efferunt, levamen recipiunt. *Fromageau.*

CA-

CASUS XXII. Franciſcus jam ſæpius pœnitentias in confeſſione injunctas perſolvere neglexit. Cum jam denunciaretur indulgentia plenaria, eam peractis omnibus, quæ præſcripta erant, lucrari ſatagit, ratus, ſic ſe jam exemptum eſſe ab obligatione perſolvendi pœnitentias, quas hucuſque omiſerat.

℟. In praxi peſſime ſentit Franciſcus: nam, licet ſpeculative loquendo indulgentia plenaria poſſit ſufficere ad remiſſionem omnium pœnarum ob commiſſa peccata debitarum, in praxi tamen datur obligatio perſolvendi pœnitentias ſatisfactorias in confeſſionali injunctas; cum ex una parte ſemper incertum ſit, utrum quis indulgentiam plenariam plenarie conſecutus fuerit; & ex altera parte ſummi Pontifices in Bullis Jubilæi ſemper præſcribant, ut Confeſſarii imponant confitentibus ſalutares pœnitentias, & quidem proportionatas peccatis. C. B.

Nota. Satisfactio cum ſit pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, eaque cum reliquis partibus eſſentialibus, contritione, confeſſione ac abſolutione unum concretum efficiat, dum pœnitens promptum exhibet animum ac ſtudium ſatisfaciendi, ſeriumque propoſitum ſaltem injunctam a diſcreto Confeſſario pœnitentiam adimplendi, evidens eſt; abſque hoc propoſito nec dari confeſſionem ſacramentalem, nec ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, & conſequenter nec peccata quoad culpam dimitti. Qui tempore Jubilæi aut alterius indulgentiæ plenariæ ad confeſſionale accederet, animo quidem opera indulgentialia adimplendi, pœnitentiam autem injunctam non perſolvendi, indubitato abſque abſolutione foret dimittendus. Ad hæc tenetur Confeſſarius injungere pœnitentiam vindicativam & medicinalem, gravitati peccatorum & viribus pœnitentis proportionatam: poſito jam, quod conſecutio indulgentiæ plenariæ eximat ab obligatione adimplendi pœnitentiam vindicativam, licet falſum ſit; certe tamen non eximeret ab obligatione perſolvendi pœnitentiam medicinalem.

CASUS XXIII. Parochus obtinet indulgentias centum annorum pro iis, qui Concioni & veſperis diebus feſtis intererunt in Eccleſia parochiali. Quid intelligitur per indulgentiam *centum annorum?*

℟. Senſus hujus conceſſionis non eſt, quod in virtute hujus indulgentiæ obtineatur remiſſio pœnæ alias in purgatorio centum annis ſubeundæ; ſed quod remittatur in purgatorio tantum pœnæ, quantum per centum annos pœnitentiæ juxta antiquos canones olim uſitatæ remiſſum fuiſſet. C. B.

Nota. Hæc explicatio non eſt admodum exacta: non enim pœnæ purgatorii, ſed canonicæ remittuntur in menſura annorum, æſtimatione pro pœnis alterius mundi Deo relicta.

CASUS XXIV. Paulus occaſione indulgentiæ plenariæ elicit actum contritionis, & confitetur omnia peccata ſua mortalia; de venialibus autem ne quidem cogitat. Lucraturne indulgentiam, ſi cetera opera præſcripta perſolvat?

℞. Lucratur indulgentiam, ſi in ipſa poſitione ultimi operis omnia peccata etiam venialia deleta ſint vel per contritionem ſe virtualiter extendentem ad omnia peccata, vel quovis alio modo. Si id factum non fuerit, non lucratur indulgentiam. Ratio eſt; quia ad obtinendam remiſſionem totalis pœnæ requiritur, ut jam prius omnis culpa ſit remiſſa. Nec dici poteſt, culpam venialem deleri per ipſam indulgentiam; nam cum indulgentia ſolum operetur relaxationem pœnæ, per eam, ſaltem directe, non poteſt remitti culpa. Interea tamen, quia accedentes ad Sacramentum Pœnitentiæ raro vel nunquam ſolum dolent de peccatis mortalibus, ſed de omni offenſa Dei, in quo dolore includitur etiam deteſtatio venialium ſaltem in genere, ſperare poterit Paulus, lucratum ſe fuiſſe indulgentiam. C. B.

Nota. Qui indulgentiam plenariam non lucratur *plenarie*, poterit ſaltem lucrari *particulariter*; cum fructus indulgentiæ de ſe plenariæ ſit *diviſibilis*, & juxta proportionem peccatorum, & operum pænitentialium, fervoris, devotionis ac charitatis in æſtimatione divina poſſit eſſe major vel minor.

INFAMIA.

Infamia eſt labes, ſeu ignominia aſperſa nomini, honori, ac famæ alicujus, quæ nec abolitione criminis, propter quod infamiam quis incurrerat, nec lapſu temporis tollitur.

CASUS. Quædam fœmina ab alio corrupta contra corruptorem a judice ſententiam obtinuit, quæ illum ad quamdam condemnavit ſummam corruptæ ſolvendam. An per hoc iſta fœmina ſuum recuperavit honorem, ita, ut non amplius infamis ſit?

℞. Infamia hujus fœminæ per hanc ſententiam judicis magis certa facta eſt; nam *infamia juris* non tam facile tollitur, quam *infamia facti*. Solus Princeps eam deſtruere poteſt per gratiam particularem, aut ſententiam ſolemnem, qua prior reſtituitur, ſtabiliturque fama; infamia vero facti tollitur emendatione vitæ, & lapſu temporis. *Fromageau.*

INFIDE-

INFIDELIS.

1. Amplum eſt diſcrimen inter *infideles* & *paganos* : hi enim verum Deum agnoſcere nolentes, divinos idolis ſuis honores deferunt, ut ſunt Mogolenſes, Sinenſes &c.; illi vero verum Deum quidem adorant, non tamen credunt myſterium Trinitatis, nec alias Religionis Chriſtianæ veritates, ut Turcæ, Judæi &c.

2. Chriſtianis cum neutris communicare licet in iis, quæ Religionem concernunt, abſque enormi crimine; commercii tamen cauſa, & in aliis occaſionibus, quando id juſtitia aut charitas exigit, cum iis communicare poſſunt.

CASUS I. Amurates infidelis fidem catholicam amplexus, cum ſe diſponeret ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, quærit, an omnes actiones in infidelitate commiſſæ ſint peccata; & utrum ſe de illis in confeſſione accuſare teneatur.

℟. Certum eſt, non omnes actiones Amuratis in infidelitate exercitas eſſe peccata; licet infideles toties peccent, quoties operantur *ex* infidelitate, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4 C. Idem definitum eſt a pluribus Pontificibus, qui condemnarunt has Baji propoſitiones: *Omnia opera infidelium ſunt peccata.* Et *Philoſophorum virtutes ſunt vitia. Pontas.*

CASUS II. Hortenſius negotiaturus in China ſe pluribus annis ibi detinuit, ac ſæpius communicavit cum infidelibus ac paganis iſtius regni. An id facere potuit abſque peccato?

℟. Potuit; dummodo id factum non fuerit in negotio Religionis. Sic docet S. Thomas l. c. art. 7. C. Verum ſi communicaſſet cum infidelibus in rebus Religionem concernentibus, a graviſſimo peccato excuſari haud poſſet. Addit S. Doctor, fidelibus, ſi ipſis timendum ſit periculum perverſionis, omnem communicationem cum infidelibus interdictam eſſe, niſi juſta ac urgens neceſſitas excuſet. *Pontas.*

CASUS III. Timoleon nobilis catholicus ex Hungaria redux duos Turcas ſecum duxerat. Poteſtne eos tuta conſcientia recipere inter famulos ſuos domeſticos?

℟. Veroſimile quidem non eſt, quod Dominus fidelis pervertatur a famulo infideli, licet majus perverſionis periculum ſit famulo fideli ab hero infideli; ſi tamen vel ipſi domino, vel reliquis ipſius domeſticis periculum perverſionis timendum foret, hi duo Turcæ juxta S. Thomam conformiter ad

illud Evangelii Matth. 18. *Si pes tuus ſcandalizaverit te, abſcide eum*, ocyus e ſervitio dimitti deberent. *Pontas.*

CASUS IV. Jovius & Mœvius ſupremi Principes rigore pœnarum Judæos ac infideles in ſuo ſtatu commorantes compellere nituntur ad amplectendam Religionem Chriſtianam. Num ſalva conſcientia id fieri poteſt?

℞. Aut iſti infideles ac Judæi in infidelitate aut Judaiſmo nati & educati fuerunt; aut aliquando fideles infidelitatem amplexati ſunt: in primo caſu juxta S. Thomam 2. 2. q. 10. art. 8. C. non poſſunt compelli ad amplectendam Religionem Chriſtianam. In ſecundo autem caſu poſſunt compelli. Ad hæc naturæ Chriſtianiſmi conforme eſt, ut in ſimilibus dimiſſa omni violentia eligatur via lenitatis ac perſuaſionis. *Pontas.*

NOTA. Huc apprime quadrat illud S. Hilarii contra Conſtantium, qui Arianiſmum per vincula & carceres, per mortes & exilia, Sacerdotum maxime & Epiſcoporum, inducere tentaverat. *Deus*, inquit, *cognitionem ſui docuit magis quam exegit . . . & coactam confitendi ſe aſpernatus eſt voluntatem. Si ad fidem veram iſtiusmodi vis adhiberetur, epiſcopalis doctrina obviam pergeret, diceretque: Deus univerſitatis eſt, obſequio non eget neceſſario, non requirit coactam confeſſionem: noſtra potius, non ſua cauſa venerandus eſt. Non poſſum niſi volentem recipere, niſi orantem audire, niſi profitentem ſignare.*

INJURIA.

1. *Injuria* eſt terminus generalis, quo comprehenduntur *convitium*, *contumelia*, *improperium*, & *maledictio*: in ſenſu vero proprio injuria eſt *alieni juris violatio*, *facta ſine juſta cauſa*. Juxta POLMANUM *convitium* eſt *objectio mali pœnæ coram facta per violationem honoris alieni*, ſive dein talis objectio fiat ob defectum mentis, ſive ob defectum corporis. *Contumelia* eſt *injuſta honoris violatio*, *irrogata præſenti & ſcienti*. *Improperium* eſt *indigentiæ objectio*; huc ſpectat etiam objectio auxilii, ſeu beneficii alicui in ipſius neceſſitate præſtiti. Denique *Maledicto* eſt *imprecatio mali facta proximo.*

2. Omnes hæ ſpecies injuriarum comprehenduntur in hoc titulo; in quo dicetur, quibus in caſibus injuriæ ſufferendæ ſint absque ulla defenſione; & quando permiſſum ſit, imo etiam neceſſarium, ob factas ſibi injurias ſatisfactionem judicialiter petere.

CASUS I. Hilarinus aliquoties protulit verba injurioſa contra quamdam perſonam. Peccavitne toties mortaliter, quoties illa protulit?

℞.

℟. Non omne verbum injurioſum eſt ſemper peccatum mortale; nam poteſt eſſe etiam veniale, ſi levem tantum inferat injuriam, & ſi ex mera levitate animi proferatur nec notabilem inferat inhonorationem perſonæ, aut ſi proferatur ex levi motu iræ ſolum ex intentione illam contriſtandi, aut humiliandi absque tamen formali intentione illam notabiliter inhonorandi. Hæc reſponſio nititur principio *S. Thomæ. 2. 2. q. 72. art. 2. ad* 3. & juxta hoc principium præſens quæſtio reſolvenda eſt. *Pontas.*

CASUS II. Falcidius ſæpe inſultat Eliæ verbis valde contumelioſis. Teneturne vi præcepti charitatis ſub peccato talia verba patienter ſufferre, quin par pari referre poſſit?

℟. Haud dubium eſt, ſoli Deo reſervandam eſſe vindictam: chriſtianus enim vindictæ cauſa nec agere nec loqui quid debet. Eſt tamen quandoque non ſolum licitum, ſed etiam neceſſarium repellere injurias, quæ noſtro honori & famæ detrahunt, 1. Propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut nimirum in poſterum talia non attentet. 2. Propter bonum multorum, quorum ſalus aut perfectio propter contumelias nobis illatas impeditur; ut ſi v. g. injuria irrogaretur parocho, Confeſſario, Concionatori, Prælato, Judici, aut cuicumque demum perſonæ in dignitate ac authoritate conſtitutæ, quorum honorem ac exiſtimationem conſervari intereſt boni publici vel Eccleſiæ. In hisce circumſtantiis licet injuriam amovere; non tamen ex motivo odii aut vindictæ, ſed in ſpiritu charitatis, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 72. art. 3. C. Et ex his principiis judicandum de injuriis Eliæ illatis. *Pontas.*

CASUS III. Poſſidius a Saturnino non ſolum injuriis laceſſitus, ſed etiam alapa exceptus eſt in præſentia plurium. Poteſtne absque peccato judicialiter petere punitionem ac reparationem injuriæ?

℟. Haud dubie id poteſt; licet majoris perfectionis ac virtutis eminentioris indicium foret patienter ac ſilendo ea ſuſtinere. Caveat autem Poſſidius, ne ex alio, quam emendationem offenſoris procurandi, & tam a ſe quam ab aliis ejusmodi injurias inpoſterum avertendi motivo judicem conveniat. Peccaret juxta S. Thomam 2. 2. q. 108. art. 1. ſi ageret animo vindicativo, aut graviorem delicto pœnam & improportionatam reparationem expoſceret. Advertendum hic, raro ejusmodi actiones injuriarum coram Deo prorſus eſſe innocentes, quamvis in oculis hominum videantur juſtæ *Pontas.*

CASUS IV. Soſthenes utitur quandoque erga alios verbis in ſenſu obvio injurioſis; non tamen intendit eos per hoc offendere aut contemnere. Peccatne?

℟. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 72. art. 2. ad 1. non peccat, ſi debitæ circumſtantiæ obſerventur. Peccatum tamen haud abeſſet, ſi ejusmodi verba proferantur ad excitandum riſum, cum omni indifferentia, ſive alii offendantur, ſive non. Et ſane valde rarum eſt, hujusmodi vexationes carere peccato; quamvis non fiant animo injuriandi vel offendendi. Ratio eſt; quia raro obſervantur illæ circumſtantiæ, quas exigit charitas, honeſtas, prudentia ac modeſtia. *Pontas.*

Nota. Reſponſio hæc etiam ex eo univerſaliter adoptanda non eſt; quia ſenſus verborum non ex ſola intentione loquentis, ſed ex communi acceptione audientium, præſertim eorum, quos attingunt, moraliter æſtimandus eſt.

CASUS V. Voluſianus in ſuos liberos ac domeſticos ſæpius notabiliter delinquentes invehitur verbis injurioſis ac contumelioſis, ut ſic humilientur ac corrigantur. Peccatne?

℟. D. Thomas 2. 2. q. 72. art. 2. ad 2. exiſtimat, in hoc caſu non peccari. Quia tamen valde rarum eſt, talia verba ex motivo charitatis ac juſtitiæ proferri, cum plerumque potiorem partem a paſſione ſuggerantur, raro, & non niſi in caſu veræ neceſſitatis hujusmodi verba adhibenda ſunt, *Pontas.*

Nota. Corrigenda prius præcurrens paſſio; nec tamen propterea omittenda digna & competens correctio.

CASUS VI. Paulinus ab Alexandro verbis factisque injuſte offenſus, ſe defenſurus aggreſſori aliquot inflixit ictus. Potuitne ſic agere absque peccato? Aut num fuga ſibi conſulere debuiſſet?

℟. Si ſe ſolum ad repellendam injuriam defendit cum debita moderatione, juxta S. Thomam 2. 2. q. 41. art. 1. C. non peccavit Paulinus. Verum ſi ictus inflixit ex odio aut vindicta, peccavit mortaliter vel venialiter, prout ſcilicet odium aut vindicta gravis vel levis fuerit. Ex hac regula Paulinus de qualitate peccati ſui judicium ferre poterit. *Pontas.*

INSPIRATIO.

1. *Inſpiratio*, ut hic ſumitur, eſt juxta Theologos *actualis vehemens incitatio, qua quis a Deo inſtigatur ad boni ſalutaris volitionem & executionem*; ſive dein hic motus proveniat

niat immediate a Deo ope gratiæ prævenientis; ſive a bono angelo in nobis excitetur.

2. Explicabitur hic ex principiis S. Thomæ, in quo caſu quis ſub peccato teneatur obedire inſpirationibus divinis; & id ſufficiet ad hunc titulum. Parochus aut prudens Confeſſarius facile diſcernere poterit inſpirationem veram a ſuggeſtione prava, ſalutareque petentibus dare conſilium.

CASUS. Thecla eximiæ pietatis puella quandoque ſentit inſpirationem ad peragenda quædam bona opera, quæ ſunt tantum de conſilio. Teneturne ſub peccato ea peragere?

℟. Absque omni peccato poteſt Thecla ea opera omittere, ad quæ peragenda inſpirationem ſentit: non enim datur obligatio ſequendi hujusmodi inſpirationes; cum non major earum ſit obligatio quam conſilii, quod non obligat ſub peccato, dummodo non contemnatur. Ita docet S. Thomas q. 27. de Conſcient. art. 3. ad 2. Si tamen quis crederet, rem inſpiratam eſſe de præcepto, eam omittendo peccaret juxta eundem S. Thomam in 2. Sent. diſt. 39. q. 3. art. 3. ad 6.; licet ejusmodi res reapſe ſit tantum de conſilio, aut indifferens. Ratio eſt; quia talis contra ſuam ageret conſcientiam. *Pontas.*

NOTA. Hæc reſponſio, prout hic jacet, non eſt indefinite vera, nec conformis menti D. Thomæ. Peccavit juvenis evangelicus non ſequendo conſilium Chriſti. Univerſim ſapit contemptum interpretativum aut torporem vituperabilem, non ſequi conſilium hominis prudentioris pro caſu particulari evidenter cognitum ſub ratione eligibilioris. Idem dicendum de inſpirationibus ex indiciis moraliter certis a Deo vel bono angelo immiſſis; cum certum ſit, ex earum executione aut neglectu pendere collationem vel ſubtractionem gratiarum longa ſerie ſubſequentium, juxta illud: *Vocavi & renuiſtis; deſpexiſtis omne conſilium meum.* Prov. 1. v. 24. & 25.

INTEMPERANTIA.

1. *Intemperantia* in ſenſu, qui hic ſumitur, eſt juxta definitionem Theologorum *inordinatus affectus, uſusve delectationum guſtus & tactus.* Quocirca intemperantiæ nomine hic intelligitur omnis appetitus inordinatus bibendi ac comedendi; ſive deordinatio ſit quoad qualitatem potus ac ciborum nimis rarorum ac exquiſitorum, ſive quoad exceſſum in quantitate, ſive quoad delectationem ſenſualem ex comeſtione perceptam, ſive denique quoad tempus exceſſivum comeſtioni impenſum, aut ab Eccleſia prohibitum vel aliunde non conveniens.

2. Delectatio, quam intemperantia producit, ſemper eſt peccatum, quando propter ſe ipſam quæritur. & in alium bonum finem non refertur, & hoc eſt, proprie loquendo, illa *frui*, non autem *uti*. *Comedere vel bibere, aut alias ſenſuum delectationes quærere proper voluptatem, peccatum eſt.* Contrarium velle defendere, eſſet Manichæorum errorem amplecti, qui contendebant, absque peccato, conſenſum poſſe præſtari motibus concupiſcentiæ; quia concupiſcentia ex eorum principiis non eſt mala.

3. Omnis intemperantia eſt peccatum mortale, ſi in ea ponitur ultimus finis; & hoc faciunt illi, de quibus Apoſtolus ad Philipenſes dicit: *quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Intemperantia peccatum quoque mortale eſt, quando quis propter cibum & potum violat aliquod præceptum divinum aut eccleſiaſticum, ut jejunium infringendo, nimio ad menſam ſumptu ſe impotentem reddendo ad ſolvenda debita, aut reſtituenda aliena, deſtruendo notabiliter ſanitatem, ſcandalum proxime dando; & quandocunque quis prævidet, intemperantiam fore cauſam peccati mortalis, v. g. blaſphemiæ, impuritatis &c.

CASUS I. Gerardus gulæ imprimis deditus valde notabiles impendit ſumptus in epulas, alias tamen non excedit; propter nimios tamen dictos ſumptus ſe reddidit impotentem debita ſolvendi creditoribus, qui grave exinde damnum patiuntur.

℟. Peccat graviter: per hanc enim intemperantiam in eum ſe ſtatum redigit, ut non poſſit ſatisfacere legi naturali ac divinæ, quæ obligat ad ſolvenda debita; ſicque palpabilem committit injuſtitiam. *Pontas.*

CASUS II. Theodelinda puella 15. aut 16. annorum ſæpe veſcitur fructibus ex horto ſui patris, aut dulciariis & aliis eſculentis exquiſitioribus, idque præciſe, ut ſuo ſatisfaciat appetitui. Poteſtne dici, illam peccare peccato intemperantiæ?

℟. Non eſt quidem peccatum comedere quidquam guſtui delectabile; ſed in tali delectatione finem ſuum ponere, aut ſolius voluptatis cauſa comedere peccatum eſt. Juxta S. Gregorium peccato intemperantiæ peccatur quinque diverſis modis in his verbis contentis: *propere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe:* horum explicationem dat S. Thomas. 2. 2. *q.* 148. *art.* 4. C. Theodelinda igitur non niſi delectationem ſenſualem in ejusmodi cibis quærens non poteſt excuſari a peccato intemperantiæ. *Pontas.*

Vide *Ebrietas. Gula. Jejunium,*

INTENTIO.

Quæ ad hunc Titulum ſpectant, duabus reſolutionibus ſequentibus continentur, nimirum *Intentionis* definitio, variæ intentionis ſpecies, principia & regulæ, quæ obſervari debent, ut difficultates hac in materia occurrentes ſolvantur.

CASUS I. Marculfus Presbyter adminiſtravit Sacramentum Pœnitentiæ ſine ulla intentione actuali, aut virtuali, ſed ſolum cum intentione habituali. An valide abſolvit?

℞. Prænotandum 1. Quod intentio ſit voluntas faciendi aliquam rem. 2. Quod ea voluntas poſſit eſſe *abſoluta*, vel *conditionata*. 3. Quod intentio abſoluta poſſit eſſe *actualis*, vel *virtualis*, vel *habitualis*. 4. Intentio *actualis* eſt, quando immediate præcedit, aut concomitatur actionem. 5. Intentio *virtualis* eſt effectus ſeu virtus intentionis actualis præcedentis, ſeu actus, quo quis voluit, ſed qui jam non amplius ſubſiſtit, quamvis talis actus utpote non revocatus ſit cauſa ejus quod ſit, & alias non fieret. 6. Intentio tam *virtualis* quam *actualis* poteſt eſſe explicita, vel ſolum implicita. *Explicita* eſt, ſi v. g. Presbyter in actu baptiſmali expreſſe & formaliter intendat conferre Sacramentum Baptiſmi. *Implicita* vero eſt, quando quis in genere ſua actione intendit facere, quod intendit facere Eccleſia, aut quod petitur. 7. Intentio *habitualis* non eſt re ipſa intentio, ſed habitudo ac facilitas eliciendi intentionem, aut operandi ex intentione; & ea poteſt eſſe in dormiente, ebrio ac phrenetico; hinc non eſt actus voluntatis, ſed tantum facilitas eliciendi actum voluntatis. His præſuppoſitis certum eſt apud Theologos, ad valorem Sacramenti in miniſtro neceſſario requiri intentionem *actualem*, aut ſaltem *virtualem* faciendi id, quod facit Eccleſia, ut conſtat ex Tridentino Seſſ. 7. Can. 11. nec ſufficere intentionem habitualem; cum agere ſolum ex habitu ac conſuetudine non ſit agere modo humano. Nihilominus obſervare juvat, quod quidam Theologi, inter quos ipſe S. Thomas, intentioni virtuali imponant quandoque nomen *habitualis*: ſed ſi mens eorum inſpiciatur, idem intelligunt per intentionem habitualem, quod nos per virtualem, manifeſtumque eſt, quod ſolum modo loquendi eo tempore uſitato ſeſe accommodaverint. Ex quo ſequitur, quod, ſi Marculfus intentionem nec actualem nec virtualem habuerit, ſed ſolum habitualem, ipſius abſolutiones juxta Tridentinum Seſſ. 14. Cap. 6. & l. c. fuerint invalidæ. *Pontas.*

NOTA. In praxi nunquam eſt dubitandum de miniſtri intentione virtuali implicita, niſi ſit plene ebrius, aut adeo perverſus, ut poſitive eliciat oppoſitam.

CASUS II. Amelius & Gentianus, novelli Theologiæ ſtudioſi, de præſenti materia inter ſe diſputarunt; unus eorum tenebat, quod in materia morum omnis actio *bona* vel *mala* dici debeat ex intentione, qua fit; alter vero aſſerebat, ſæpe actionem eſſe malam, quamvis intentio ſit bona. Cui eorum aſſentiendum?

℞. Priusquam reſpondeamus, juvat hic afferre quædam principia S. Auguſtini, S. Thomæ, & S. Antonini. *Primum* eſt: intentio in materia morum nil aliud eſt, quam actus voluntatis, quo operans ſibi proponit finem determinatum ad agendum. *Secundum* eſt: omnis intentio aut bona aut mala eſt; bona intentio eſt actus voluntatis impellens ad actionem ob finem vere bonum; intentio vero mala eſt actus voluntatis impellens ad actionem ob finem malum, ſive dein ipſa actio de ſe ſit bona aut mala. *Tertium* eſt: actiones duplicis poſſunt eſſe generis, quædam ex ſua natura ſunt malæ, aut aliunde illicitæ; aliæ autem ſunt tantum malæ ob pravam intentionem, qua fiunt. *Quartum* eſt: quamvis intentio mala actionem de ſe bonam poſſit reddere malam, non tamen viciſſim intentio bona poteſt actionem de ſe malam reddere bonam. S. Auguſtinus *l.* 4. *contra Jul. c.* 3. *ſeu n.* 21. *idem lib. contra mendacium c.* 7. *ſeu n.* 18. S. Thomas *in* 2. *ſent. diſt.* 40. *q.* 1. *art.* 2. *C.* S. Antoninus 1. *P. tit.* 4. *c.* 6. §. 1. His præſuppoſitis dicimus, propoſitionem Amelii eſſe nimis generalem, imo & falſam, propoſitionem vero Gentiani eſſe veram. Duo exempla reſponſionem magis dilucidabunt. Sic 1. Confeſſarius legit Theologum moralem fuſe tractantem de ſexto præcepto, ut & ipſe doceatur, & pœnitentes ſibi commiſſos docere poſſit; & hæc actio eſt bona, quia bona eſt intentio: erit autem actio peccaminoſa, ſi legat tantum, ut ſuæ ſatisfaciat curioſitati; quia intentio eſt mala. 2. Famulus domeſticus non poteſt Domino ſuo inſervire in negotiis amatoriis ea intentione, ut non incurrat illius indignationem, ut recipiat munuſcula, aut ut conſervet ſervitium ſibi valde proficuum: in hoc caſu actio certe foret mala, etſi intentio ſit bona. *Pontas.*

NOTA. Neuter bene reſpondit, nec Amelius, nec Gentianus, nec Author: poteſt enim, & plerumque ſolet actio fieri ex mero defectu intentionis, quamvis nulla detur intentio mala.

INTER-

INTERDICTUM.

1. *Interdictum* eſt cenſura, qua Eccleſia fideles privat uſu Sacramentorum, jure aſſiſtendi divinis officiis, ingreſſu Eccleſiæ, & ſepultura eccleſiaſtica. Hinc *Interdictum* juxta legitimam definitionem eſt cenſura, *qua quibusdam perſonis aut locis prohibetur Sacramentorum, divinorum officiorum, ſepulturæque ſacræ celebratio.* Per verba, *quibusdam perſonis*, intelligendum eſt interdictum *perſonale*; per verba, *aut locis*, intelligendum eſt Interdictum *locale*, & per verbum, *Sacramentorum*, intelligenda ſunt *tantum aliqua* Sacramenta, ut in ſequentibus explicabitur reſolutionibus.

2. Perperam contenderunt Authores quidam, interdictum primo introductum fuiſſe ab Alexandro III. qui Sedem papalem conſcendit anno 1159. Expreſſa hujus cenſuræ mentio jam fit in operibus Ivonis & Fulberti Carnotenſis, in Concilio ſecundo Lemovicenſi habito circa annum 1031., & in libris S. Gregorii Turonenſis. Interdicti igitur origo repetenda eſt a ſola ligandi ac ſolvendi poteſtate, quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ contulit.

CASUS I. Papa interdicto mulctavit omnem populum cujusdam Civitatis. An & Epiſcopus cum ſuo Clero comprehenditur ſub hoc interdicto?

℟. Antequam reſpondeatur notandum, 1. legibus prudentiæ haud eſſe conforme, ſi ſummi Pontifices ac Epiſcopi utantur pleno jure ſuo, ac generali fideles interdicto mulctent. 2. ipſos ſummos Pontifices, v. g. Bonifacium VIII. Extrav. comm. cap. *Provide.* 2. Lib. 5. tit. 10. fateri, quod funeſti fere ſemper ex interdictis effectus naſcantur. 3. Ad evitandos hujusmodi malos effectus in regno Galliæ non tolerari interdicta, ſive a Papa ſive ab Epiſcopis lata. 4. hinc ea, quæ in decurſu hujus articuli dicentur, ſolum quadrare pro iis regionibus, in quibus ſuus adhuc interdictis vigor ſtat. His prænotatis dicitur, nec Epiſcopum, nec ejusdem Clerum comprehendi interdicto, de quo in præſenti caſu ſermo eſt: interdictum enim iſthoc generale & perſonale eſt, ac in ſolum civitatis populum latum; & hinc non afficit Epiſcopum ejusque Clerum: ſicut, ſi interdictum ferretur in Clericos loci, eo non involverentur reliqui incolæ loci. Idem dicendum, ſi ſub interdicto ponantur Eccleſiæ loci, nulla facta mentione incolarum: nam quamvis tales incolæ non poſſint audire miſſam in Eccleſiis interdictis, poſſunt tamen, imo diebus feſtis tenentur eam audire in aliis, interdicto non ſubjacentibus, ſi poſſibile ſit.

Si

Si incolæ tantum ſunt interdicti, Eccleſiæ loci non cenſentur interdictæ; & hinc, etſi incolis non liceat recipere Sacramenta, & audire miſſam in his Eccleſiis, licet tamen id peregrinis ac extraneis, ex hoc principio: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* Verum ſi Clerici fuerint pars familiæ interdicto mulctatæ, & ipſi cenſentur interdicti; quia nomen & idea familiæ comprehendit omnia ejus membra. Denique quando interdictum fertur in totum, afficit omnes hujus totius partes; ſi vero fertur in partem totius, non comprehenditur totum tali interdicto. *Pontas.*

CASUS II. Papa pronunciavit interdictum in populum & omnes Eccleſias Urbis Vollaterranæ. Hoc non obſtante Epiſcopus ſingulis diebus celebravit miſſam in Eccleſia Cathedrali. An per hoc incurrit pœnam in jure latam in violatores hujus cenſuræ?

℟. Si Epiſcopus nominatim fuerit expreſſus in ſententia interdicti, aut cenſuræ huic anſam præbuerit, haud dubie a celebratione miſſæ etiam in Cathedrali Eccleſia deſiſtere debet; alias incurreret pœnas in jure latas. Aſt ſi nominatim non eſt interdictus, nec interdicto cauſam dedit, potuit juxta Innocentium III. Cap. *Quod non nullis.* 25. Lib. 5. Tit. 33. in Eccleſia Cathedrali celebrare non obſtante interdicto. Notandum, quod, ſi Eccleſia Cathedralis foret interdicta, non liceret in ea celebrare, niſi ſemel per ſeptimanam, ut poſſit conſecrari pro viatico periculoſe decumbentibus miniſtrando. Et in hoc quoque caſu, tempore ſcilicet interdicti localis generalis, non niſi *ſubmiſſa voce, januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, & non pulſatis campanis* celebrandum eſt. *Pontas.*

CASUS III. Papias Patriarcha Aquileienſis pronunciavit interdictum generale in omnes Eccleſias, & Capellas Urbis, etiam ipſa Eccleſia Cathedrali non excepta. Religioſi duorum monaſteriorum abſolute recuſant parere huic ſententiæ; cum iſte Patriarcha in eos nullam habeat jurisdictionem, ſed immediate dependeant a Sacra Sede. An iſta ratio ſufficit, ut ſe ſubjicere non teneantur, præſertim ſi accedat appellatio ad Papam contra hoc interdictum?

℟. Iſta ratio non ſufficit; nam Regulares ſine exceptione, ſive ſint exempti ſive non exempti, ut ſtatuerunt Bonifacius VIII. in Cap. *Alma.* fin. Lib. 5. Tit. 11. in 6. & Clemens V. in Cap. *Ex frequentibus.* 1. Lib. 5. Tit. 10. tenentur obſervare interdictum generale latum ab Epiſcopo diœceſano. *Cenſuræ*, ait Concilium Tridentinum Seſſ. 25. *de Regular.* cap. 12. *& interdicta, nedum a Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo,*

a Re-

a Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur atque ſerventur. Bonifacius VIII. antiquum interdicti rigorem non nihil mitigavit, ita ut Regulares tempore interdicti generalis poſſint pro ſua conſuetudine in choro dicere Horas canonicas, aliaque Ordinis Officia celebrare, ſilentibus tamen ſemper campanis, januis clauſis, ac ſubmiſſa voce, ita ut extra Eccleſiam percipi haud poſſit. Ad Officium ne quidem famulos domeſticos ſæculares admittere licet, ſed ſolum Religioſos; &, ſi vel in unico puncto contravenerint, excommunicationem incurrunt. *Pontas.*

CASUS IV. Philaſtrius Epiſcopus catholicus Bacconienſis in Moldavia cum interdixiſſet omnes Eccleſias & incolas urbis ob pertinax commercium, quod in rebus ſpiritualibus contra expreſſam ſuam prohibitionem habebant cum ſchiſmaticis, parochus quidam ſibi licitum fore exiſtimavit adminiſtrare Viaticum & extremam unctionem, ac benedicere nuptiis. Potuitne id fieri abſque peccato ac violatione interdicti?

℞. Parochus hic, etiamſi non fuerit nominatim interdictus, peccavit adminiſtrando extremam unctionem, & violavit interdictum; quia id jure antiquo prohibitum, nec reperitur jure novo conceſſum. Ita ſentiunt Sylveſter v. *Interdictum.* 5. q. 7. init. Panormitanus in c. *Reſponſo.* 43. de ſent. Excomm. Antonius de Butrio in c. *Non eſt vobis.* 11. de Sponſ. lib. & plures alii. Idem dicendum de matrimonio contracto tempore interdicti. Interim tamen ejuſmodi matrimonium validum eſt, uti valet matrimonium excommunicati juxta Innocentium III. in Cap. *Significaſti.* 6. Lib. 4. Tit. 7. Author Conferentiarum Andegavenſium Menſe Octob. 1712. q. 3. exiſtimat cum pluribus aliis Authoribus, tempore interdicti licite conferri benedictionem nuptialem; dummodo id fiat 1. ſubmiſſa voce, 2. januis Eccleſiæ clauſis. 3. ſi contrahentes non ſint excommunicati, aut perſonaliter interdicti. Communis tamen Theologorum opinio eſt, hujuſmodi matrimonium eſſe illicitum. *Pontas.*

NOTA. Cenſeo, etiam *Viaticum*, quod in antiquis Conciliis vocatur *neceſſarium*, adminiſtrari poſſe ſine ſolennitatibus.

CASUS V. Patritius Epiſcopus Fulignenſis interdixit integram communitatem Clericorum, licet ſolus Superior eorum deliquiſſet. Diſſoluta autem paulopoſt communitate diſperſa fuere membra ejuſdem, & variis in locis varia ſuſceperunt munia. An etiam ſic diſperſos inſequitur interdictum?

℞. Mem-

℟. Membra hujus Communitatis, diſſoluta communitate non amplius ligantur interdicto, ſolo Superiore excepto, qui, cum ſolus ſit culpabilis, etiam ſolus debet portare pœnam delicti. Ratio eſt; quia interdictum immediate tantum latum eſt in Communitatem, non in ſingulas ejusdem perſonas, utpote innocentes. Solum ergo tali interdicto ligantur perſonæ, quæ ſuo delicto dant cauſam totalem vel partialem interdicto; & has interdictum inſequitur, quocumque diſſoluta communitate ſe conferant; cum interdictum reſpectu earum ſit perſonale; nec poſſunt ab ea cenſura abſolvi, niſi a Superiore ſuo legitimo, ut obſervat Author Conferentiarum Andegavenſium Menſ. Novemb. 1712. q. 3. Addendum hic 1. quod interdictum, quod eſt *a jure*, aliquando ſit reſervatum ferenti cenſuram; & tunc nemo poteſt ab ea cenſura abſolvere, niſi ille, qui pronunciavit: ſi vero interdictum non eſt expreſſe reſervatum, quilibet confeſſarius approbatus poteſt ab eo abſolvere, ſicut & ab excommunicatione & ſuſpenſione non reſervata. 2. Si interdictum reſtringitur ad certum tempus, vel ad eventum cujusdam conditionis, lapſu illius temporis, & adimpleta conditione finitur etiam interdictum, quin opus ſit alia abſolutione. 3. Juxta Gregorium X. in Cap. *Præſenti.* 10. Lib. 5. Tit. 11. in 6. quoad interdictum generale locale locum non habet abſolutio *ad cautelam*. *Pontas.*

CASUS VI. Cornelius Epiſcopus Strigonienſis in Hungaria, & Superior natus numeroſæ Communitatis in urbe, interdixit integram dictam communitatem. An & ipſus comprehenditur iſto interdicto? & an non ſit irregularis violando hanc cenſuram?

℟. Non comprehenditur interdicto: magnum enim eſt diſcrimen inter interdictum locale, ac perſonale. *Locale* comprehendit ipſum etiam authorem interdicti, qui illud tulit, & ipſius æquales, ac inſuper ejus Superiorem. Adeoque, ſi Eccleſia interdicta eſt, erit etiam interdicta tam reſpectu Superioris, quam inferioris; nec licet Superiori in illa celebrare, niſi diebus a jure permiſſis, quin incurrat irregularitatem. Verum interdictum *perſonale* non comprehendit Superiorem, qui illud pronunciavit: nemo enim habet authoritatem coactivam niſi in ſuos inferiores. Epiſcopus nunquam comprehenditur interdicto aut ſuſpenſione, ſi iſtæ cenſuræ terminis generalibus latæ fuerint. *Pontas.*

CASUS VII. Tyndarus Toparcha in Luſitania debet Epiſcopo diœceſano decimas de 40. jugeribus terræ arabilis, quas tamen jam per triennium obſtinate recuſat perſolvere; imo earum collectores male excipit. Epiſcopus propterea

terea Eccleſiam parochialem loci interdicit, ut ſic Toparcham ad ſolvendas decimas compellat. An Epiſcopus id potuit licite facere?

℞. Epiſcopus non potuit adhibere hoc medium: Bonifacius enim VIII. in Cap. *Provide*. 2. Extrav. Comm. Lib. 5. Tit. 10. expreſse prohibet uſum hujus cenſuræ in cauſa debiti, aut quocumque alio negotio civili. Et hæc Bonifacii conſtitutio ubique viget. *Pontas.*

CASUS VIII. Eccleſia Cathedrali Barcinonenſi nominatim interdicta, quidam parochus in Eccleſia ſua ejusdem loci celebravit, & quidem in caſibus tempore interdicti a jure prohibitis.

℞. Verum eſt, Eccleſia loci primaria interdicta, omnes alias Eccleſias inferiores cenſeri interdictas quoad exteriora; licet tamen in iis celebrare januis clauſis, & non pulſatis campanis, niſi & ipſæ nominatim ſint expreſſæ in interdicto. Hinc, ſi parochus obſervavit præſcripta a Bonifacio VIII. in Cap. *Alma*, 24. Lib. 5. Tit. 11. in 6. non peccavit, nec violavit interdictum. Notandum hic, quod, ſi interdictum pronunciatum ſit terminis generalibus in Eccleſias urbis; Eccleſia Cathedralis non cenſeatur comprehenſa ſub interdicto ob ſuam dignitatem ac eminentiam, niſi ſit expreſse nominata in ſententia interdicti; ut veroſimiliter deduci poteſt ex Cap. *Quamvis*. 4. in 6. Lib. 3. Tit. 4. *Pontas.*

Nota. Cum hac in re maximi momenti non conveniant Doctorum ſententiæ, emergente caſu exploranda erit mens ac intentio Superioris, qui interdictum pronunciavit. C. A.

CASUS IX. Eccleſia S. Joannis Bambergæ una cum omnibus aliis loci Eccleſiis fuit interdicta; & tamen quidam Presbyter loci ſine ulla neceſſitate, ex unico motivo devotionis, feria ſecunda poſt feſtum Corporis Chriſti publice ibidem celebravit. An peccavit mortaliter, interdictumque violavit?

℞. Potuit eo die celebrare abſque omni peccato aut interdicti violatione, remotis tamen omnibus iis, qui interdicti cauſa exſtiterunt. Bonifacius VIII. in Cap. *Alma*. 24. in 6. Lib. 5. Tit. 11. quosdam dies excepit, quibus etiam durante interdicto, alta voce, pulſatis campanis ac apertis januis celebrare licet, ut in feſtis Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Virginis; quibus diebus Martinus V. in Bulla *Ineffabile*. §. 3. adjecit feſtum Corporis Chriſti cum integra Octava. Si vero dictus Presbyter celebraſſet alio die in jure non excepto, juxta Cap. *Is, cui*. 20. ibid.

pec-

peccaſſet mortaliter, violaſſet interdictum, ac irregularitatem incurriſſet. *Pontas.*

CASUS X. Philopomenes parochus civitatis, cujus incolæ omnes interdicto generali ſubjacebant, adminiſtrabat publice Baptiſmum cum conſuetis Eccleſiæ ceremoniis, & deportabat ad plures parochianos S. Viaticum cum conductu alias conſueto extra tempus interdicti; id quod multis temerarium videbatur. Violavitne interdictum?

℟. Non violavit interdictum: cum enim jura permittant tempore interdicti adminiſtrationem horum Sacramentorum, præſumendum eſt, quod etiam permittant ceremonias; quia *plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus*; & *cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.* Ita cum Sylveſtro v. *Interdictum.* 5. q. 7. Author Conferentiarum Andegavenſium menſ. Octob. 1712. q. 3. *Pontas.*

CASUS XI. Quæſitum eſt a duobus Canoniſtis, utrum tempore interdicti generalis liceat ſepelire corpora defunctorum fidelium in loco ſacro. Unus eorum tenebat, id eſſe abſolute & indiſtincte prohibitum; & alter dicebat, iſtam prohibitionem admittere quamdam exceptionem præcipue reſpectu perſonarum innocentium.

℟. Quamvis dentur duæ ſpecies interdicti generalis, *perſonale* & *locale*; utrumque tamen interdictum admittit quamdam exceptionem. Hinc poſſunt ſepeliri in loco ſacro, non obſtante interdicto generali *perſonali*, infantes ante uſum rationis mortui; non autem id licet tempore interdicti generalis *localis*; quia eorum innocentia non efficit, ut locus interdictus, ſive dein generaliter ſive ſpecialiter ſit interdictus, capax fiat recipiendi eorum corpora. *Pontas.*

Nota. Oppoſitum, quod ſcilicet etiam tempore interdicti *localis* infantes baptizati poſſint ſepeliri in loco ſacro, videtur menti Eccleſiæ conformius.

CASUS XII. Cum Meſſinenſes incolæ eſſent cum ſuis Eccleſiis interdicti, quidam eorum in vicini oppidi Eccleſia parochiali interfuerunt miſſæ & officiis divinis. Violaruntne interdictum?

℟. Si non ſint rei peccati, ratione cujus interdictum fuit pronunciatum, potuerunt in dictum oppidum ire ad audiendam miſſam, & aliis intereſſe divinis officiis. Si vero & ipſi cauſam dederunt interdicto, ubique interdicti manent. *Pontas.*

CASUS XIII. Athenagoras, judex civilis & criminalis urbis Syracuſanæ a Papa obtinuit privilegium aſſiſtendi miſſæ

ſæ & divinis officiis aliis, quæ ſubmiſſa voce in eccleſia ſua parochiali dicebantur, quæ tamen cum omnibus aliis interdicta erat. Dictum judicem comitantur quatuor aut quinque ſuorum domeſticorum. An hi violant omnes interdictum?

℞. Si interdictum fuerit generale locale, & dicti domeſtici ſunt innocui a peccato, ratione cujus latum eſt interdictum, poſſunt comitari Dominum ſuum in eccleſiam absque omni peccato aut violatione interdicti. *Cum conceditur ſingulari perſonæ*, inquit Bonifacius VIII. in Cap. *Licet.* 11. Lib. 5. Tit. 7. in 6. *ejus familiares domeſtici ad audiendum cum ea, & celebrandum ſibi divinum officium, licite admittuntur. Pontas.*

CASUS XIV. Navigius ſententia juridica interdictus ab ingreſſu eccleſiæ, paulo poſt intra ſpatium unius horæ violento morbo correptus moritur; ante obitum tamen adſtantibus declaravit vehementem diſplicentiam de ſuis peccatis, præſertim de illo, quo cauſam dedit interdicto. Propterea parochus illum in cœmeterio ſepelivit, eoquod INNOCENTIUS III. ſepultura eccleſiaſtica ſolum privet eum, qui interdictus ab ingreſſu eccleſiæ mortuus eſt non pœnitens. An parochus bene egit?

℞. Nimis facilem ſe exhibuit parochus in iſthac occaſione, nec conformiter ad regulas Eccleſiæ egit. Navigius mortuus eſt privatus jure ſepulturæ eccleſiaſticæ vi interdicti ab ingreſſu eccleſiæ; hinc non eſt cenſendus priori reſtitutus juri, donec ab interdicto abſolutus fuerit a Superiore eccleſiaſtico, etiam poſt ipſius mortem, ſi vivus non potuit abſolvi. INNOC. III. *in cap.* A *nobis.* 28. *de ſentent excommunic. Pontas.*

CASUS XV. Virginius presbyter interdictus eſt ab ingreſſu eccleſiæ; eoquod celebrarit præſente homine, quem nominatim interdictum noverat. Eccleſiam tamen inſtar laici ingreſſus, ibi ſolus recitavit Breviarium. An peccavit? An etiam incurrit irregularitatem?

℞. Certum eſt, illum peccaſſe contra leges Canonicas; irregularitatem tamen non incurrit; quia juxta Bonifacium VIII. in Cap. *Is cui* 20. Lib. 5. Tit. 11. in 6. interdicti ab ingreſſu eccleſiæ ſolum tunc irregularitatem incurrunt, dum eccleſiam ingrediuntur, ibique functiones ſuas eccleſiaſticas ſolemniter aut publice exercent. Addit Papa, quod taliter interdictus, etſi appellaſſet, irregularitatem incurreret, ſi ſub prætextu appellationis in eccleſia functionem eccleſiaſticam exerceret. *Pontas.*

CASUS XVI. Clodomirus communicavit abſque neceſſitate cum pluribus perſonis nominatim Interdictis denunciatis. Peccavitne ? & an incurrit pœnam canonicam ?

℞. Non potuit abſque peccato gravi communicare cum dictis perſonis *in divinis*. Si vero in aliis rebus cum ipſis communicavit, non peccavit ; & in priori quoque caſu non incurrit pœnam aliquam canonicam ; ut patet ex conſtitutione Martini V. *Ad vitandum ſcandala*. Si Clodomirus eſſet presbyter, & communicaſſet cum interdicto, v. g. celebrando miſſam in loco interdicto extra caſum in jure exceptum, incurreret Irregularitatem ſolum ex eo, quod celebraſſet in loco interdicto ; & ab hac irregularitate, ſi foret publica ac notoria, a ſolo Papa poſſet abſolvi. Ad hæc prohiberetur ipſi ingreſſus eccleſiæ ipſo facto ; eo quod celebraſſet in præſentia perſonæ interdictæ, etſi hæc foret privilegiata aut exempta. Idem dicendum, ut habetur in Cap. *Is cui*. 20. Lib. 5. Tit. 11, in 6. & in Cap. *Epiſcoporum*. 8. Lib. 5. Tit. 7. in 6., ſi Clodomirus foret laicus interdictus, & coegiſſet presbyterum ad celebrandum in eccleſia aut capella interdicta. *Pontas*.

CASUS XVII. Cum omnes incolæ Vici S. Symphoriani ſubjacerent generali interdicto, parochus nihilominus excepit quorumdam pœnitentium non ægrotantium confeſſiones, & quibusdam infirmis miniſtravit ſacrum Viaticum. An peccavit ? & num violavit interdictum ?

℞. Nec peccavit, nec violavit interdictum : Eccleſia enim tempore Interdicti generalis non ſolum permittit adminiſtrationem Baptiſmi & Confirmationis, ſed & Sacramenti Pœnitentiæ ; dummodo ii, qui illud petunt, non ſint excommunicati aut nominatim interdicti ; quæ tamen exceptio in articulo mortis locum non habet. Eccleſia inſuper concedit periculoſe decumbentibus ſacrum Viaticum : & omnia hæc Sacramenta adminiſtrari debent cum ſumma decentia & debita illis reverentia ; in adminiſtratione tamen Baptiſmi ſolum perſonæ ad ceremonias peragendas neceſſariæ admittendæ ſunt in eccleſiam. Ita ſtatuerunt Innocentius III. in Cap. *Reſponſo* 43. Lib. 5. Tit. 39. Bonifacius VIII. In Cap. *Alma*, 24. Lib. 5. Tit. 11. in 6. & Gregorius IX. in Cap. *Permittimus*. 57. Lib. 5. Tit. 39. Obſervandum tamen, eos, qui interdicto cauſam dederunt, non poſſe abſque peccato celebrare, Corpus Domini ſumere, aſſiſtere officiis divinis, nec adminiſtrare aut recipere Sacramenta, nec etiam recipi ad Pœnitentiam ; niſi prius, ut idem Bonifacius l. c. docet, ſatisfecerint

cerint

cerint Eccleſiæ, quantum in ipſis eſt, ratione peccati commiſſi, & ſcandali fidelibus dati. *Pontas.*

CASUS XVIII. Almachius parochus in feſto Patroni eccleſiæ ſuæ coram frequentiſſimo concurrente populo concionem habuit; quamvis eccleſia cum omnibus loci incolis fuerit interdicta. An violavit interdictum?

℟. Non violavit: prædicatio enim verbi divini juxta Innocentium III. in Cap. *Reſponſo* 43. Lib. 5. Tit. 39. non comprehenditur in prohibitione myſteriorum divinorum tempore interdicti generalis: ſi enim populo tolleretur doctrina, exhortatio ac prædicatio, ſubtraheretur illi præcipuum ac opportuniſſimum converſionis medium contra intentionem Dei & Eccleſiæ, optantium ac quærentium converſionem peccatoris. *Pontas.*

CASUS XIX. Capella & cœmeterio eccleſiæ parochiali contiguis ab Epiſcopo diœceſano interdictis, parochus in eccleſia parochiali miſſam celebravit. An per hoc violavit interdictum? Aut ſi ipſa eccleſia parochialis fuiſſet interdicta, & parochus celebraſſet in Capella, ac corpora defunctorum inhumaſſet in cœmeterio, quid tunc dicendum?

℟. Hi caſus plurimum inter ſe differunt. In priori caſu parochus non violat interdictum; quia principale non ſequitur naturam acceſſorii. In altero vero caſu violat interdictum: nam eccleſia interdicta etiam interdicta cenſentur contigua eccleſiæ Capella & cœmeterium, ut declarat Bonifacius VIII. in Cap. *Si civitas.* 17. Lib. 5. Tit. 11. in 6. Conformiter ad hoc principium dicendum, quod, ſi interdictum pronunciatur in totum, eo ligentur omnes partes, ex quibus conſtat totum. Sic ſi civitas interdicitur, interdictum non ſolum comprehendit omnes domos civitatis, ſed etiam ſuburbia, quæ conſtituunt partem civitatis. Bonifacius VIII. l. c. hanc allegat rationem: *ne vilipendi valeat interdicti ſententia; quod fieret, ſi poſſet in ipſorum ſuburbiis vel continentibus ædificiis licite celebrari.* Notandum tamen, quod, ſi ſuburbia eſſent alterius diœceſis, licet interdicta cenſerentur *a jure*, non tamen interdicta forent *ab homine* ob defectum juriſdictionis Epiſcopi, qui interdixit civitatem. *Pontas.*

CASUS XX. Burchardus parochus de Dominica celebrans miſſam ſolemnem advertit adeſſe Licinium, qui ab Epiſcopo nominatim interdictus fuerat. Quid agendum parocho, ſi interdictus diſcedere juſſus parere nolit? Poteſtne eo præſente perficere cœptum ſacrificium?

℟. Parochus tenetur deſiſtere ab officio & celebratione miſſæ, niſi jam inchoaverit Canonem. Si autem Canonem

jam inchoavit, miſſa quidem continuanda erit usque ad Communionem; ſed ea finita ocyus ab altari recedere, & reſiduas preces in Sacriſtia ſupplere tenetur, ſub pœna interdicti ingreſſus eccleſiæ. Taliter interdictus autem, ſi poſt monitionem exire recuſet, incurrit excommunicationem ipſo facto, ut deſumitur ex Cap. *Gravis*. 2. Clement. Lib. 5. Tit. 10.

CASUS XXI. Licinius interdictus ab ingreſſu eccleſiæ, & ut talis publice denunciatus recuſat obedire parocho, illum ex eccleſia tempore celebrationis myſteriorum ſacrorum exire jubenti. Sublato autem interdicto hanc ſuam inobedientiam confitetur. Poteſtne abſolvi, ſi promittat, ſe in præſentia plurium teſtium a parocho petiturum veniam?

℟. Cum Licinius incurrerit excommunicationem, ut dictum eſt in reſponſione ad caſum præcedentem, eaque cenſura ſit reſervata Papæ, valide non poteſt abſolvi, niſi prius abſolutus fuerit ab excommunicatione, quam per ſuam inobedientiam ſibi contraxerat. Eandem excommunicationem ipſo facto incurrunt Clerici ſepelientes perſonam nominatim interdictam in eccleſia aut cœmeterio, & omnes laici ad id cooperantes; nec poſſunt abſolvi, niſi a Superiore legitimo, qui interdictum pronunciavit. *Pontas*.

CASUS XXII. Quadraginta aut quinquaginta perſonæ in exiguo oppido auſi ſunt expellere presbyteros in communitate ibi degentes, atrocibus affectos injuriis. Rogatur Epiſcopus, ut totum oppidum in pœnam patrati criminis interdicto ſubiiciat. Poteſtne, aut debet ſic agere Epiſcopus?

℟. Nequaquam conſulendum Epiſcopo, ut hanc pœnam infligat; imo dicendum videtur, quod tuta conſcientia ne quidem poſſit uti hoc medio: licet enim Epiſcopus poteſtatem habeat crimen ſcandaloſum ac publicum interdicto puniendi; non convenit tamen, ut interdictum generale feratur in omnes indiſcriminatim, niſi crimen commiſſum fuerit nomine & authoritate totius communitatis. Cum igitur homines privati nec nomine Magiſtratus, nec authoritate totius communitatis presbyteros male adeo habuerint, abſtinendum erit ab interdicto generali, & juxta Du Caſſe prax. juriſdict. Eccl. voluntar. c. 11. §. 2. n. 4. amplectenda ordinaria via juſtitiæ. *Pontas*.

Vide *Excommunicatio*. *Suſpenſio*.

INTER-

INTERSTITIA.

1. Verbum *Interſtitia* denotat intervallum temporis ab Eccleſia determinati ad licite recipiendos ordines ſacros, & eſt quoad hos intervallum unius anni. Eccleſia hoc temporis intervallum juxta Concilium Trid. Seſſ. 23. c. 2. de reform. conſtituit, ut innoteſcat probitas morum, pietas, capacitas & vera vocatio Clericorum.

2. Epiſcopus in interſtitiis diſpenſare poteſt; dummodo non conferat ordines, niſi tempore a SS. Canonibus conſtituto, quatuor ſcilicet anni temporibus. Verum & ad diſpenſationem impertiendam requiritur cauſa legitima, & utilitas Eccleſiæ. Plurimum igitur reprehendendi ſunt, qui intra breve temporis intervallum ſacros ſuſcipere ordines feſtinant contra leges eccleſiaſticas.

CASUS I. Angelinus ordinatus eſt diaconus ſabbato quatuor temporum quadrageſimæ, & poſt annum eodem die recepit presbyteratum. Cum autem hoc anno quadrageſima viginti diebus prius inciderit ac anno præterito, ita ut inter duas ordinationes non interceſſerit integer annus, nec etiam epiſcopalis diſpenſatio ipſi data fuerit, quæritur, utrum ejus ordinatio ſit legitima, & an non incurrerit pœnam canonicam.

℟. Diſtinguendum eſt inter annum *naturalem* & *eccleſiaſticum*. Annus naturalis conſtat ex 365. diebus & aliquot horis; eccleſiaſticus autem computatur ab uno paſchate ad alterum. Hinc Angelinus ex præſcripto canonum ordinatus eſt, & non incurrit pœnam canonicam. Ita juxta Fagnanum in Cap. *Literas*. 13. de temp. ordin. n. 2. declaravit S. Congregatio Concilii, quam declarationem Clemens VIII. approbavit. *Pontas*.

CASUS II. Flodoardus ſuſcepit presbyteratum non ſervatis interſtitiis; quamvis nullam habuerit diſpenſationem Epiſcopi. An incurrit aliquam pœnam canonicam?

℟. Grave commiſit peccatum pro arbitrio Epiſcopi ſui puniendum; non tamen juxta Cabaſſutium Jur. Can. Theor. & prax. Lib. 5. c. 16. n. 7. & Du Caſſe Prax. Juriſd. eccleſ. volunt. c. 3. §. 2. n. 4. incurrit ſuſpenſionem aut irregularitatem. Bulla Sixti V. de anno 1589. quæ ſtatuit pœnam ſuſpenſionis in transgreſſores interſtitiorum, fuit 1595. a Clemente VIII. revocata, atque redacta ad terminos Concilii Tridentini, quod in ſimili caſu pœnam non decernit. *Pontas*.

CASUS III. Theophanes acceptis a Ferdinando vicario generali literis dimiſſoriis diſpenſationem interſtitiorum contin-

tinentibus ſuſcepit diaconatum. Eſtne canonice ordinatus ?

℞. Canonice eſt ordinatus, ſi vicario generali ab Epiſcopo expreſſa poteſtas eſt data concedendi dimiſſorias, quam de jure communi non habet, ut ſtatuit Bonifacius VIII. in Cap. *Cum nullus*. 3. Lib. 1. Tit. 9. in 6. Quod attinet diſpenſationem interſtitiorum, vicarius generalis juxta Fagnanum in Cap. *De eo*. 3. de temp. Ordinat. n. 12. abſente Epiſcopo eam concedere poteſt, quando habet ſpecialem poteſtatem dandi dimiſſorias. *Pontas*.

Vide *Dimiſſoriæ. Ordines*.

INVENTA.

CASUS. Titius ante decem annos proficiſcens in urbem quamdam ad celebres nundinas ibi habitas, in ingreſſu portæ reperit ſacculum, in quo 1500. floreni continebantur. Altera die in viis affigi ſchedulam, qua omnibus notum fieret, notabilem a quopiam pecuniæ ſummam fuiſſe repertam, idque ex cathedris denunciari, ac in tota vicinia promulgari curavit. Hæc diligentia licet & anno ſequente in iiſdem nundinis iterato fuerit adhibita, reſque totam pervaſerit provinciam, neutiquam tamen detectus fuit, qui pecunias has perdidit. Tandem Titius eas in proprium uſum convertit, partem ſextam erogat in eleemoſynas, reliqua, etſi revera pauper minime ſit, ſibi ipſi retinet, fruſtra urgente parocho, ut ad cauſas pias applicet.

℞. Titius, qui adhibita omni poſſibili diligentia detegendi dominum pecuniæ inventæ, partem ejuſdem bona fide conſumpſit, non tenetur pauperibus erogare, niſi id, ex quo factus eſt ditior; & ſi poſtea detegeretur dominus, illi, qui ex pecuniis inventis quidpiam eleemoſynæ inſtar receperunt, tenerentur reſtituere, quod nondum conſumpſerunt. *Fromageau*.

NOTA. Juxta inſignes Theologos inventor non tenetur bona inventa expendere in cauſas pias; ſed ea aſſervare, & ſi poſt *longum tempus*, quod eſt *viginti annorum*, Dominus non compareat, poteſt ea abſumere in ſuum uſum. Circa res levioris momenti: vel uſu conſumptibiles cenſetur Dominus citius deponere ſpem recuperandi, ac conſequenter animum poſſidendi, quo ſtatim momento fiunt primo occupantis. In dubio de animo Domini æqua compoſitio facienda juxta voluntatem ejus præſumptam.

INVENTARIUM.

1. *Inventarium* eſt terminus forenſis, & vocatur ab Ulpiano *Repertorium*, ſeu facta deſcriptio effectuum hæreditatis obſervatis formalitatibus a jure aut conſuetudine præſcriptis.

2. Omnis hæres, ut jus habet hæreditatem adeundi vel repudiandi, ſic etiam jus habet deliberandi, quod agere velit, & num hæreditas ſibi utilis ſit vel non. In dubio de pretio ac valore bonorum hæreditariorum ſe pro hærede gerere poteſt ſub beneficio inventarii, usque dum verum juſtumque valorem ac pretium hæreditatis comperiat.

3. Modus iſte ſe pro hærede gerendi dicitur *Beneficium inventarii*; cujus effectus eſt, ut, ſi debita excedant valorem bonorum hæreditariorum, hæres beneficiarius ſolum *teneatur hæreditariis creditoribus in tantum, in quantum res ſubſtantiæ ad eum devolutæ valeant*, ut ait lex *Scimus*. fin. §. 4. Cod. Lib. 6. Tit. 30. Verum ſi ſe declaravit pro hærede puro ac ſimplici absque beneficio inventarii, omnia debita expungere tenetur, etſi bona hæreditaria ad id non ſufficiant.

4. Hæres beneficiarius, ſi ipſus ſit creditor defuncti quacumque demum ratione, conſervat jus ſuum, & in concurſu cum aliis creditoribus hypothecam aut privilegium ſuum, ſiquod habet, non amittit; ac inſuper deducere poteſt ſumptus, quos neceſſario impendit in funebres expenſas, in inventarium, in reparationes, & in alia ejusmodi.

5. Si hæres beneficiarius tantum æris alieni perſolviſſet, quantum ex hæreditate accepit, & poſtea alii ſe ſiſterent creditores, nihil illis deberet, niſi exhibitionem rationum accepti & expenſi.

6. Hæres ſi velit confici inventarium, illius confectio inchoari debet intra menſem a tempore, quo hæredi innotuit, hæreditatem ſibi eſſe delatam, atque abſolvi intra tres menſes a dicto tempore, atque ſubſcribi ab hærede, vel a Notario ad id rogato. Si vero ante, vel in ipſa confectione inventarii aliquod urgens interveniret negotium, quo hæres avocaretur, tunc curator hæreditatis conſtituendus eſſet, ut illius curam habeat. Item, ſi intra dictum temporis ſpatium providendum eſſet rebus, quæ deſtrui aut omnino perire poſſent, ut ſunt fructus, frumentum, vinum &c. aut aliæ res, quæ inutiles creant impenſas, uti ſunt equi &c. tunc hæres, aut illius curator talia poteſt vendere obſervatis requiſitis formalitatibus, v. g. cum authoritate judicis, aut ſal-

tem, ſi eſſet res exigui pretii, cum conſenſu eorum, quorum intereſt.

7. Si hæres, qui deliberat, an hæreditatem acceptet vel non, moriatur antequam ſe declaret hæredem, tunc ille, qui illi ab inteſtato vel alio modo ſuccedit, & ad quem hæreditas nondum acceptata devolvi debet, eodem jure gaudet deliberandi, uti defunctus; aſt ſi defunctus hæreditatem ſimpliciter acceptaſſet, dicto non gauderet jure.

8. Omnis hæres poteſt etiam abſque deliberatione prævia ſe declarare hæredem beneficiarium, & procurare, ut conficiatur inventarium omnium bonorum. Quia vero creditorum quoque & legatariorum intereſt, illud confici debet authoritate Judicis omnia hæreditatis mobilia publico conſignantis ſigillo: dein priusquam conficiatur inventarium, exigi debet ab hærede, & domeſticis juramentum, ſub quo fateantur, ſi quid de hæreditate occultatum, venditum aut aliunde diſtractum ſit.

CASUS I. Theodrada, Vidua Ludovici mercatoris civis Pariſienſis, bona cum dicto Ludovico communia habens, primum poſt triennium a morte ſui viri inventarium bonorem communium confici procuravit; dum nempe in eo erat, ut ſecundas nuptias inire cogitaret. Ipſius filii, adhuc minorennes petierunt ab ea bona a ſuo patre relicta, & inſuper dimidiam partem lucri e bonis communibus a die, quo illa Ludovico nupſerat, usque ad hanc, qua id ab ipſa petunt, diem facti. Mater filiorum petitioni annuit in tantum, ut illis velit tradere dimidiam partem lucri e bonis communibus usque ad mortem patris facti, non autem illius lucri, quod poſt mortem ipſius retulit.

℟. Filii gaudent jure a matre ſua petendi dimidiam partem lucri ex bonis communibus usque ad diem ſuæ petitionis relati. Hæc vero continuatio communionis bonorum, in defectu inventarii, ſolum habet locum reſpectu filiorum minorennium. Aliud dicendum foret, ſi vidua ocyus poſt mortem mariti ſui renunciaſſet communioni bonorum; quia terminatio inventarii non eſt eſſentialis in hoc caſu, & facta renunciatio re adhuc integra ſufficit ad diſſolvendam communionem bonorum, ſaltem niſi conſuetudo loci expreſſe aliud velit. *Pontas.*

CASUS II. Lamberto cive Pariſienſi mortuo, relicta vidua, ut continuationem communionis bonorum cum duobus filiis ſuis minorennibus diſſolveret, primo poſt mortem mariti octiduo inventarium conficiendum curavit. Aſt cum vix confici cœpiſſet inventarium, morbus contagioſus in

urbe

urbe graſſari cœpit; hinc in aliam provinciam ſe contulit & ibi ſedecim menſibus morata rediit Lutetiam, ac cœptum prius inventarium ad finem perduxit. Bona communia a tempore obitus Lamberti valde aucta fuere: filii vero Lamberti prætendebant communionem bonorum continuatam fuiſſe in ſuum favorem; cum mater inventarium non confecerit tempore & forma a conſuetudine præſcriptis, ſcilicet intra primum trimeſtre, & caſus fortuitus contagionis ſibi de jure ſuo nihil derogare poſſit. Mater econtra contendit, ſibi imputandam haud eſſe moram inventarii; cum ipſa non ſit in culpa, & ſe ſolum tuendæ vitæ cauſa receperit in aliam provinciam. Cuinam parti favendum?

℞. Juxta Molinæum & plures alios videtur favendum eſſe viduæ; id quod & charitati Chriſtianæ, teneritudini filiali erga matrem, ac juſtitiæ conforme eſt. L. *Tutor*. 7. ff. Lib. 26. Tit. 7. dicitur: *Tutor., qui repertorium non fecit, dolo feciſſe videtur, niſi forte aliqua neceſſaria & juſtiſſima cauſa allegari poſſit.* Quid juſtum magis & neceſſarium, quam vitæ ſuæ conſulere in manifeſto graſſantis peſtis diſcrimine? *Pontas.*

CASUS III. Joachimo mortuo Apollonia vidua ſuſceptis tribus ex eo liberis inventarium omnium bonorum conficiendum curavit; graves tamen ob rationes ſummam capitalem 5000. florenorum ſibi propriam reticuit; licet cenſus annui ex ea ſumma redacti ad bona communia ſpectarent. Nihilominus coram judice affirmavit, ſe nihil celaſſe. An male egit?

℞. Qui bonorum ſibi cum defuncto communium inventarium conſcribendum curat, non tenetur quidem bona ſibi propria indicare, ſi defuncti hæredes non habent jus ad fructus aut cenſus, quos ejusmodi bona produxerunt usque ad obitum defnncti; ſed cum in propoſito caſu cenſus ex ſumma redacti ad bona communia pertinerent, eos ſine perjurio Apollonia celare non potuit. *Pontas.*

NOTA. Tenebatur quidem Apollonia dimidium cenſuum clam reſtituere in maſſam hæreditatis ac bonorum communium; ſummam vero capitalem, ſi ejus proprietatem certis argumentis etiam in foro externo probare potuiſſet, licite reticuit; quia intentio legalis juramentum exigentis ſe ad ejusmodi bona privata non extendit.

Vide *Communio bonorum. Hæres. Teſtamentum.*

INVIDIA.

1. *Invidia* eſt peccatum charitati contrarium, quod definitur:

nitur : *Triſtitia injuſta de proximi bono, tanquam malo proprio.* Contriſtari quis poteſt de bono alterius ex metu, ne quid inde mali ſibi accidat, aut dum alium bono, quod illi obvenit, indignum quis cenſet, aut dum quis contriſtatur, quod alter bonum poſſideat, quo ipſe caret, quod proprie loquendo *æmulatio* vocatur. Item cum quis proximo ſuo malum imprecatur, & hoc potius odium quam invidia eſt. Denique cum quis contriſtatur, quod mali ſuis abutantur bonis ad offenſam Dei; & hæc triſtitia ex charitate oritur.

2. Triſtitia ut effectus invidiæ eſt illa, dum quis contriſtatur de bono proximi, in quantum illo credit diminui ſuum, & talis triſtitia eſt ex ſuo genere peccatum mortale. Si ab imaginatione tranſit in voluntatem, & pro ſuo objecto quoddam bonum excellens, & magni momenti habet, eſt grave. Hac invidiæ ſpecie diabolus tentavit primum hominem.

CASUS I. Faſtidius pauper ſæpius contriſtatur de divitiis, queis vicinum ſuum abundare videt.

℞. Species iſthæc invidiæ peccaminoſa eſt; nec unquam licita eſſe poteſt; *quia*, ut ait S. Thomas, *dolet de eo, de quo eſt gaudendum, ſcilicet de bono proximi.* Verum ſi Faſtidius non triſtatur præciſe propter divitias vicini, ſed quod ipſus deſtituatur neceſſariis pro ſuſtentatione familiæ ſuæ, non committit peccatum invidiæ; quia licite appetuntur neceſſaria, dummodo id fiat cum ſubjectione intellectus & debita reſignatione voluntatis propriæ in divinam. De cætero poteſt quandoque concipi triſtitia de bono proximi ſine peccato; quando evidens eſt, eum hoc bono eſſe indignnm, v. g. dum presbytero inidoneo ac malitioſo confertur Beneficium curatum; dum homo injuſtus, cui juſtitiam vendere facile eſt, aſſumitur in Magiſtratum; dum homini luxurioſo ac prodigo obtingit pinguis hæreditas, qua certo ad peſſimam vitæ licentiam ſit abuſurus &c. *Pontas.*

NOTA. In his Ipſis caſibus facile peccatur per inordinationem aliquam triſtitiæ; eoquod facile patiatur quis eam paſſionem dominari animo, vel quod non reſpiciendo ad ordinationem Dei ſe conſtituat in periculo proclivi ad multa & varia peccata.

CASUS II. Cæſar ſæpius in confeſſione ſe de peccato invidiæ accuſat. Quid agendum Confeſſario?

℞. Ut poſſit diſcerni peccatum mortale a veniali, Confeſſarius cum D. Thoma attendat, an conceptus invidiæ motus ſit perfectus vel imperfectus, an ſit plene voluntarius, & denique an objectum invidiæ ſit bonum notabile. Ex hiſce cir-

circumſtantiis deſumi poterit, an invidia ſit peccatum mortale, aut ſolum veniale. *Pontas.*

CASUS III. Scipio videns, Proſperum & bonis & authoritate plurimum fuiſſe auctum, triſtatur; eo quod timeat, ne vir iſte, quem prius offenderat, vindictam ſumat. Peccatne?

℞. Scipionis triſtitia proprie loquendo non eſt effectus invidiæ; & poteſt eſſe ſine peccato. Verum ſi Scipio ipſus poſſidere deſideraret bona Proſperi & ejus authoritate pollere, & etiam iſtis eum ſine ulla ratione privari cuperet, invidiæ peccati reus eſſet. *Pontas.*

INVOCATIO SANCTORUM.

Invocatio Sanctorum ita non adverſatur S. Scripturæ, ut potius ſtabiliatur in ea. S. Paulus ſe commendat precibus fidelium, & ipſemet Deus præcepit Jobo, ut oret pro amicis ſuis. Si igitur preces, quas Sancti in hoc mundo ad Deum fundunt pro ſuis fratribus ac amicis, conformes ſunt S. Scripturæ, & non præjudicant mediationi Jeſu Chriſti, certe nec preces Sanctorum in cœlis pro nobis Deo oblatæ verbo divino adverſantur, aut mediationi Salvatoris præjudicant.

CASUS. Nicaſius recens ad fidem catholicam converſus mentem ſuam ſic explicat Confeſſario ſuo: Nolo invocare Sanctos; nec tamen diſcedam ex Eccleſia, dum invocantur, nec articulo huic publice refragabor, licet aſſenſum meum in eorum invocationem nunquam præſtiturus ſim. Eſtne abſolvendus a Confeſſario?

℞. Concilium Tridentinum Seſſ. 25. docet, invocationem Sanctorum eſſe bonam ac utilem, eam a primis Eccleſiæ temporibus fuiſſe in uſu, receptam a Patribus, & authoritate Conciliorum confirmatam ac ſtabilitam; & hinc eos, qui negant, invocandos eſſe Sanctos, aut eorum invocationem pugnare cum verbo Dei, adverſarique honori unius mediatoris Dei & hominum Jeſu Chriſti, impie ſentire. His ſuppoſitis dicendum, dicto neophyto denegandam eſſe abſolutionem. Prius autem hæc Eccleſiæ doctrina ipſi probe inculcanda, & magna cum prudentia cum eo agendum erit. *Fromageau.*

IRA.

Ira eſt paſſio naturalis, qua appetimus vindictam. Si ratione reguletur, non eſt peccatum; ſed ſi a recta ratione exorbitet, peccatum eſt. Peccatum hoc poteſt eſſe magis vel minus

minus grave pro diverſa ratione circumſtantiarum illud concomitantium. Generaliter loquendo ira duplici modo rationi adverſatur, per exceſſum ſcilicet vindictæ, quæ appetitur, & per exceſſum motuum interiorum aut exteriorum, quos producit.

CASUS I. Lucianus in confeſſione ſe accuſat de pluribus peccatis iræ; Confeſſarius autem neſcit diſcernere venialia a mortalibus.

℟. Sciendum, iram eſſe paſſionem, quæ, ſi juſtitia ac ratione dirigatur, non ſolum non eſt peccaminoſa, ſed bona ac laudabilis. Ut autem Confeſſarius æquum de qualitate iræ poſſit ferre judicium, eam conſiderare oportet relate ad finem ab iraſcente intentum, & relate ad perſonam ipſam iraſcentem. Sic ſi quis foveat deſiderium injuſtæ vindictæ, aut, quantumcumque injuſta ſit, eam exequi velit per alium, qui nec jus nec authoritatem habet, aut eam appetat ex malo fine, ira ex ſua natura peccatum mortale eſt; licet vel ex defectu ſufficientis deliberationis, vel dum motus iræ prævenit judicium rationis, vel dum vindicta, quæ appetitur, verſatur circa malum leve, ſit tantum peccatum veniale. Denique ſi motus interior iræ ſit nimium violentus, aut ſigna externa extreme vehementia, licet ira tunc non ſit ſemper peccatum mortale; poteſt tamen, etſi cæteroquin juſta, facile ad malitiam peccati mortalis pertingere, ſi violentia omnem ſenſum dilectionis erga Deum & proximum extinguat. *Pontas*.

CASUS II. Paulus cum filium ſuum valde diſſolutum non poſſet blandis adhortationibus ad frugem reducere, cogitur eum coercere verberibus; ſed id agendo fere ſemper ira corripitur.

℟. Non poteſt condemnari alicujus peccati, ſi iraſcendo non excedat, ſed pro regula juſtitiam & charitatem habeat. *Pontas*

CASUS III. Servianus ira correptus diu in ea perſtitit; etiam alias frequenter ea corripi ſolet, & quandoque cum ſcandalo.

℟. Servianus non peccat mortaliter ex eo præciſe, quod aliquando diu in ira perſiſtat, vel quod frequenter in illam incidat. Si vero ira eſſet conjuncta cum deſiderio inferendi alteri notabile damnum, aut cum gravi aliorum ſcandalo, non poſſet excuſari a peccato mortali. *Pontas*.

IRO-

IRONIA.

1. *Ironia* in ſenſu proprio ſumpta eſt quædam jocoſa cavillatio, qua quis alteri ingenioſe illudit. Raro ironia adhibetur absque peccato: plerumque enim aut deficit prudentia, aut charitas; aut ſaltem termini, queis ironia exprimitur, ſunt verba otioſa, quæ Chriſtus in Evangelio condemnat; aut denique ironiam comitari ſolent circumſtantiæ aliæ, quæ illam vitioſam reddunt.

2. Datur etiam alia ſpecies *Ironiæ*, quæ ſemper eſt peccatum; quia in ſe includit mendacium, ut quando quis ſub prætextu humilitatis ſibi attribuit defectus, quos tamen non habet; aut quando quis contra propriam conſcientiam negat quamdam virtutem, aut animi dotem, quam in ſe habet actu: & hanc ironiæ ſpeciem D. Thomas peccaminoſam vocat, ut ex reſponſionibus ad ſequentes caſus patebit.

CASUS I. Claudius faceti ac lepidi ingenii homo ſæpe utitur ironia. Admonitus de hoc, perſuaderi haud potuit, ſe peccare.

℟. Ironia ex natura ſua non eſt peccatum: uſus enim ejusdem fundatur in ipſa S. Scriptura. Sic Deus ſuam Adamo inobedientiam his verbis exprobravit ironicis Gen. 3. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* Edem modo ironia uſus eſt Elias, dum ſacerdotes Baal majori voce clamare juſſit, ut facilius audiantur a Deo ſuo, fors dormiente. Juxta Tertullianum L. cont. Valentin. c. 6. ironia utilis eſt, quando ſervit ad tuendam veritatem, vel ad confundendos eos, qui confuſione digni ſunt. Claudius ipſemet ſciet, qua mente ac intentione ironia utatur: ſi ea vergat in contemptum proximi, ſine læſione charitatis adhiberi non poteſt; eſtque peccaminoſa, quotiescumque vanitatis cauſa, aut ex prava intentione profertur. *Pontas.*

CASUS II. Lucius ſæpius per ironiam traducit devotionem Nataliæ; eoquod ſæpius confiteatur, & ad ſacram Synaxin accedat, ac etiam nimis ſcrupuloſa videatur in vitanda converſatione hominum mundanorum. An per hoc peccat? & quali peccato?

℟. Ejusmodi ironia a peccato excuſari haud poteſt; quia includit aliquem contemptum, ſaltem tacitum, pietatis proximi, ac illi confuſionem creat, animumque turbat; ac denique non ſolum perſonam illuſam, ſed & præſentes ab exercitiis pietatis avocat. Verum quidem eſt, ejusmodi irriſiones non ſemper eſſe peccata mortalia; recenſendæ tamen ſunt inter peccata venialia graviora, ideoque omni poſſibili modo

evi-

evitandæ. Imo inſignis Moraliſta Merbeſius in Sum. Chriſt. p. 1. q. 126. Tom. 2. pag. 528. ait : *Lethale peccatum eſt irridere juſtos : per hujusmodi enim irriſionem multi revocantur ab colenda virtute, quam alioqui ſtrenue capeſſerent.* Et paulo inferius : *ipſa virtutis deriſio peſtilentiſſimum eſt vitium, & ut plurimum peccatum lethale; etiamſi fiat nullo proximi pudore ſuffundendi conſilio.* Timeant hujusmodi irriſores, ne in judicio ſint ex eorum reproborum numero, qui de juſtis tunc dicturi ſunt ; *Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem eorum ſine honore.* Sap. 5. *Pontas.*

CASUS III. Samuel in converſatione Gilberto loquens utitur verbis ironicis non alio ex fine, quam ut ipſius vanitatem, quam in ſuo diſcurſu adhibet, corrigat ; aſt cum videret, Gilbertum per hoc non emendari, ſed magis offendi, timet de peccato. Quid illi reſpondendum?

℞. *Non faciamus mala, ut veniant bona,* ait Apoſtolus Rom. 3. 8. Ex hoc principio Samuel non poteſt excuſari a peccato ; cum aperte violet legem charitatis. Etiamſi hæc locutio ironica de ſe foret bona ac laudabilis, non tamen eſſet licita in circumſtantiis præſentis caſus : non enim licet facere opus de ſe quidem bonum, ad quod tamen peragendum quis non obligatur ex officio, ſi ab experientia conſtet, exinde proximo naſciturum ſcandalum, eumque occaſionem ſumpturum pertinacius in peccato perſeverandi. *Pontas.*

IRREGULARITAS.

1. *Irregularitas* non eſt cenſura, ſed *impedimentum canonicum, quo jure divino vel eccleſiaſtico inducitur inhabilitas ad ſuſcipiendos Ordines, & ad ſuſceptorum exercitium.*

2. Duplex ergo datur irregularitas, una juris *divini*, & altera juris *eccleſiaſtici*. Prior eſt *inhabilitas ordinatione divina reddens perſonam incapacem Ordinis eccleſiaſtici*, & hæc afficit perſonam non baptizatam aut ſexus muliebris &c. Poſterior eſt *inhabilitas ordinatione Eccleſiæ impediens directe ſuſceptione tonſuræ & Ordinum, indirecte uſum ſuſceptorum*; & hanc inducit defectus natalium, mutilatio, & alia hujusmodi.

3. Dividitur ulterius irregularitas in *totalem* & *partialem*. Prior eſt, quæ omnium Ordinum ſuſceptionem & uſum impedit, & quidem in perpetuum, qualis datur in muto, cæco &c. Poſterior eſt, quæ tantum aliquem actum Ordinis, vel ad tempus impedit ; qualis datur in infante uſu loquelæ

adhuc

adhuc deſtituto, aut in ſacerdote, qui abſciſſo pollice foret quidem inhabilis ad celebrandam miſſam, confeſſiones tamen excipere, & alias functiones ſacerdotales obire poſſet.

4. Denique diſtinguendum eſt inter irregularitatem *ex delicto*, & irregularitatem *ex defectu*. Prior incurritur ob crimen aliquod, v. g. homicidium, violationem cenſuræ, mutilationem, procurationem abortus fœtus animati &c. Poſterior contrahitur absque omni peccato v. g. ex bigamia, ſententia mortis vel mutilationis lata in reum, effectu ſecuto &c.

5. Cum irregularitas peccatum non ſit, ab ea ſine expreſſa licentia Papæ, aut in non nullis caſibus particularibus Epiſcopi nullus Confeſſarius abſolvere aut diſpenſare poteſt; idque etiam tempore Jubilæi, niſi in Bulla ſpecialis & expreſſa Confeſſariis concedatur facultas.

6. Irregularitas non nunquam absque omni peccato contrahi poteſt a laicis, ſicut a Clericis; ea autem juxta declarationem Bonifacii VIII. C. *Is qui.* 18. Lib. 5. Tit. 11. in 6. nunquam incurritur, niſi in caſibus a jure expreſſis.

7. Effectus irregularitatis ſunt ſequentes. 1. Irregularis ſuſcipiens Ordines, aut in ſuſceptis miniſtrans peccat mortaliter, niſi excuſetur ob juſtam ac urgentem neceſſitatem, aut ignorantiam inculpabilem. 2. Irregularitas ipſo jure nullam ac irritam facit Beneficii collationem; licet ipſo facto non privet Beneficiis prius jam collatis.

8. Irregularitas per ſe nunquam parit aliam irregularitatem. Multæ irregularitates tolluntur per ſuſceptionem Baptiſmi, & ſolemnem profeſſionem religionis.

CASUS I. Marinus Canonicus Cathedralis irregularitatem incurrit; eo quod ſuaſerit & procurarit homicidium. Obtenta vero abſolutione a peccato ſuo & annexa eidem excommunicatione denuo chorum adiit, pſalmos cantavit, imo & miſſam celebravit. An ſe reum fecit novi peccati?

℟. Alexander III. C. *Sicut dignum.* 6. §. 7. Lib. 5. Tit. 12. ad Epiſcopum Exonienſem ſcribens de Clericis ad mortem S. Thomæ Cantuarienſis contribuentibus declarat, dictos Clericos non ſolum ab altaris miniſterio eſſe deponendos, ſed etiam illis non licere ſeparatim cantare lectiones & reſponſoria in choro; ex quibus verbis quidam Canoniſtæ inferunt, ejusmodi Canonicos ſaltem poſſe cum aliis Canonicis in choro pſallere. Sed iſta opinio videtur nimis favorabilis Marino: nam idem Papa addit, Clericos homicidii complices in monaſterio Religioſorum, ſi fieri poſſit, eſſe recludendos, ut ibi pœnitentiam agant, & ab ingreſſu eccle-

eccleſiæ ad ſeptennium aut ſaltem quinquennium interdicendos; quod manifeſte oſtendit, quanto horrori ac abominationi crimen eorum omnibus eſſe debeat. Hæc eadem opinio eſt Cardinalis Hoſtienſis in d. c. *ſicut dignum.* v. *Separatim.* n. 16. & plurium aliorum. Multo minus igitur Marinus celebrare, aut alium Ordinis actum exercere poteſt, priusquam fuerit rehabilitatus. *Pontas.*

Nota. Incertum eſt, an illa pœna ſit *latæ*, vel ſolum *ferendæ* ſententiæ; & ideo benignior ſententia tenenda. Vide Caſ. 54.

CASUS II. Calligonus presbyter & miſſionarius in regno, ubi religio catholica ſub pœna mortis prohibita eſt, conſuluit Henricum Superiorem ſuum, an non judicialiter interrogatus diſſimulare poſſit religionem ſuam, etſi id ſcandalo eſſe poſſit multis occultis catholicis. Henricus reſpondet, id absque graviſſimo peccato fieri haud poſſe. Poſt triduum Calligonus in vincula conjectus, &, cum ſe catholicum profiteretur, morte affectus eſt. An Henricus, qui ſuo conſilio cauſa mortis exſtitit Calligono, irregularitatem incurrit?

℞. Certum eſt, quemlibet Chriſtianum teneri ad hoc, ut in qualicumque occaſione profiteatur religionem ſuam; hinc ſi Henricus Calligono aliud conſuluiſſet, & hic fidem negaſſet, ejusdem criminis reum ſe feciſſet Henricus. Cum igitur Alexander III. in cap. *De cætero.* 11. Lib. 5. Tit. 12. dicit, illum, qui ſuo conſilio aut alio modo cauſa mortis alterius eſt, fieri irregularem, excipiendus eſt caſus, de quo in præſenti ſermo eſt, ut obſervat Innocentius IV. in C. *Ad audientiam.* n. 6. vers. *Sed & ſi conſulat.* de homicid. Ex quo ipſo Fagnanus infert, quod inquiſitores fidei in regionibus, in quibus tribunal inquiſitionis eſt receptum, non incurrant irregularitatem, etiamſi aliquem pronuncient eſſe hæreticum, & certo ſciant, eum a judice laico afficiendum eſſe ultimo ſupplicio; quia agunt ex præſcripto vocationis ſuæ. *Non eſt crudelitas*, inquit S. Hieronymus, *crimina pro Deo punire, ſed pietas. Pontas.*

CASUS III. Cum fur Julio parocho abſtuliſſet urceum argenteum, deprehenſusque illum in fuga in puteum dejeciſſet, in quo tantum modicum aquæ erat, Julius Paulum nepotem ſuum, juniorem Clericum fune recenti ac ſatis valido in puteum demiſit. Aſt fune ex confricatione lapidum rupto Paulus decidit in puteum, & ſubmerſus eſt. An Julius ob mortem hanc caſualem nepotis ſui irregularitatem incurrit?

℞. To-

℟. Tota vertitur quæſtio in hoc; an ſcilicet Julius rem licitam fecerit, & nullam prorſus culpam commiſerit: ſi hoc, non incurrit irregularitatem. Verum in hoc ipſo, an videlicet licite egerit, non omnes conveniunt: aliqui quidem exiſtimant, Julium egiſſe licite, nullumque commiſiſſe peccatum, cum adhibuerit omnem præcautionem in tali caſu poſſibilem: ſed alii dicunt, Julium feciſſe rem de ſe illicitam, & peccaſſe; quia nepotem ſuum demittendo in puteum expoſuit periculo vitæ; & re ipſa fuit actus imprudentiæ juvenem Clericum, in his rebus inexpertum demittere in puteum; dein fors prævideri potuiſſet periculum ex confricatione funis; denique alia tentari debuiſſent media recuperandi urceum, v. g. demittendo hominem expertum, vel applicando inſtrumentum ad rem accommodum. Et hæc ſecunda ſententia eſt præferenda. Ad hæc, etſi Julius rem ex natura ſua licitam fecerit, non tamen excuſandus erit ab omni culpa; ad incurrendam autem irregularitatem ſufficit in ſenſu juridico culpa leviſſima. *Pontas.*

Nota. Culpa leviſſima in ſenſu theologico non videtur ſufficere ad incurrendam pœnam tam gravem, ut eſt irregularitas. In dubio autem circa leges mere humanas ſententia benignior tenenda eſt. Vide Caſ. 54.

CASUS IV. Tribonianus hæres præſumptivus Gualteri, qui ex violentia calidæ febris in phreneſin lapſus eſt, aperit feneſtram cubiculi, in quo decumbebat Gualterus, ſub prætextu quidem liberiore aëre infirmo reſpirationem alleviandi, reapſe autem ex intentione, ut æger ſe per feneſtram præcipitem agat; quo & facto Gualterus in continenti obiit. An Tribonianus ob ſolam pravam intentionem irregularitatem incurrit?

℟. Sola quidem prava intentio non inducit irregularitatem, ſed juncta intentioni prava actio, qua Tribonianus intentioni ſuæ ſatisfactum iri prævidere poterat: phrenetici enim non ductu rationis, ſed corruptæ phantaſiæ reguntur, & cæco impetu quoquoverſum aguntur; id quod ſcire poterat Tribonianus. Hinc cum aperta feneſtra occaſionem necis dedit Gualtero, homicidii vere reus irregularitatem contraxit. Reſponſio elucidari poteſt per duo exempla ſatis accommoda. *Primo* tradit quis prava intentione ac deliberato animi propoſito furioſo gladium, ut ſemetipſum enecet vel alium. *Secundo* cædit quis arborem, & cum non moneret hominem prætereuntem, hic a cadente arbore opprimitur. Alexander III. primum, & Nicolaus Papa ſecundum declaravit irregularem. *Pontas.*

CASUS V. Calliſtratus cum in feſto Patroni Eccleſiæ pulſaret campanas, advertit funem cujusdam campanæ verſus inferiora protenſum ſæpius attrahi; hinc retrahit illum; &, licet ex pondere ſentiret, quemdam puerum ex fune pendere, eum annectit ad trabem. Verum cum puer non dimitteret funem, ſimulque cum eo ad altitudinem octo pedum elevaretur a pavimento, deficientibus tandem viribus decidit, & fracto cranio poſt biduum obiit. Eſtne Calliſtratus irregularis?

℞. Cum Calliſtratus hac occaſione ſane non egerit circumſpecte, ab omni peccato, & conſequenter ab irregularitate excuſari non poteſt, etſi ipſius culpa fors fuerit de genere earum, quæ in jure leviſſimæ vocantur. Fagnanus in Cap. Ad audientiam. de homicid. num. 44. teſtatur, hunc caſum ſuo tempore, cum Secretarii S. Congregationis munere fungeretur, contigiſſe, & ſic quoque fuiſſe deciſum. *Sacra Congregatio*, inquit hic Canoniſta, *habuit Clericum pro irregulari; quia dum chordam onuſtam trahebat, advertere poterat ac debebat, aliquem eſſe illi appenſum, & inde poſſe illi aliquid nocumenti contingere. Pontas.*

Nota. Ex eo, quod ſic deciſum fuerit in particulari caſu, nobis quoad complexum circumſtantiarum haud ſatis cognito, in pœnalibus non eſt inferenda lex generalis.

CASUS VI. Marius provocavit Maxentium ad duellum, & uterque ſuum patrinum ſecum ſumpſit. Marius nec occidit nec mutilavit Maxentium; patrinus vero Marii occidit patrinum Maxentii. An Marius eſt irregularis?

℞. Cum Marius ſit vera cauſa, quod patrinus ipſius occiderit patrinum Maxentii, æque irregularis eſt ac patrinus occidens. *Tales pugiles*, ait Cœleſtinus III. Cap. *Henricus*. 2. lib. 5. Tit. 14. *homicidæ veri exſtunt: nec prædictus ſacerdos, licet non ipſe, ſed alius pro eo in duello pugnaverit, debet in ſacris Ordinibus miniſtrare, ſicut tradunt ſacrorum Canonum inſtituta. Pontas.*

CASUS VII. Tiberianus presbyter ſæcularis, licet eſſet ſuſpenſus *a divinis*, nihilominus inſtitit prædicationi verbi divini per tres menſes. An incurrit irregularitatem? Et num incurriſſet eam, ſi fuiſſet ſuſpenſus ab ipſa prædicatione verbi divini?

℞. Cum juxta Fagnanum in C. *Reſponſo*. 43. de ſent. excomm. n. 20. ſub appellatione *divinorum* regulariter loquendo non veniat prædicatio verbi divini, Tiberianus *a divinis* ſuſpenſus non incurrit irregularitatem: miniſterium enim

præ-

prædicationis verbi divini non eſt ita annexum Ordinibus ſacris, ut non poſſit ex commiſſione Epiſcopi exerceri a ſimplici Clerico tonſurato. Imo nec incurriſſet irregularitatem, ſi ab ipſa prædicatione fuiſſet ſuſpenſus; licet graviter peccaſſet contra obedientiam. *Pontas.*

CASUS VIII. Fuſcianus diaconus proviſus de Beneficio, quod requirit ſuſceptionem presbyteratus intra annum, in itinere incidit in latrones, qui ipſi gladio amputarunt tres digitos manus dextræ; per quam mutilationem factus eſt irregularis. An propterea tenetur dimittere ſuum Beneficium?

℟. Quamvis irregularis factus ſit ad ſuſcipiendum presbyteratum, non tamen juxta Fagnanum in C. *Quæris.* 6. eod. Tit. n. 40. privandus eſt Beneficio: cum enim ſit innocens, injuſtum foret, illum hac ratione mulctare, miſeroque augere miſeriam. Aſt, ſi Beneficiatus propria culpa fiat irregularis, juxta Hoſtienſem in C. *Ut Abbates.* v. *juſta cauſa.* meretur privari ſuo Beneficio. *Hoc intellige,* ait Gloſſa, *quando per culpam ſuam ad talem ſtatum pervenit, quod promoveri non poteſt; contraria vero, quando ſine culpa; & tunc non debet alii afflictis afflictio.* *Pontas.* Vide *Beneficiatus. Beneficium.*

CASUS IX. Antiochus ſe contulit in ſilvam, ut tranſeuntem per eam Valerium occideret; aſt, cum illum jam occiſum reperiſſet, ſæviit in cadaver, & mortuo caput amputavit. An non irregularitatem contraxit?

℟. Cum tantum diſcriminis intercedat inter ſævitiem commiſſam in hominem viventem, & commiſſam in ejus cadaver, quantum eſt inter hominem vivum & inter mortuum, & cadaver non poſſit dici homo, Antiochus, licet reus ſit actionis enormiter peccaminoſæ ac barbaræ, non tamen incurrit irregularitatem juxta Archidiaconum in C. *Si quis.* fin. 15. q. 1. n. 2. Nec huic reſponſioni obeſt Canon Concilii Toletani, in quo dicitur, Clericum, qui militiam eſt ſecutus, recipi non poſſe ad diaconatum ob animum occidendi, quem habuit arma capeſsendo, etiamſi neminem occiderit aut mutilaverit. Ratio eſt; quia argumentum a pari, vel etiam a majori non habet locum in odioſis, ut eſt pœna irregularitatis; id quod patet ex decretali Bonifacii VIII. ubi declarat, quod irregularitatem non incurrat, qui celebrat in Eccleſia polluta: *cum id non ſit expreſſum in jure*: licet vi juris irregularitatem incurrat celebrans in Eccleſia interdicta. Et tamen hi duo caſus prorſus ſimillimi. *Pontas.*

CASUS X. Leonides presbyter ſciens, quod Paulus Mariam neptem ſuam ſub promiſſione futuri matrimonii deflora-

rit ac imprægnarit, quærit occaſionem illos ſimul commorantes deprehendendi, Paulumque tradendi judici, ut ad ducendam imprægnatam condemnaretur. Quadam igitur vice, eos ſimul eſſe, monitus circa medium noctis cum duobus conſanguineis irruit in cubiculum; quod advertens Paulus, ne deprehenderetur, ſubito de feneſtra ſe præcipitem dedit, & illiſus lapidi in inſtanti extinctus eſt. Num Leonides ex hoc facto irregularitatem incurrit, & diſpenſatione indiget?

℞. Leonidi non eſt imputanda mors Pauli, qui eam ſibi ipſemet ſua imprudentia ac temeritate procuravit. Hinc Leonides, utpote vacans rei licitæ, debitamque cautelam ad præcavenda mala adhibens irregularitatem non incurrit. Ita Fagnanus in C. *De cætero.* de homicid. n. 15. Judicandum eſt de Leonide, ſicut de presbytero, qui media nocte in domo ſua deprehendens furem inclamaret auxilium vicinorum, & fur exinde territus præcipitando fugam collum frangeret; aut ſicut de Clerico, quem Alexander III. ab irregularitate immunem declaravit, qui cum alio Clerico ludens eum ad terram proſtravit; licet proſtratus pendente ex cingulo cultro læſus obierit. *Pontas.*

CASUS XI. Inchadus filius parentum infidelium, & in tertio gradu lineæ collateralis conſanguineorum, poſtea vero ad religionem catholicam converſorum, amplecti cogitat ſtatum clericalem. Erant autem, qui ipſi dicerent, quod defectu natalium laboraret, utpote natus ex matrimonio, quod in contractu pure civili conſiſteret, & conſequenter eſſet irregularis. Eſtne illegitimus & irregularis?

℞. Matrimonium horum infidelium eſt validum juxta Innocentium III. in Cap. *Gaudemus.* 8. Lib. 4. Tit. 19. & hinc etiam proles ex eo progenitæ ſunt legitimæ, nulloque natalium vitio fœdatæ. *Cum in præmiſſis gradibus*, ait Papa, *a paganis quoad eos matrimonium licite ſit contractum, qui conſtitutionibus canonicis non arctantur.* Inchadus igitur, cum nec ſit illegitimus, nec irregularis ex defectu natalium, non habet obſtaculum ad ſtatum clericalem. *Pontas.*

CASUS XII. Daniel effoſſo ſiniſtro oculo ſubſtituit oculum artificialem tam bene compoſitum, ut defectus non niſi ab attentiſſimo advertatur; & dextro oculo ita compenſat defectum ſiniſtri, ut exactiſſime videat & facillime legat omnia. An nihilominus eſt irregularis, ſic ut ab Epiſcopo ordinari non poſſit ſine diſpenſatione?

℞. Canones uno orbatum oculo irregularem declarant ſolum ob deformitatem notabilem in vultu; hac per artem ſublata tollitur & irregularitas. *Jura*, inquit Sylvius Re-

ſol,

fol. var. V. *Irregularitas. quæ irregulares decernunt eos, qui carent oculo canonis, intelligenda videntur ſuppoſitive, hoc eſt, ſupponendo, quod carentia illa notabilem inducat deformitatem.* Non videtur igitur Daniel irregularis eſſe. Si autem dubium ſit, deciſio penes Epiſcopum erit. *Pontas.*

CASUS XIII. Patrophilus miles vitæ licentioſiſſimæ aſpirat ad clericatum. Cum autem ſe quondam commiſiſſe ſodomiam meminiſſet, quærit, an irregularitatem incurrerit, & an indigeat diſpenſatione papali vel epiſcopali, priusquam admittatur ad Ordines.

℞. A primordio naſcentis Eccleſiæ quodvis notabile crimen irregularitatem induxerat; & hæc Eccleſiæ diſciplina perduravit usque ad medium ſæculi ſeptimi. Irrumpente autem ſenſim corruptione morum majori Eccleſia moderatione uſa eſt, & plura crimina quantumvis atrocia non amplius irregularitati ſubjiciebat; ex quorum numero eſt crimen Patrophili. Cum ergo juxta declarationem Bonifacii VIII. C. *Is qui.* 18. Lib. 5. Tit. 11. in 6. non incurratur irregularitas niſi in caſibus a jure expreſſis, dicendum, quod Patrophilus non incurrerit irregularitatem, ſicque non indigeat diſpenſatione. His tamen non obſtantibus, cum Eccleſia ſemper eodem regatur ſpiritu, haud dubie etiam nunc judicat indignos ſacerdotio, qui ſe commacularunt abominando hoc ſcelere. Itaque ſuadendum Patrophilo, ut nunquam audeat accedere ad recipiendos ſacros Ordines, quamvis jam egerit pœnitentiam, & quidem ex his motivis: 1. Quia ſic ageret contra legem prohibentem, unanimi omnium totius orbis Epiſcoporum conſenſu latam in primis Eccleſiæ Conciliis. 2. Quia ſic agendo ſe reum conſtitueret præſumptionis aperte condemnabilis, judicando ſe dignum ſtatu tam ſancto ac ſublimi; dum interea Eccleſia eum judicat indigniſſimum, quæ miniſtros ſuos hoc crimine contaminatos abſque omni miſericordia tradit vindictæ publicæ brachii ſæcularis morte mulctandos, prius tamen degradatos, ac omni honore ac privilegio clericali exutos. *Pontas.*

Nota. Si crimen foret pluribus notum, arcendus eſſet ab Ordinibus jure divino. Triſtiſſima exempla docent, ejusmodi nefarios raro emendari, & ſuſcepto etiam clericatu in nefanda malitia perſeverare cum irreparabili ſcandalo ſeductorum, & probro totius ſtatus inextinguibili; imo eo magis in perverſitate proficere, quo amplior eſt occaſio, & minor ob ſanctitatem ſtatus mali ſuſpicio.

CASUS XIV. Firminus Epiſcopus a divinis ſuſpenſus abſtinuit quidem a collatione Ordinum & celebratione Miſ-

ſæ in Pontificalibus ; cum tamen in feſto Corporis Chriſti ſecundis veſperis intereſſet, ad finem Officii benedictionem dedit populo ſub conſueta formula : *Sit nomen Domini benedictum* &c. Incurritne irregularitatem ; cum a ſuſpenſione necdum eſſet abſolutus, & benedictionem iſtam pro ſimplici haberet ceremonia ?

℞. Sairus Theſaur. caſ. conſc. Lib. 4. c. 16. n. 16. exiſtimat, illum incurriſſe irregularitatem. Idem ſentit Fagnanus in Cap. *Vel non eſt compoſ.* 14. de temp. Ordin. n. 37. Ratio, quam allegat, eſt hæc : *quia nimirum hujuſmodi benedictio, quamvis non ſit Ordo, eſt tamen actus proprius Ordinis epiſcopalis, qui jure ordinario inferioribus presbyteris non convenit. Pontas.*

CASUS XV. Vandelinus procuravit filio ſuo Andreæ primam tonſuram anno ætatis octavo. Andreas, qui portaverat habitum ſæcularem usque ad annum ætatis decimum octavum, denuo recipit tonſuram, ac dein ſacros Ordines. Eſtne irregularis ; eo quod bis tonſuratus fuerit ?

℞. Si tonſura eſt Ordo, Vandelinus eſt irregularis. Verum communis Theologorum ſententia tenet, tonſuram non eſſe Ordinem ; & hinc non eſt cenſendus irregularis. *Pontas.*

CASUS XVI. Auguſtus nobilis juvenis cum equum conſcenderet, rumpitur frenum, equusque in curſum concitatus ferociter fertur in obvium infantem, qui terræ alliſus ac calcibus protritus obiit. Num Auguſtus irregularitatem incurrit ?

℞. Regulariter loquendo non eſt habendus pro irregulari ; cum non dederit operam rei illicitæ, & nec facto, nec voluntate occiderit. Ita ſentit Angelus de Clavaſio V. *Irregularitas.* q. 17. Aliud dicendum foret, ſi Auguſtus cauſa hujus necis exſtitiſſet per ſuam negligentiam aut imperitiam, v. g. ſi fuiſſet imperitus ad regendum equum, aut defectuoſitatem freni jam prius advertiſſet. Tunc ab irregularitate excuſari haud poſſet. *Pontas.*

NOTA. Etſi apprehendiſſet meram poſſibilitatem caſus, non eſſet irregularis ; quia in publico ea apprehenſio non præſumitur.

CASUS XVII. Ithacius parochus ab Epiſcopo ſuo fuit ſuſpenſus *a Beneficio* ; & tamen celebravit, ac percepit redditus caſuales parochiæ ſuæ. Eſtne irregularis ?

℞. Iſta ſuſpenſio non poteſt inducere irregularitatem. Graviter quidem peccavit Ithacius, irregularitatem tamen non incurrit. *Suſpenſi ab officio*, ait Innocentius IV. in ſuo

Com-

Comment. in decretal. in Cap. *Niſi cum pridem.* 10. L. 1. Tit. 9. *ſi celebrant, ſunt irregulares. Sed ſuſpenſus a Beneficio, ſi celebrat, non eſt irregularis; quia in jure non invenitur.* Idem Papa in Cap. *Statuimus.* 1. §. 2. Lib. 1. Tit. 6. in 6. ait. *Si ſuſpenſus a Beneficiis ad ea adminiſtranda propria temeritate ſe ingeſſerit, eis ipſo jure perpetuo ſit privatus. Pontas.*

CASUS XVIII. Manlius Profeſſor, examinans Baccalaureum circa materiam ſuſpenſionis, illum rejecit; eo quod reſponderit, Epiſcopum ſuſpenſum a collatione Ordinum, a Pontificalibus, & ab ingreſſu eccleſiæ non incurrere irregularitatem, ſi violet tres iſtas ſuſpenſionis ſpecies. An Manlius non peccavit contra juſtitiam?

℟. Sciendum 1. Quod actus, in quem cadit ſuſpenſio, debeat eſſe actus cujusdam Ordinis proprius aut deputatus Ordini; ſive dein poteſtas exercendi talem actum ſit juris divini, ſive eccleſiaſtici. 2. Requiritur, ut exercens ejusmodi actum eum exerceat tanquam miniſter Eccleſiæ. His præſuppoſitis dicendum, quod, cum Epiſcopatus habeatur pro Ordine diſtincto ab Ordine presbyteratus, Epiſcopus ſuſpenſus *a collatione Ordinum* juxta Fagnanum in C. *Vel non eſt compoſ.* 14. de Temp. Ordin. n. 22. non poſſit conferre Ordines, quin incurrat irregularitatem. Quod attinet ſuſpenſionem *a Pontificalibus*, multi Authores cenſent, Epiſcopum a Pontificalibus ſuſpenſum non incurrere irregularitatem, ſi in Pontificalibus celebret, licet graviſſime peccet; ſententia tamen oppoſita juxta Fagnanum l. c. n. 30. magis fundata videtur. In dubio tutiſſimum erit, ut Epiſcopus in foro interno conſcientiæ ſe gerat pro irregulari. Denique quoad ſuſpenſionem *ab ingreſſu eccleſiæ* certum eſt, Epiſcopum celebrantem in eccleſia, a cujus ingreſſu interdictus eſt, juxta Bonifacium VIII. in Cap. *Is cui.* 20. L. 5. Tit. 11. fieri irregularem. Si vero celebraret in alia eccleſia, juxta Fagnanum l. c. n. 19. non incurreret irregularitatem. *Pontas.*

CASUS. XIX. Integra provincia fuit interdicto ſubjecta, quin ſupremus Princeps vel minimum ſeſe opponeret: Epiſcopus tamen ſæpius celebravit miſſam. Fuitne irregularis?

℟. Si Epiſcopus culpa ſua non dedit cauſam interdicto, aut ſi in ſententia interdicti non eſt ſpecialiter nominatus, potuit celebrare absque ullo periculo incurrendæ irregularitatis. Innocentius III. olim hoc peculiare privilegium conceſſit Epiſcopis; ſed modo vi Cap. *Alma.* fin. Lib. 5. Tit. 11. in 6. competit ipſis de jure communi. *Pontas.* Vide *Interdictum.* Caſ. 1.

CASUS XX. Methodius Epiſcopus a Papa fuit ſuſpenſus *a collatione Beneficiorum*; eo quod indignos Beneficiis præfecerit. Hoc non obſtante unum Beneficium in ſuſpenſione contulit. Eſtne irregularis?

℟. Collatio Beneficiorum non eſt actus Ordinis, ſed meræ juriſdictionis. Sic Rex Galliæ, aliique homines laici conferunt quædam Beneficia nemine contradicente. Quod Epiſcopus etiam ſuſpenſus Beneficia conferre poſſit, patet ex Cap. *Quia diverſitatem.* 5. Lib. 3. Tit. 8. *Cum Beneficiorum collatio*, inquit Fagnanus, *nullius Ordinis actus ſit, ſed ſolius juriſdictionis, Epiſcopus a collatione Beneficiorum ſuſpenſus, ſi illa conferat, irregularitatem non incurrit.* Hinc & Methodius, quamvis illicite, & contra debitam ſummo Pontifici obedientiam ac reverentiam peccaverit, irregularitatem tamen non contraxit. *Pontas.*

CASUS XXI. Papa integram diœceſin Neutrenſem in Hungaria ſub interdicto poſuit; & tamen Epiſcopus ſolito more in Cœna Domini conſecravit ſacrum chriſma pro adminiſtratione Sacramentorum Baptiſmi & Confirmationis. An id fieri potuit; quin violaverit interdictum, & irregularitatem incurrerit.

℟. Nec interdictum violavit, nec irregularitatem incurrit; cum ipſe Baptiſmus ac Confirmatio tempore interdicti conferri poſſint. *Quoniam in Baptiſmo & Confirmatione*, inquit Bonifacius VIII. Cap. *Quoniam.* 19. Lib. 5. Tit. 11. in 6. *quæ nedum pueris, ſed & adultis propter moræ periculum exhiberi poſſunt licite tempore interdicti, chriſmatis utimur unctione, poſſe, licet terra interdicta exiſtat, chriſma die Cœnæ Domini confici, dubium non exiſtit. Pontas.*

CASUS XXII. Camillus peccatum commiſit, cui a jure annexa eſt ſuſpenſio, & non obſtante cenſura celebravit, peracta tamen prius ſincera de peccato ſuo pœnitentia. An factus eſt irregularis?

℟. Si peccato Camilli annexa eſt ſuſpenſio *per modum ſententiæ*, ſic ut exprimatur irregularitas in violantes cenſuram, prout in homicidio voluntario, & ſimonia confidentiali ac reali, haud dubie incurrit irregularitatem, quantamcunque prius egerit pœnitentiam. Si vero in jure ſolum exprimitur, quod reus illius criminis ſit ſuſpenſus, ſine addito, quod violando cenſuram fiat irregularis, non erit irregularis, quamvis graviter peccaverit celebrando ante abſolutionem a ſuſpenſione. Ita docet Fagnanus in Cap. *Quæſitum.* de cohabit. Cleric. & mulier. n. 14. Interim ſi Camilli pœnitentia fuit vera ac ſincera, utique in confeſſione

non

non neglexerit ſibi procurare abſolutionem a cenſura; & tunc omnis difficultas erit ſublata. *Pontas.*

CASUS XXIII. Cum Angli tempore belli inſulam *Rhe* occupare tentarent, cum militibus ſimul & incolæ, quos inter octo Religioſi & totidem presbyteri ſæculares erant, arma capeſsebant, ut inſulam tuerentur. Præfati Religioſi ac presbyteri & ipſi quidem cum cæteris ſclopeta ſua in hoſtes exonerarunt, neſcii tamen, utrum quemquam occiderint; ſicque hoſtem propulſarunt, trecentis circiter eorum interfectis. Quæritur, an hi Religioſi ac presbyteri, qui ſolum animo defendendi ſe, absque omni intentione quempiam occidendi, arma ſumpſerunt, ſint irregulares; aut num in dubio ſe pro irregularibus gerere debeant.

℟. Sylvius Reſol. var. V. *Irregularitas.* 3. & Fagnanus in C. *Pervenit.* de immunit. eccleſ. n. 12. §. *Alii demum.* qui citant plures alios Canoniſtas, ut Hoſtienſem, de Butrio, Goffredum, Innocentium, Joannem Andream &c. exiſtimant, præfatos Religioſos ac presbyteros non eſſe pro irregularibus habendos. Univerſim omnes, qui occidunt aggreſſores ſuos cum moderamine inculpatæ tutelæ, & qui moraliter certi ſunt, ſe alio modo non poſſe ſalvare vitam ſuam, ab irregularitate immunes ſunt, ut decidit Clemens V. Nihilominus longe tutius eſſe videtur, ſi in ejusmodi caſu ſaltem ad evitandum ſcandalum puſillorum recurratur ad Papam; licet dicere nolim, id abſolute eſſe neceſſarium. *Pontas.*

CASUS XXIV. Lucas cum videret infenſiſſimum inimicum ſuum Gregorium ſtricto gladio in ſe irruentem, & alia via vitam ſuam tueri nequiret, niſi prior aggreſſorem occideret, actu eum occidit. Cum autem prior atrocibus injuriis Gregorio inſultaſſet, ejusque vindictam prius in ſe provocaſſet, & ſic patrati a ſe homicidii cauſam dediſſet, dubitat, an non irregularitatem incurrerit. Quid tenendum?

℟. Dantur Authores, qui putant, in hoc caſu non incurri irregularitatem; quia, licet graviter Lucas peccaverit atrocibus injuriis Gregorium provocando; non tamen offenſus habuit jus ſe propria authoritate vindicandi cum occiſione alterius. Alii autem Authores oppoſitæ ſunt opinionis, quæ & re ipſa tutior & juri conformior eſſe videtur: ſecundum jus enim ille, qui dat operam rei illicitæ, maxime ſi exinde naſci poſſit occaſio homicidii, ut in propoſito caſu Lucas ſua inſultatione aggreſſionis ac homicidii anſam præbuit, irregularitatem incurrit, ſi homicidium, quamvis per accidens, exinde ſequatur. Sic ſentit & D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 8. C. *Pontas.*

CASUS XXV. Gualterus ob commiſſum a ſe enorme crimen ad mortem condemnatus, cum eum aggrederentur quinque miniſtri iuſtitiæ, ut ſive mortuum ſive vivum judici ſiſterent, ad defenſionem ſuæ vitæ uni eorum amputavit manum, duosque alios vulneravit, & hac ratione ſalvus evaſit. Eſtne irregularis ob hanc mutilationem ac vulnerationem?

℟. Quamvis liceat mutilare aut etiam occidere *injuſtum* aggreſſorem, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ſi alio modo mors evitari haud poſſit, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. C. Non licet tamen ſic ſe defendere contra aggreſſorem *juſtum*, ut erant prædicti miniſtri juſtitiæ, qui authoritate judicis inſectabantur reum. Haud dubie igitur Gualterus irregularitatem incurrit. *Pontas.*

CASUS XXVI. Mathurinus & Bernardus Religioſi, cum viderent furem aſportare vaſa argentea ex ſacriſtia eccleſiæ ſuæ, nec eum poſſent inſequi, ſclopeto illum traiiciunt. Suntne irregulares?

℟. Certum eſt, eos irregularitatem incurriſſe: non enim licet committere homicidium, quin incurratur irregularitas, ut declaravit Alexander III. in Cap. *Suſcepimus.* 10. Lib. 5. Tit. 12. Idem dicendum juxta Gloſſam in Clement. *Si furioſus.* unic. Lib. 5. Tit. 4. ſi quis alium occidat tuendi honoris cauſa; licet honor ſit bonum altioris ordinis, & magis æſtimandum, quam quodcumque bonum temporale. *Pontas.*

NOTA: Dubitari fors poſſet de contracta irregularitate, ſi animo ſiſtendi furem vulnus non lethale pedibus attuliſſent; licet præter intentionem mors ſecuta fuiſſet.

CASUS XXVII. Salomon præcepit famulo ſuo, ut Geneboldum, quem oderat, egregie baculi ictibus excipiat; caveret tamen, ne quidquam in ejus vitam committat. Famulus mandatum heri ſui executus Geneboldum tam atrociter excepit ictibus baculi, ut intra viginti dies obierit. An Salomon irregularitatem incurrit?

℟. Juxta omnium Canoniſtarum ſententiam Salomon irregularitatem incurrit: cum enim actio, quam famulo demandaverat, jam eſſet de ſe illicita, ſaltem indirecte cauſa mortis Geneboldi extitit. *Is, qui mandat aliquem verberari*, inquit Bonifacius VIII. in Cap. *Is qui.* 3. Lib. 5. Tit. 4. in 6. *licet expreſſe inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat; cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire poſſe, debuerit cogitare. Pontas.*

No-

Nota. Ex hoc confirmatur, in homicido caſuali ad incurrendam irregularitatem non requiri peccatum mortale, aut actionem regulariter inductivam mortis.

CASUS XXVIII. Urſinus videns aggreſſorem ſuum fortiorem ſe, gladium ſuum porrigit comiti ſuo, a quo & aggreſſor occiſus eſt. An Urſinus eſt irregularis?

℟. Cum Urſinus licite potuerit tueri vitam ſuam, etſi a ſemetipſo occidendus foret injuſtus aggreſſor, cujus violentas manus alia ratione effugere non poterat; idem præſtare potuit per alium, tradendo illi gladium ea ſolummodo intentione, ut ſervet vitam ſuam: jure enim naturali licita eſt defenſio ſui, ſive per ſemet ipſum, ſive per alium. Igitur irregularis non eſt. *Pontas.*

CASUS XXIX. Uranius Andegavenſis in gymnaſio Flexienſi literis vacans cum percepiſſet, quempiam ex ſu's popularibus æque ſtudioſum a Britanno quodam indigne fuiſſe habitum, omnes ſuos populares ad vindictam excitat, effecitque, ut actu aggreſſi fuerint Britannos, qui & ipſi convenerant, ut ſe contra illos defenderent. Inito igitur certamine Uranius gladium ſuum cuidam ſuorum ſociorum illum petenti commodat; ipſe vero duos in manibus tenens lapides, ne ignavus videretur, ſocios ſuos ſequitur, & ad pugnam excitat; quin tamen intenderit dictis lapidibus quempiam lædere. Interea ille, cui Uranius gladium commodaverat, occidit unum ex Britannis. Num Uranius irregularitatem incurrit ex homicidii voluntarii vel caſualis delicto?

℟. Negari haud poteſt, id omne, quod Uranius & ipſe fecerat, & alios excitaverat, ut facerent, fuiſſe illicitum. Hinc irregularitatem incurrit, quæcumque demum fuerit ipſius intentio. Ita Sylveſter V. *Homicidium.* 1. q. 13. cum pluribus aliis. *Quando aliquis non percutit*, inquit Sylvius Reſol. var. V. *Irregularitas.* 8. concl. 3. in fine. *ſed ex actione alterius ſequitur mors, ipſo adjuvante, comitando, aſſiſtendo, &c. irregularitatem incurrit, ut expreſſis terminis tradit Suarez. Titius autem, etſi non percuſſerit, adjuvit tamen, occiſorem, eum comitando & ei aſſiſtendo. Dum enim plures ſimul concurrunt, ipſo facto ſe juvant, eos, qui invaduntur, debilitando, eum, qui percutit, ſua præſentia corroborando. Pontas.*

CASUS XXX. Geneſius ſubdiaconus advertit in domo ſua fures & metuens, ne ab iis ſpolietur & occidatur, inclamat opem amicorum ſuorum; ac ocyus tres eorum accurentes unum ex furibus interimunt. Eſtne Geneſius irregularis?

℟.

℞. Non poteſt dici irregularis ex eo præciſe, quod advocarit amicos; quamvis furem occiderint. Ratio eſt, quia intentio illius, qui contra fures opem inclamat, non eſt, ut occidantur, ſed ut metu in fugam acti dimitterent prædam; vel ut contra eorum violentiam tueatur ſuam perſonam, quod licet æque Clericis ac laicis, ut docet Panormitanus in Cap. *Significaſti.* de homicid. Si vero Geneſius convocando amicos intentionem habuiſſet per occiſionem furis recuperandi bona ſua, juxta Navarrum Manual. c. 27. n. 236. ſecuta morte irregularitatem incurriſſet, ſaltem ex defectu lenitatis. *Pontas.*

CASUS XXXI. Agatho videns patrem ſuum a latrone invadi mortem minitante accurrit, & latronem prior interimit, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, non habens intentionem eum occidendi. Fitne irregularis?

℞. Videtur incurriſſe irregularitatem ex defectu lenitatis, ut putat Navarrus Manual. c. 27. n. 113. Defendendo vitam patris ſui perfecit Agatho opus bonum; & hinc non poteſt eſſe irregularis ex delicto. Eſt autem irregularis ex defectu lenitatis, ut judex, qui condemnavit reum ad mortem, & miniſter juſtitiæ, qui ſententiam executus eſt. Ratio eſt; quia vi juris antiqui, quod vigebat ante Clementem V., omne homicidium indiſcriminatim, etiam in inevitabili propriam vitam tuendi neceſſitate commiſſum ſemper induxerat irregularitatem: Clemens autem V. antiquo juri non derogavit in ſua conſtitutione de homicidio, niſi in hoc unico caſu, ubi propria vita alia ratione ſalvari non poteſt, niſi per occiſionem injuſti aggreſſoris. Cum ergo Agatho latronem occiderit non ad ſalvandam propriam, ſed alienam vitam, ſcilicet patris ſui, dicendum eſt, eum incurriſſe irregularitatem ex defectu lenitatis, ſicut eam incurriſſet ante conſtitutionem Clementis V. *Pontas.*

CASUS XXXII. Palamedes videns patrem ſuum Nauplium valde irritatum contra Lyſimachum inimicum ſuum, a quo atroci injuria affectus fuerat, conſulit patri, ut perimat Lyſimachum. Paulo poſt pater in comitatu filii obvium habet inimicum ſuum, & ſtricto gladio eum aggreditur. Verum cum Lyſimachus eſſet fortior & exercitatior, adeo premit Nauplium, ut non evaſiſſet mortem, niſi Palamedes avertiſſet ictum; quo facto Nauplius Lyſimachum confodit. An Palamedes irregularis eſt ob datum conſilium, & præſtitum patri auxilium?

℞. Palamedes eſt irregularis ex duplici capite; quia videlicet conſilio & facto efficaciter cooperatus eſt ad homicidium,

cidium, cum tamen alterutrum ad incurrendam irregularitatem ſuffeciſſet. In antiquo canone *Si quis.* 8. diſt. 50. Concilii Martini Papæ dicitur: *Si homicidii aut facto aut præcepto aut conſilio aut defenſione poſt Baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſubreptionem ad Clericatum venerit, deiiciatur & in fine vitæ ſuæ laicam communionem tantummodo recipiat. Pontas.*

Nota. Nec canon Concilii particularis incogniti, nec decretum Gratiani habet vim legis.

CASUS XXXIII. Andronicus homo violentus ac præceps in iram capitali odio proſequitur Germanum, ac non ſolum famam illius appetit, ſed & vultum ipſius deturpare parat, ut aliis jam deturpaverat, uni eruendo oculum, alteri reſecando nares &c. Germanus igitur, cum ſibi perſuaſum haberet, ſe evitare haud poſſe ejusmodi mutilationem, ſtricto Andronicum gladio aggreditur, ac interimit.

℟. Haud dubium eſt, Germanum incurriſſe irregularitatem aut ex delicto homicidii, aut ſaltem ex defectu lenitatis. In dubio vero, *cum* juxta Clementem III. in Cap. *Ad audientiam.* 12. Lib. 5. Tit. 12. *ſemitam debeamus eligere tutiorem*, Germanus pro irregulari habendus eſt. Meminiſſe hic oportet eorum, quæ ſupra dicta ſunt in reſponſione ad Caſ. 31. quod ſcilicet ſecundum jus antiquum, quod præceſſerat conſtitutionem Clementis V., irregularitas contraheretur ex defectu lenitatis etiam tunc, dum manifeſta urgebat neceſſitas propriam vitam ſalvandi per mortem aggreſſoris: & hoc ſolo caſu jam excepto, jus antiquum quoad omnes alios homicidii eventus viget adhuc. *Pontas.*

Nota. Regula de eligendo tutiori locum ſane habet in materia Religionis, & circa leges naturales ac divinas. Utrum autem eadem obligatio detur circa leges mere humanas pœnales, convincenter probatum non eſt.

CASUS XXXIV. Erneſtus ex conſilio Euphronii occidit hoſtem Reipublicæ, cujus caput Princeps haud ita pridem devoverat promiſſo occiſori pretio. Item Juſtinus author erat Manfredo, ut Marcellum vi eiiceret domo ſua, utpote proditorem aut occultum furem; ex qua ejectione ſecutum eſt homicidium. An Euphronius & Juſtinus ſunt irregulares?

℟. Euphronius & Juſtinus ambo ſunt irregulares juxta Panormitanum in C. *Ad audientiam.* 12. de Homicid. n. 6. Prior; quia ipſius conſilium, quamvis ſuper re juſta datum, dire-

directe tendebat in mortem proſcripti : alter vero ; quia conſuluit rem injuſtam , & prævidere potuit, ex ejectione violenta ſequi poſſe homicidium. *Pontas.*

CASUS XXXV. Joannes conſuluit Petro , ut occidat Jacobum inimicum ſuum , quem & invadit ; præventus autem ab eo ipſemet Petrus occiditur. An Joannes incurrit irregularitatem ob datum conſilium occiſionis , qua non Petri, ſed mortem Jacobi intendebat ?

℟. Juxta Panormitanum loco citato in reſponſione ad caſum præcedentem n. 7. ob datum conſilium irregularitatem incurrit. *Pontas.*

Nota. Conſilium de ſe inefficax non facit certo irregularem ; & in pœnalibus , niſi lex aut ſententia certa ſit , nemo tenetur ſe ipſum condemnare. Neque Panormitanus ſententiam reddit certam : ejusmodi enim Authores poſſunt dirigere tribunalia pro foro externo , non obligare conſcientias pro foro interno.

CASUS XXXVI. Vindomius & quatuor ipſius amici inopinatæ rixæ impliciti ſunt cum tribus perſonis , quarum unam Vindomius lethaliter vulneravit , ita ut paulo poſt ex vulnere obierit. Num ſolus Vindomius , aut etiam quatuor ipſius amici irregularitatem incurrerunt ?

℟. Licet non una ſit hac ſuper re Authorum ſententia ; eorum tamen opinio , qui dicunt illos omnes eſſe irregulares , etſi rixa non fuerit præmeditata , & inſuper ſciatur occiſor , tutior eſt in conſcientia ac conformior canonibus. Cap. *Is qui.* fin. Lib 5. Tit. 4. in 6. & Cap. *Tua nos.* 19 Lib. 5. Tit. 12. Confirmari poteſt hæc opinio ex eo etiam ; quia 1. omnes vacabant rei illicitæ conjunctæ cum manifeſto periculo homicidii , id quod prævideri potuiſſet ac debuiſſet. 2. Quia omnes cenſebantur agere actione una communi. 3. Quia moraliter impoſſibile eſt , ut ſocii nil contribuerint ad hoc homicidium , vel ſua præſentia inſpirando majorem audaciam authori necis vel incutiendo terrorem adverſario , provocando ad majorem temeritatem aut iram ſuis inſultibus. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Duodecim aut quindecim perſonæ partim eccleſiaſticæ partim laicæ involutæ ſunt rixis cum quinque aut ſex militibus , quorum unus occiſus eſt ; quin tamen ſciatur author homicidii. Suntne omnes quindecim irregulares ?

℟. Omnes irregulares cenſendi ſunt. Ita S. Thomas quodlib. 4. in argum. *Sed contra.* Fundatur hæc reſponſio in deciſione Clementis III. contra presbyterum, qui caſtigatu-

rus

rus unum ex ſuis domeſticis, eum cingulo ſic percuſſit, ut cultro ex eo pendente vulneratus, & ſanato licet vulnere recidivus denuo obierit. *Quia vero*, ait Papa, *utrum occaſione vulneris deceſſiſſet, dubium habetur, tuæ diſcretioni duximus reſpondendum, quod, cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere presbytero memorato, ut in ſacris Ordinibus non miniſtret.* Ex verbis illis: *cum in dubiis* &c. ſatis patet, in hujusmodi caſibus longe ſecurius eſſe, ſi quis ſtante dubio ſe habeat pro irregulari. *Pontas.*

Nota. S. Thomas argumentum, *ſed contra*, nunquam pro ſua animi ſententia vendit, niſi illud in ſua coucluſione approbet.

CASUS XXXVIII. Athenodorus presbyter ſuborta lite percuſſit Ludovicum baculo in capite ſine effuſione ſanguinis. Ludovicus ſe leviter tantum vulneratum exiſtimans, neglexit vulnus; poſt octiduum autem cœpit ſentire dolorem, & accedente febre paucos intra dies obiit. Duo chirurgi artis ſuæ optime gnari, ad inſpiciendum corpus a judice conſtituti teſtabantur, percuſſionem non fuiſſe periculoſam, nec vulnus lethale, ſicque mortem Ludovici non ex percuſſione, ſed ex neglectu venæ ſectionis aut alterius contra febrem pharmaci, & ex nimio laboris ordinarii ac quotidiani ſtudio eveniſſe. An dici poteſt, Athenodorum irregularitatem incurriſſe?

℞. Sylvius in ſimili caſu quondam conſultus cenſuit, ejusmodi percuſſorem incurriſſe irregularitatem. Ratio ipſius erat Reſol. var. V. *Irregularitas.* 7. quia mortis hujus duæ cauſæ partiales aſſignari poſſunt, percuſſio ſcilicet, & negligentia vulnerati aut eorum, qui curam ipſius gerebant: prima cauſa eſt culpabilis ex parte percutientis illicite & absque omni jure. Hinc, licet vulnus de ſe non fuerit lethale aut periculoſum; ſatis tamen eſt, quod vulnerato febrem, & febris mortem attulerit. Ad hæc, ſi juxta Clementem III. presbyter, de quo ſermo erat in caſu præcedente, irregularis cenſendus eſt, quanto magis Athenodorus, cujus culpa gravior eſt, quam presbyteri. *Pontas.*

Nota. Hæc Sylvii reſponſio poterit habere locum in foro externo, non pro interno. Imo nec pro foro externo admittetur in provinciis, in quibus rigor primævus irregularitatum non nihil relaxatus, & per conſuetudinem mitior quoad hoc diſciplina introducta eſt.

CASUS XXXIX. Fauſtinus videns Petrum fratrem ſuum cum Firmino fortiore ſe duello congredi, accurrit opem laturus fratri, & ictu gladii vulnerat Firminum in humero. Firminus ſe curæ chirurgi tradit; aſt poſt quindecim dies angi-

angina corripitur, & intra viginti quatuor horas obit. Medicus & chirurgus teſtantur, nec vulnus Firmino inflictum lethale fuiſſe, nec ex eo anginam proveniſſe, qua Firminus ſæpius jam correptus fuerat. Accedit, quod chirurgus parum ſollicitus fuerit de curando vulnere; eoquod omne abeſſe periculum exiſtimarit. Eſtne Fauſtinus irregularis?

℟. Cum Fauſtinus non fuerit cauſa mortis Firmini, non poteſt haberi pro irregulari; quia ut advertit Sylvius, presbyter, de quo in duobus præcedentibus caſibus dictum eſt, a Clemente III. fuit declaratus irregularis ſolum ex ſuppoſitione, quod vulneratus ab eo vel obierit ex vulnere, vel ex alia ægritudine a vulnere proveniente. Conſequenter, cum infirmitas Firmini, quam mors conſecuta eſt, non ex vulnere contracta fuerit, ſed ex alia cauſa, ex qua jam ante inflictum vulnus ſæpius provenerat, vulnerans immunis eſt ab irregularitate, ut idem Papa expreſſis verbis delarat. *Pontas.*

CASUS XL. Pelagius aggreſſus eſt Baſilium, eumque gladio leviter vulneravit. Verum, licet vulnus lethale non eſſet; ex imperitia tamen aut negligentia chirurgi factum eſt, ut Baſilius elapſis quindecim diebus moreretur. Num Pelagius irregularitatem incurrit?

℟. Quorumdam opinio eſt, Pelagium non incurriſſe irregularitatem; alii vero cenſent, eum eſſe irregularem, & horum opinio priori præferenda eſt. Ratio eſt; quia Pelagius vere inflixit vulnus, & *qui eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.* Ad hæc declaravit Innocentius III. presbyterum irregularem, qui mulieri ulcus ſecaverat, quæ dein innopinato accedente caſu mortua eſt, ſolum ex ea ratione, quia hoc fecit *officium alienum uſurpando, quod ſibi minime congruebat.* Si ergo presbyter ob hanc ſolam culpam ex homicidio mere caſuali incurrit irregularitatem, multo magis eandem incurrit Pelagius, qui morti alienæ culpabilem occaſionem præbuit. Univerſim actione illicita incurri irregularitatem, ſi exinde quamvis præter intentionem ſequatur mors, patet ex variis decretalibus, velut ex cap. *Presbyterum.* 7. Lib. 5. Tit. 12. Cap. *De cætero.* 11. ibid. Cap. *Ad audientiam.* 12. ibid. &c. *Pontas.*

• Nota. Hæc ad præcavenda ſcandala maxime pro foro externo quadrant, in quo leges indeterminate extenduntur in pœnam pro aliorum cautione.

CASUS XLI. Joannes, Jacobus, Ægidius & Gilbertus milites enſe & ſclopeto armati quosvis obvios expilare inter ſe conſtituunt. Gilbertus ſola raptorum parte contentus neminem

minem occidere intendebat. Aſt cum duos ſibi obvios haberent nobiles, eosque aggrederentur, nobiles ad defenſionem ſe parant; unus vero eorum a Joanne occiſus eſt. An Gilbertus non obſtante intentione neminem occidendi irregularis eſt?

℟. Non poteſt excuſari ab irregularitate, cum efficaciter cooperatus ſit ad mortem dicti nobilis a Joanne occiſi; id quod manifeſte eruitur ex Cap. *Sicut.* 6. §. 4. & 7. Lib. 5. Tit. 12. Innocentius III. in Cap. *Dilectus.* 13. ibid. tantum eum ab irregularitate eximit, qui occaſionem quidem dedit homicidio mere caſuali, ſed nec voluntate nec actu cooperatus eſt ad homicidium, nec dedit operam rei illicitæ; quod certe de Gilberto dici non poteſt. Advertit hic Sylvius, quod, cum hoc homicidium intuitu Gilberti non ſit eo modo voluntarium ac in eo ſenſu, quo id ſumit Concilium Tridentinum, irregularitas ex eo proveniens non ſit reſervata Papæ, ſed poſſit in ea diſpenſare Epiſcopus, modo ſit occulta, & necdum ad forum contentioſum deducta. *Pontas.*

Nota. Proteſtatio, interna mentalis Gilberti contraria eſt facto ſociali.

CASUS XLII. Etherius concepto in Titium odio; eo quod per illum famam ac bona ſua amiſiſſet, mandat Sempronio, ut oblata opportuna occaſione Titium occidat. Poſt aliquod vero tempus dati mandati pœnitens hortatur Sempronium, ne mali quidpiam in Titium attentet; aut mandatum quidem expreſſe non revocat, cum Titio tamen in præſentia Sempronii pacem init ac concordiam. Sempronius vero nihilominus poſt octo dies occidit Titium. An Etherius eſt irregularis?

℟. Sive datum mandatum revocaverit, ſive præſente Sempronio cum Titio reconciliationem inierit, mors Titii ſoli malitiæ Sempronii debet adſcribi, nullaque ex parte imputari Etherio, qui conſequenter non eſt irregularis. *Qui mandaſſet fieri homicidium pro ſe*, inquit Innocentius IV. in C. *Ad audientiam.* 12. de homicid. pag. 610. n 3. *videretur ſufficere, ſi tantum contrarium mandaret, vel ſi pacem iniret cum occidendo, vel parentelam vel aliam amicitiam cum eo contraheret ſciente eo, cui mandatum erat de occidendo; quia, quando mandato alterius, & pro alio tantum fiabat homicidium, videtur, quod contrario mandato, vel contraria voluntate oſtenſa debet ab homicidio ceſſare. Pontas.*

CASUS XLIII. Aventinus ſubdiaconus cognita Ebrulphi erga Cyrillum ſe ulciſcendi cupidine conſuluit illi ac perſua-

det, ut interficiat Cyrillum. Verum poſt aliquot dies dati conſilii pœnitens revocat illud, & rogat Ebrulphum, ut ſpreto conſilio nil mali inferat Cyrillo. Hoc non obſtante Ebrulphus occidit Cyrillum. An Aventinus eſt irregularis?

℟. Amplum diſcrimen eſt inter conſilium & mandatum aut commiſſionem: conſilium enim longe tenacius inhæret animo quam mandatum; nec ſufficit revocatio conſilii ad hoc, ut conſulens eximatur ab irregularitate, niſi certus ſit, per ſolam revocationem impediendum fore homicidium. Si id certum non ſit, & conſulens velit effugere irregularitatem, tenetur juxta Innocentium IV. in Cap. *Ad audientiam.* 12. de homicid. n. 2. & 3. vel recurrere ad authoritatem ſuperiorem, vel eum, de cujus morte agitur, monere de inſtante periculo, ut illud evitare poſſit; niſi certo conſtet, eum, cui conſilium homicidii datum eſt, penitus renunciaſſe conſilio. *Pontas.*

Nota. Irregularitas Aventini fors locum habere poterit in foro externo. Pro foro interno rigor hic ſane videtur nimius.

CASUS XLIV. Coſmas & Ferrandus ſubdiaconi animum relaxaturi in horto ludebant jaculatione ſagittarum. Aſt Coſmas præter omnem intentionem fallente arcu interficit Ferrandum. Eſtne Coſmas irregularis?

℟. Si quis dat operam rei illicitæ, ex qua ſequitur homicidium, reus eſt homicidii, & incurrit irregularitatem. Hinc Coſmas occupationi a ſacris Canonibus prohibitæ operam navans ob homicidium exinde ſecutum irregularitatem incurrit, ut eruitur ex Cap. *Continebatur.* 8. Lib. 5. Tit. 12. Nec poteſt Coſmas exercere actum ſui Ordinis abſque prævia diſpenſatione, quam vi decreti Concilii Tridentini Seſſ. 14. de reform. c. 6. obtinere poterit ab Epiſcopo, ſi factum ſit occultum. *Liceat Epiſcopis*, ait Concilium, *in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quo oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum) diſpenſare. Pontas.*

Nota. Nec in foro externo videtur Coſmas incurrere irregularitatem; cum his temporibus non ſit illicitum Clerico animum relaxare in horto jaculatione dudum exoleta ſagittarum.

CASUS XLV. Conſtantinus in phreneſi aut ebrietate occidit Tertullum. Eſtne irregularis?

℟.

℞. Juxta Clement. *Si furioſus.* unic. Lib. 5. Tit 4. homicidium in phreneſi commiſſum non inducit irregularitatem, inducit autem commiſſum in ebrietate. Ratio eſt; quia voluntarie ſe inebrians ponit cauſam culpabilem homicidii, & qui vult cauſam, vult etiam effectum; maxime ſi quis ab experientia ſciat, ex nimietate potus facile ſecuturos ejusmodi finiſtros effectus. *Pontas.*

CASUS XLVI. Hyparchus puer ſeptem aut octo annorum tenſum ſcolpetum exonerando occidit Julium. Eſtne irregularis, ita ut cum tempore non poſſit recipere Ordines?

℞. Si puer hic needum habuit uſum rationis, non eſt irregularis; cum commiſſum ab eo homicidium nullatenus ſit voluntarium, nec in ſua cauſa nec in effectu ſuo. Si vero uſum rationis jam habuit, ac peccati mortalis capax fuit, ex hoc homicidio irregularis cenſendus eſt. Quod ſi dubium ſit, an Hyparchus in ea ætate uſum rationis habuerit ſufficientem ad committendum peccatum mortale, juxta Cap. *Ad audientiam.* 12. Lib. 5. Tit. 12. probabiliter pro irregulari habendus erit. *Pontas.*

Vide Caſ. 153.

CASUS XLVII. Agilius venando in ſilva occidit hominem dormientem, ratus eſſe feram. Alia vice cum ex arbore cæderet ramum, percuſſit tranſeuntem. Tertio denique exercitio jaculationis ad metam incumbens trajecit hominem, quem non viderat. An in unoquoque horum trium caſuum irregularitatem incurrit?

℞. Obſervandum 1. Homicidium caſuale vocari illud, quod committitur absque ulla voluntate quempiam occidendi ſive per ſe, ut in primo caſu, ſive per alium; ut ſi quis alteri mandet, ut infantem caſtiget aut quemquam percutiat, mandatarius vero mandatum exequendo modum excedat & occidat. 2. Dari homicidium quandoque caſuale ſimpliciter & abſolute, ita ut nec in ſua cauſa nec in effectu ſit voluntarium. 3. Homicidium non nunquam eſſe caſuale ſolum *ſecundum quid*, id eſt, caſuale quidem in ſuo effectu, indirecte tamen voluntarium in ſua cauſa; ut ſi ebrius quemquam occidat. His ſuppoſitis non poteſt dici, hominem egiſſe male ac culpabiliter, ſi prorſus ipſius voluntas non fuit id agendi; hinc non poteſt dici homicida, ac proinde nec irregularis, qui alium occidit prorſus ignorans ac caſu pure fortuito. Excipiendus eſt tamen caſus, quo quis operam dans rei illicitæ occidit alium, aut debitam non adhibet diligentiam ad præcavendum homicidium: in hoc enim caſu

homicidium eſt aliquo modo voluntarium, ſcilicet in ſua cauſa, & juxta D. Thomam in 4. diſt. 25. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. irregularitatem inducit. Ex his principiis ſequitur, quod Agilius, ſi ſit Clericus, cui prohibetur tractatio armorum, irregularitatem incurrerit occidendo hominem, quem putaverat eſſe feram. Idem dicendum quoad tertium caſum, dum ſcilicet exercitio jaculationis vacans occidit quemquam, & quidem ex eadem ratione, ut Toletus affirmat in Inſtruct. Sacerd. L. 1. c. 81. n. 4. Quoad caſum ſecundum ex iisdem principiis eruitur, Agilium, qui ramo ex arbore cæſo occidit tranſeuntem, eſſe irregularem, ſi id ex ipſius culpa aut negligentia factum eſt; ut ſi ramum cecidit in via aut loco publico, quo plures tranſire ſolent, & illos de periculo non monuit. Sic ſtatuit Nicolaus Papa Can. *Hi qui.* 49. diſt. 50. *Pontas.*

Nota. Ne quidem in foro externo habendus eſt pro irregulari indulgens actioni de ſe indifferenti, ex qua inter millionem caſuum ſimilium vix ſemel ſequitur eventus ſiniſter: eventus enim mere caſuales prorſus extraordinarios nemo tenetur prævidere aut præcavere.

CASUS XLVIII. Radulphus presbyter ac Domini præpotentis eleemoſynarius juſſu heri ſui ordinat venationem, convocat venatores, ac cuique ſtationem ſuam deſignat; ipſe vero veſte indutus laica cum cane venatico, attamen ſine armis, ingreditur medium ſilvæ, ac conſpecta fera mox dimittit canem, ac ingenti clamore monet ſclopetarios, ut parati ſint ad trajiciendam feram. Aſt quidam eorum trajecturus feram interficit hominem tramite ſilveſtri incedentem. An Radulphus per hoc caſuale homicidium irregularitatem incurrit?

℟. Quia Radulphus vacavit rei per ſacros Canones Clericis interdictæ, juxta S. Beuve Tom. 2. caſ. 66. irregularitatem incurrit; cum ex ipſa re illicita, cui Radulphus operam dabat, ſecutum ſit homicidium, licet caſu fortuito. *Pontas.*

CASUS XLIX. Martialis presbyter occupatus in ſtructura eccleſiæ advocat quemdam hominem, ut ſe juvet in levanda trabe. Aſt homo ille cecidit cum trabe, & mox obiit. Eſtne Martialis irregularis?

℟. Non eſt irregularis; quia vacavit rei licitæ, & mors dicti hominis exinde ſequens Martiali imputari non poteſt, cum ex ipſius culpa non ſit ſecuta. *Attendentes igitur,* inquit Gregorius IX. Cap. *Quidam.* fin. Lib. 5. Tit. 12. *quod ſacerdos ipſe dabat operam licitæ rei, ſtuduit etiam quam debait*

buit diligentiam adhibere, circumſtantibus, quibus periculum imminebat, tempeſtive præmonitis, inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod ob hanc cauſam non debet quoad officium vel Beneficium impediri. Pontas.

CASUS L. Sergius viduus aſpirans ad ſacros Ordines meminit, ſe olim cum uxore ſua infantulum in lectum admiſiſſe, eumque, cum tenellus eſſet, ea nocte ſuffocatum fuiſſe. Dubitat, an non ſit irregularis.

℟. Certum eſt, parentes, qui recens natos infantes ſecum in lectum ſumentes eos ex neglectu præcautionis opprimunt ac ſuffocant, coram Deo reos eſſe homicidii. *Si ille*, inquit Stephanus V. in Can. *Conſuluiſti.* 20. cauſ. 2. q. 5. *qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida eſt; quanto magis, qui unius ſaltem diei puerulum peremerit, homicidam ſe eſſe excuſare nequibit?* Ex quo ſequitur, Sergium eſſe irregularem, & proin in hoc ſtatu non poſſe recipere Ordines. *Pontas.*

Nota. Advertit Cabaſſutius, quod, ſi culpa, ex qua homicidium caſuale ſecutum eſt, foret tantum venialis, nulla exinde contrahatur irregularitas. *Levis autem culpa*, inquit Jur. Can. Theor. & prax, L. 5. c. 20. 10. *ſeu venialis negligentia non ſufficit: nam irregularitas ex delicto præſupponit mortale peccatum. Idque ulterius ex hoc probatur; quia decernitur in Cap. Quæſitum. 7. Lib. 5. Tit. 38. parentes, qui noctu inter dormiendum infantem oppreſſerunt, non eſſe irregulares, quamvis id aliqua eorum incuria acciderit; niſi ea negligentia fuerit ſtudioſa.*

CASUS LI. Gennadius presbyter notabili furto læſus ab Ariſtarcho famulo ſuo rem detulit ad judicem, qui facta inquiſitione reum damnavit ad mortem. An Gennadius irregularitatem incurrit? An eandem incurrit Syndicus Cleri diœceſani, qui in tribunali contra Ariſtarchum cauſam egit?

℟. Vi conſtitutionis Bonifacii VIII. Cap. *Prælatis.* 2. Lib. 5. Tit. 4, in 6. Prælati & Clerici querelam ad ſæcularem judicem deponentes de iis perſonis, a quibus gravem injuriam aut notabile damnum perpeſſi ſunt, ac eorum correctionem aut reparationem damni poſtulantes non fiunt irregulares; dummodo proteſtentur, ſe non agere ad vindictam aut pœnam ſanguinis, multo minus mortis. Idem dicendum de Syndico Cleri diœceſani. *Pontas.*

CASUS LII. Alanus presbyter ſpoliatus a Nizerio, homine ob ſua crimina publice infami, querelam detulit ad judicem cum proteſtatione, quod non poſtularet reum ad pœnam afflictivam, multo minus ad effuſionem ſanguinis. Verum ea proteſtatio ab Alano ſolum pro forma facta eſt in foro externo: intus enim in animo cupiebat, ut Nizerius

rius tanquam peſtis reipublicæ morte plectatur; & hunc in finem procuravit judici neceſſarias ad mortis ſententiam probationes. Eſtne Alanus irregularis?

℟. Juxta Toletum Inſtr. Saced. L. 1. c. 86. n. 5. hæc proteſtatio, cum non ſit ſincera, nec veritati ac menti Eccleſiæ conformis, non eximit Alanum ab irregularitate: proteſtatio enim a lege requiſita abſolute ſupponit intentionem expreſſam, ſinceram ac veram non quærendi vindictam per mortem ac mutilationem rei. *Pontas.*

Nota. Intentio ſolum interna non facit irregularem, ſed ſuggeſtio probationum pro recuperandis ſuis haud neceſſaria.

CASUS LIII. Onuphrius presbyter voluntarie procuravit abortum ad tuendum honorem ſororis ſuæ. Eſtne irregularis?

℟. Si fœtus jam fuit animatus, Onuphrius incurrit irregularitatem; ſi vero necdum fuit animatus, non incurrit, licet graviſſime peccaverit. *Si nondum erat vivificatus conceptus*, ait Innocentius III. in Cap. *Sicut.* 20. Lib. 5. Tit. 12. *miniſtrare poterit*; *alioquin debet ab altaris officio abſtinere.* Notandum hic, quod Sixtus V. omnes indiſcriminatim irregulares declaraverit, qui procurant abortum ac fœtum expellunt, ſive fuerit animatus, ſive non. Verum Gregorius XIV. denuo priorem hac in re diſciplinam reduxit, & irregularitatem ſtatuit ſolum pro caſu, quo fœtus fuerit animatus. Si dubium eſt, utrum fœtus ſit animatus, nec ne, aut utrum ex cauſa poſita, v. g. percuſſione, aut ſumptione medicinæ abortus ſecutus ſit, ponens ejusmodi cauſam juxta S. Antoninum debet ſe habere pro irregulari. *Pontas.*

CASUS LIV. Nicephorus commiſit graviſſimum peccatum, ita ut dubitet, an eidem non ſit annexa irregularitas; & perſeverat hoc dubium, licet diligenter in rei veritatem inquiſierit. An ſe pro irregulari gerere debet?

℟. In ejusmodi dubio ſequentia præſupponenda ſunt. 1. In dubio juris poſitivi humani non datur obligatio, ut ſe quis coram Deo irregularem credat, aut a functionibus clericalibus abſtineat. 2. Si quis debitam in inquirenda veritate diligentiam adhibuit, & tamen in rebus juris poſitivi humani dubium deponere nequit, cenſendus eſt laborare ignorantia invincibili. 3. Irregularitas nunquam incurritur, niſi in caſibus a jure expreſſis, aut ſaltem clare ac ſufficienter indicatis. Ex his principiis fundatis in conſtitutione Bonifacii VIII. in Cap. *Is qui.* 18. Lib. 5. Tit. 11. in 6. ſequitur, Nicephorum non habendum eſſe pro irregulari, nec eum obli-

obligari, ut ſe pro tali gerat in foro externo. Juxta Cabaſsutium Jur. Can. Th. & pr. L. 5. c. 20. n. 14. idem quoque dicendum de dubio facti, ſolo excepto caſu dubii homicidii. *Pontas.*

CASUS LV. Leontius reſtiarius a pluribus jam annis carnifici ſuppeditat funes ad ſtrangulandos eos, qui ad ſuſpendium damnati ſunt. Et Henricus Faber lignarius ad eundem uſum conficit patibulum, ſcalas & alia ad patibulum pertinentia. Suntne ambo irregulares, eo quod ſic cooperentur ad occiſionem reorum?

℞. Videtur, ambos eſſe irregulares ex defectu lenitatis, ſi conficiunt ac vendunt ejusmodi inſtrumenta ſupplicii ex propoſito ac determinate in eum finem, ut ſerviant ad occiſionem reorum, quod caſus videtur innuere. Ita ſentit Navarrus Manual. c. 27. n. 217. Si vero conficiunt ac vendunt hæc opera artis ſuæ tanquam res de ſe indifferentes ad plures uſus, non ſolum carnifici, ſed indiſcriminatim omnibus, juxta S. Antoninum 3. part. Summ. Theol. Tit.28. c. 2. §. 5. non fiunt irregulares. Sic ipſa patibula quandoque erigun'ur pro ſuſpendio reorum in effigie, ad terrorem omnium, dum timetur ſeditio, rebellio aut prava conſpiratio, aut in ſignum jurisdictionis, vel denique ad deſignandam viam publicam de loco in locum. *Pontas.*

CASUS LVI. Juvenalis judex in cauſis criminalibus jam plures perſonas ex præſcripto legum ad extremum ſupplicium condemnavit, & ſententiæ executionem imperavit. Eſtne irregularis?

℞. Contraxit irregularitatem ex defectu lenitatis; & ideo inhabilis eſt ad recipiendos Ordines, niſi legitimam ſibi procuret diſpenſationem. Ita S.Thomas in 4. diſt. 25. q. 2. art.1. quæſtiunc. 2. ad 2. Idem ſentiunt univerſim omnes Canoniſtæ ac Theologi. *Pontas.*

CASUS LVII. Gabriel judex in criminalibus tulit ſententiam mortis contra reum; qui tamen aufugit, aut a Principe vitæ gratiam obtinuit, ita ut ſententia executioni data non fuerit. An Gabriel nihilominus incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis?

℞. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 64. art. 7. ad 5. non incurrit; quia, ut ait S. Doctor, *irregularitas conſequitur actum homicidii, etiamſi ſit abſque peccato.*

SCAUS LXVIII. Tiburtius parochus teſtis erat aſſaſſinii, qui & ad petitionem uxoris occiſi in judicio teſtimonium ſuum cum alio laico depoſuit; quo facto reus aſſaſſinii ad mortem damnatus, & ultimo ſupplicio affectus eſt. An Tiburtius in hoc caſu irregularitatem incurrit?

℞. Prænotandum 1. Vi juris canonici perſonæ eccleſiaſticæ non poſſunt agere teſtes coram judice laico, ne quidem in cauſa civili; licet hæc lex non ſit univerſaliter recepta, nec etiam ubique hodie obſervetur. 2. Juxta opinionem Doctorum ultramontanorum teſtis a judice ad deponendum teſtimonium cauſa ſanguinis coactus, & actu teſtimonium deponens ſit irregularis, ſi accuſatus ad mortem condemnetur, & ultimo ſupplicio afficiatur. 3. Clerici nunquam agere debent teſtes in cauſa criminali, niſi ad id compellantur. Si igitur Clericus non coactus teſtem agat, & ex ipſius teſtimonio reus morte afficiatur, irregularitatem incurrit, etiamſi ante depoſitionem teſtimonii proteſtetur juxta præſcriptam formulam. S. Beuve tom. 3. Caſ. 112. docet, Clericum, qui a judice coactus deponit teſtimonium, non fieri irregularem, licet ob ipſius teſtimonium reus morte mulctetur. Et huic ſententiæ inſiſtendum contra communem opinionem Theologorum ac Canoniſtarum ultramontanorum. Ex his deſumenda reſponſio ad præſentem caſum. *Pontas.*

Nota. Decet, ut judices Clericum non cogant ad ferendum teſtimonium in cauſa ſanguinis. Si tamen id decentiæ non obſervarent, ſententia S. Beuvii tenenda eſt. Vide Caſ. 142.

CASUS. LIX. Philometor parochus rogatur a prætore loci, ut in abſentia procuratoris fiſcalis porrigat judici libellum ſupplicem contra quemdam furem in graviſſimo furto recenter comprehenſum. Paruit precibus parochus, & fur exinde in quæſtionem tractus damnatur & ſuſpenditur. An parochus, qui alio modo non eſt cooperatus ad mortem rei, niſi quod actoris abſentis vices ſuppleverit, eſt irregularis?

℞. Indubitato eſt irregularis non ſolum ex defectu lenitatis, ſed etiam ex delicto. Ita Innocentius III. Cap. *Sententiam.* 9. Lib. 3. Tit. 50. Ratio eſt; quia præſentando libellum in cauſa criminali Philometor conſtituitur actor in cauſa criminali: actor autem juxta leges canonicas non minus eſt irregularis ac ipſe judex, qui pronunciat ſententiam mortis. Non poteſt ergo Philometor functiones ſuas obire ſine prævia diſpenſatione, quam vi Concilii Tridentini Seſſ. 24. de reform. c. 6. non niſi a Papa obtinere poterit. Verum ſi fur non fuiſſet ultimo ſupplicio affectus, parochus ob ſolam ſubſcriptionem libelli non incurriſſet irregularitatem, etſi mortis ſententia ſecuta fuerit, quæ tamen effectu caruiſſe ſupponitur. Ita S. Beuve Tom. 2. caſ. 21. & Tom. 3. caſ. 109. *Pontas.*

CA-

CASUS LX. Agilius tabularius in tribunali Pariſienſi ſcripſit ac expedivit plures ſententias in eos, qui ultimo ſupplicio affecti ſunt, & ex obligatione officii ſui earum executioni interfuit. Eſtne irregularis?

℞. Licet in Gallia ſoli actor criminalis, judex & carnifex habeantur pro irregularibus, & inſignes Authores in ſuis opinionibus hac ſuper re non conveniant; dicendum tamen videtur, Agilium petere debere diſpenſationem *ad majorem cautelam*, ſi Beneficium aut Ordines recipere velit. *Pontas.*

Nota. Juxta Authores Germanos ac Italos non ad cautelam, ſed ex neceſſitate petenda diſpenſatio; cum de irregularitate Agilii non dubitent.

CASUS LXI. Lucius advocatus Ludovici in cauſa aſſaſſinii, de quo Joannes illum accuſaverat, defendit clientem ſuum quam optime, ita ut abſolveretur. Gofredus autem advocatus Joannis factam ab ipſo accuſationem tam infeliciter propugnavit, ut Joannes tanquam calumniator ad mortem condemnatus fuerit; quæ ſententia etiam executioni data eſt. An iſti duo advocati irregularitatem contraxerunt, cum ambo cooperati ſint ad mortem Joannis?

℞. Neuter irregularitatem incurrit. Lucius non incurrit; quia non niſi defenſionem innocentis intenderat, licet ex ea ſolum indirecte & mere per accidens ſecuta fuerit mors Joannis, quæ ſoli ejus calumniæ adſcribenda eſt, quam Lucius per defenſionem veritatis detexit. Gofredus non incurrit; quia infelix defenſio clientis ſui ſolum ex eo provenit, quod juſtitia & veritas non fuerint ex parte ipſius. Ita ſentit Hoſtienſis in Cap. *Ad audientiam.* 12. n. 11. Aliud prorſus dicendum foret, ſi accuſatio fuiſſet juſta, quo in caſu uterque advocatus irregularitatem incurriſſet æque ac medicus, qui ob ignorantiam aut negligentiam ſuam ægro cauſa mortis exiſtit, ut advertunt Panormitanus & Toletus. *Pontas.*

CASUS LXII. Licurgus presbyter & confeſſarius Agathæ, cum videret hanc fœminam jam in extremis conſtitutam, eamque a viginti quatuor jam horis jejunam, ex motivo charitatis porrigit ipſi juſculum. Verum dum vix dimidium abſumpſerat, eo ſuffocata mox extinguitur. An Licurgus eſt irregularis?

℞. Cum Licurgus nihil egerit peccaminoſum, nec in effectu nec in cauſa, nec etiam in ſuum officium deliquerit, rationabiliter dici non poteſt juxta Sylvium var. reſol. V. *Chirurgus.* eum incurriſſe irregularitatem. *Hujusmodi oſ-*

ficia, ait Cabaſsutius Jur. Can. Th. & pr. L. 5. c. 19. n. 25. *per ſe directe non tendunt ad mortem, neque ad ejus accelerationem. Itaque nihil commune habent cum irregularitate.* Pontas.

CASUS LXIII. Leidradus presbyter & primarius eleemoſynarius Principis, videns enorme quoddam crimen de die in diem latius ſerpere in populo, permovit Principem, ut legem ſtatueret, vi cujus rei dicti criminis morte mulctentur. Publicata fuit hæc lex, & paulo poſt duo vel tres delinquentes in eam ultimo ſupplicio affecti ſunt. An Leidradus ob datum Principi conſilium irregularitatem incurrit?

℞. Neutiquam incurrit: ejus enim conſilium non tendebat ad occiſionem ullius perſonæ in particulari, ſed ſolum ad bonum commune totius principatus. Et hinc, ſi qui transgreſſores juſtæ legis morte mulctati ſunt, Leidradus dedit quidem ſuo conſilio ad hoc anſam, ſed non niſi omnino remotiſſimam. *Pontas.*

CASUS LXIV. Macarius Abbatis titulo cujusdam paroeciæ dominus tam in temporalibus quam in ſpiritualibus comperit, intra fines jurisdictionis ſuæ aſſaſſinium fuiſſe commiſſum, & mandat judici ſuo, ut in authorem illius inquirat. Facta inquiſitione judex vi novi mandati a Macario obtenti, ut ſcilicet procedat ſecundum jura, reum condemnavit ad crurifragium; & hæc judicis ſententia a ſupremo tribunali confirmata, & poſtea executioni data eſt. An Macarius irregularitatem incurrit?

℞. Certum eſt, Macarium non incurriſſe irregularitatem: Epiſcopi enim, aliique Prælati non fiunt irregulares, dum judicibus ſuis laicis mandant, ut in locis jurisdictioni ſuæ ſubjectis juſtitiam criminalem exerceant, & terminis generalibus eos jubent agere cum delinquentibus ſecundum leges. Dicitur, *terminis generalibus*; quia perſonis eccleſiaſticis non licet conſulere judicibus ſuis, aut eos exhortari in particulari, ut hunc vel illum delinquentem condemnent ad mortem vel mutilationem. *Licet Clericis cauſas ſanguinis agitare* non liceat, inquit Bonifacius VIII. in Cap. *Epiſcopus.* fin. Lib. 3. Tit. 24. in 6. *eas tamen, cum jurisdictionem obtinent temporalem, debent & poſſunt, metu irregularitatis ceſſante, aliis delegare. Pontas.*

CASUS LXV. Fulbertus confeſſarius Balduini judicis criminalis ex confeſſione advertit, eum valde incurium in adminiſtranda ſecundum leges juſtitia contra quosdam delinquentes; hinc eum admonet, minaturque denegationem abſolutionis, ni promittat, ſe exactius poſthac functurum ſuo offi-

officio. Balduinus id promittit, & paucis poſt diebus duos delinquentes ad mortem condemnat, ac ſententiæ executionem imperat. Potuitne Fulbertus absque periculo incurrendi irregularitatem obligare Balduinum ad ferendam hanc ſententiam, maxime ſi alias dictos delinquentes fuiſſet dimiſſurus?

℞. Confeſſarius iſte non ſolum non incurrit irregularitatem, ſed egit ex præſcripto officii ſui conformiter ad leges Dei & Eccleſiæ. Obſervandum tamen, quod confeſſarius commonendo in confeſſionali judicem officii ſui nunquam poſſit deſignare qualitatem pœnæ aut genus mortis, nec etiam denotare perſonam particularem, cui inferendum ſupplicium: ſic enim efficaciter ac directe cooperaretur ad mortem delinquentis, & fieret irregularis. *Poteſt quoque*, verba ſunt Cabaſſutii Jur. Can. Th. & pr. L. 4. c. 19. n. 7. *citra irregularitatem confeſſarius recuſare abſolutionem magiſtratui nolente punire ex officio & ſecundum leges flagitioſum, quem lex jubet capitis damnari: modo generatim loquatur, ut puniat ſecundum legem, neque directe intimet mortis pœnam. Pontas.*

CASUS LXVI. Theodoſius de homicido accuſatus, & ideo in carcerem conjectus eſt. Ejusdem confeſſarius ſcit, eum revera id commiſiſſe, cum teſtis oculatus contra illum depoſuerit; & hinc ſub comminatione denegandæ abſolutionis eum obligat ad fatendum judici homicidium a ſe commiſſum. An confeſſarius irregularitatem incurrit, ſi Theodoſius fateatur crimen, & propterea morti adjudicetur?

℞. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 69. art. 10. C. certum eſt, quod reus juridice interrogatus teneatur fateri veritatem, ſi adſit contra ipſum ſemiplena probatio. Ex quo ſequitur, confeſſarium potuiſſe obligare Theodoſium ad confeſſionem criminis a ſe perpetrati, absque omni periculo incurrendi irregularitatem. Imo confeſſarius ſuo defuiſſet officio, ſi in hoc caſu confiteri nolentem abſolviſſet. Aliud dicendum foret, ſi judex non fuiſſet competens, aut ſi crimen non fuiſſet ſemiplene probatum: tunc enim confeſſarius certe incurriſſet irregularitatem, ſi reum vel per denegationem abſolutionis, vel alio modo obligaſſet ad manifeſtandum crimen, & ex hac confeſſione ſecuta fuiſſet mors delinquentis. *Pontas.*

Vide *Reus.* Caſ. 3.

CASUS LXVII. Silvanus potuiſſet impedire occiſionem Hannibalis; nec tamen impedivit. Eſtne ob hanc omiſſionem irregularis?

℞. Au-

℞. Authores inter ſe non conveniunt. Aliqui defendunt, quod non impedientes injuſtam alterius mortem, cum poſſent, ſemper fiant irregulares. Alii econtra id univerſim negant, etiam tunc, quando omiſſio fit prava intentione aut cum complacentia in morte occiſi. Alii denique tunc ſaltem putant incurri irregularitatem, quando omiſſio fit prava intentione. Inter hanc opinionum varietatem diſtinguendum videtur: vel tenebatur Silvanus impedire homicidium tantum ex charitate, an vero ex juſtitia? In primo caſu non incurrit irregularitatem juxta S. Antoninum 3. part. Summ. Theol. Tit. 28. c. 2. init., licet graviſſime peccet. In ſecundo vero caſu non ſolum graviſſime peccat, ſed etiam incurrit irregularitatem ex delicto. *Tenetur ille*, ait S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. C. *qui non obſtat, cum obſtare teneatur.* Ratio hujus differentiæ inter obligationem *juſtitiæ* & obligationem *charitatis* conſiſtit in eo: ille, qui non dat aut facit rem, quam dare aut facere tenetur ex debito *juſtitiæ*, aufert alteri, quod ſuum eſt; quia vere ſuum quis dicit illud, ad quod habet jus aquiſitum: dum vero res debetur ſolum ex *charitate*, ille, cui hoc titulo debetur, non habet jus aquiſitum ad rem, & hinc ipſi non exhibere debitum charitatis non eſt *rem ei auferre*, ſed ſolum *rem ei non dare*; amplum autem diſcrimen eſt inter *rem auferre* & *rem non dare. Pontas.*

CASUS LXVIII. Ariſtides falſo accuſat Barnabam de crimine læſæ majeſtatis; & parochus novit falſitatem accuſationis, haberetque in promptu certum medium liberandi Barnabam ab evidenti periculo mortis, cui expoſitus eſt per hanc accuſationem a duobus inſuper ſubornatis teſtibus confirmatam. An parochus fieret irregularis, ſi detecta falſitate accuſationis Ariſtides pœnam talionis ac mortis ſubire deberet?

℞. Juxta Cabaſſutium Jur. Can. Th. & pr. L. 5. c. 19. n. 20. parochus abſque omni formidine incurrendæ irregularitatis poteſt ac debet detegere falſitatem accuſationis contra Barnabam factæ: ipſius enim finis non eſt alius, niſi ut tueatur innocentiam Barnabæ; & per hoc non intendit quidpiam conferre ad mortem falſi accuſatoris ac teſtium ſubornatorum. *Pontas.*

CASUS LXIX. Domitius quatuor continuis annis militiam ſecutus, nec obſidioni nec prælio unquam interfuit; & hinc certus eſt, ſe neminem occidiſſe aut mutilaſſe. Relicta jam militia Ordinem ſubdiaconatus ſuſcepit, quin Epiſcopo declararit, ſe fuiſſe militem. Num peccavit? An irregularitatem incurrit?

℞. Dan-

℟. Dantur Authores, qui putant in hoc caſu incurri irregularitatem; idque probant ex univerſali praxi, qua ab omnibus militiam ſecutis peti ſolet a Papa diſpenſatio, licet multi ex iis neminem unquam occiderint aut mutilarint. Verum cum praxis hæc in nullo fundetur canone, dicendum, Domitium non incurriſſe irregularitatem, ut & Author conferentiarum Condomienſium tom. 1. Conf. 7. ſect. 2. exiſtimat. Securius tamen ac prudentiæ magis conſentaneum videtur, ſi Domitius diſpenſationem petat, ne ab æmulis in foro externo inquietetur, ſi fors ſuo tempore de Beneficio provideretur. *Pontas.*

Vide Caſ. 148.

CASUS LXX. Hannibal per tres annos Capitaneus equitum neminem quidem occidit aut mutilavit, ſubjecti tamen ipſi milites in bello juſte a Principe declarato plures hoſtium occiderunt. Relicta jam militia amplexus eſt ſtatum clericalem absque prævia diſpenſatione, & presbyter ordinatus obtinuit parochiam, ac per duos jam annos functiones parochiales exercet absque omni ſcrupulo. Tandem monetur a quoplam, ſe fuiſſe irregularem, nec potuiſſe ſuſcipere ſtatum clericalem: nec canonice inſtitui in parochiam absque obtenta a Papa rehabilitatione. Quid ſentiendum?

℟. Juxta communem Doctorum opinionem, cum bellum, de quo agitur, fuerit juſtum, Hannibal non incurrit irregularitatem, ſicque non indiget diſpenſatione: non enim eam incurrit ex facto proprio, cum ipſe neminem mutilaverit aut occiderit; nec ex facto ſuorum militum, quia in bello juſto ille ſolus fit irregularis, qui alium occidit vel mutilat, ut patet ex decretali Honorii III. Cap. *Petitio.* 24. Lib. 5. Tit. 12. *Mandamus*, ſcribit Papa ad Pelagium bresbyterum contra Saracenos pugnantem, *quatenus ſi de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conſcientia te remordet, a miniſterio altaris abſtineas reverenter; cum ſit conſultius in hujusmodi dubio abſtinere, quam temere celebrare.* Dubium iſtud, de quo loquitur Pontifex, non verſatur in eo, utrum arma geſtaverit, vel utrum arma geſtans fiat irregularis; ſed in eo tantum, utrum quemquam occiderit, ut patet ex his verbis: *cum pro eo, quod aliquos percuſſiſti, irregularitatem metuas incurriſſe.* Adeoque, ſi quis certus ſit, ſe neminem in bello juſto occidiſſe aut mutilaſſe, non erit irregularis. *Pontas.*

CASUS LXXI. Felicianus eleemoſynarius exercitus in Belgio, videns milites paratos ad prælium, eos hortatur, ut ſuo officio ſtrenue fungantur, ſuam quoque operam confert in diſtributione armorum, pulveris pyrii &c. Et commiſſo

miſſo mox prælio quatuor millia hoſtium in acie occubuere. Eſtne irregularis?

℟. Si bellum fuit juſtum, Felicianus juxta decretalem citatam in reſponſione ad caſum præcedentem non incurrit irregularitatem: non enim exhortatione ſua & armorum diſtributione præciſe intendebat occiſionem quorumdam in particulari. Firmatur hæc reſponſio ex Gratiano Can. *Igitur.* 7. Can. *Hortatu.* 10. & Can. *Ut pridem.* 17. cauſ. 23. q. 8. Idem eruitur ex Alexandro III. Cap. *Præſentium.* 3. Lib. 5. Tit. 25. Capituli hujus argumentum hoc eſt: *Non ponitur Clericus ut homicida, ſi fuit ipſe in conflictu pro parte violentiam repellentium; licet ibi aliqui mortui ſint, & ipſe lapides projecit, ex quo nullum ipſe percuſſit. Pontas.*

CASUS LXXII. Didymus conſiliarius eccleſiaſticus Parlamenti præſens erat, cum formaretur proceſſus criminalis contra Maglorium, nec receſſit e camera curiali, niſi dum pronunciabatur ſententia mortis in reum; poſtea quoque interfuit executioni ſententiæ. An non incurrit irregularitatem?

℟. Ex eo, quod interfuerit proceſſui criminali, & ipſi publicæ executioni ſententiæ, non incurrit quidem irregularitatem; peccavit tamen contra prohibitionem Eccleſiæ: id enim expreſſe interdicitur Clericis in Concilio Matiſconenſi II. & in Concilio Lateranenſi IV. *Sententiam ſanguinis*, ait Innocentius III. in Cap. *Sententiam.* 9. Lib. 3. Tit. 50. *nullus Clericus dictet aut proferat, ſed nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, interſit.* Verum hæc reſponſio ſolum intelligenda de ſimplici ac nuda præſentia; nam ſi etiam cooperaretur Clericus ad executionem, juxta Innocentium IV. in dict. Cap. *Sententiam.* indubitato irregularitatem incurreret: *Hoc non facit irregularem*, inquit, *niſi interſit authoritatem præſtans vel auxilium. Pontas.*

CASUS LXXIII. Aichardus parochus detinuit ac judiciali poteſtati tradidit Paulinum recentiſſime commiſſi aſſaſſinii reum, qui & extremo ſupplicio affectus eſt. Eſtne parochus irregularis ex defectu lenitatis?

℟. Juxta Theologos ac Canoniſtas Gallos non eſt irregularis; cum Aichardus non niſi cauſa remota ſit mortis Paulini: cauſa enim proxima ejuſmodi mortis in Gallia ſolum cenſentur eſſe Procurator regius, judex pronuncians ſententiam, & miniſter juſtitiæ eam exequens. In Germania autem & Italia Aichardus haberetur pro irregulari, ut ex dictis conſtat, *Pontas.*

CA-

CASUS LXXIV. Balthaſar ſciens in vicina domo latere furem, conſulit aut mandat, ut capiatur; ſed cum is ſe defenderet, ab invadentibus occiditur. An Balthaſar eſt irregularis?

℟. Juxta S. Thomam in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 3. & 2. 2. q. 64. art. 8. C. non incurrit irregularitatem; quia non conſuluit vel mandavit, niſi quod erat licitum; & hinc non habet ullam partem in hoc homicidio. *Pontas.*

CASUS LXXV. Dracontius medicus aſpirat ad ſacros Ordines; quia tamen aliquando cuidam infirmo porrexit medicinam, cujus operationem in eo primum experiri volebat, utrum ſalubris eſſet vel noxia, & dictus infirmus brevi poſt ſumptam medicinam mortuus eſt, conſtantem ſentit remorſum conſcientiæ, & dubitat, an non eſſet irregularis. An indiget diſpenſatione?

℟. Indiget vel maxime; quia, cum profiteretur artem medicam, tenebatur eam exercere prudenter ac juxta regulas artis. *Medicamenta ſunt venena*, inquit lex, quibus medico uti non licet, niſi moraliter certus ſit de effectu, quem producunt. Ipſe ſtimulus conſcientiæ juxta Clementem III. Cap. *Ad aures*. 7. Lib. 1. Tit. 14. ſufficiens motivum ac efficax monitum eſt, ut ſe irregularem credat, & ut talem ſe gerat. Ad hæc peccavit ſane graviſſime, dum vitam infirmi exponebat fortuito eventui ac incertæ operationi medicinæ, cujus nec virtutem nec effectum noverat. *Pontas.*

NOTA. Si Dracontius fuit in arte peritus, & deficiente ſecuriore remedio credidit, non fore mortis periculum, in foro interno non cenſetur eſſe irregularis.

CASUS LXXVI. Raymundus Acolythus & Prior in vicinia Prioratus ſui exercuit chirurgiam, cui olim operam dedit, & haud modicam in ea ſibi conciliavit ſcientiam. Quadam vice cuidam reſecuit tibiam, qui vero brevi exinde mortuus eſt. An irregularitatem incurrit ex defectu lenitatis, aut ex delicto homicidii caſualis?

℟. Si Raymundus in arte medica expertus obſervavit regulas artis in ſuis operationibus, nullam incurrit irregularitatem; quamvis non nulli, qui ipſius ſe curæ crediderunt, poſt operationem mortui ſint: chirurgia enim non eſt prohibita Clericis conſtitutis in minoribus Ordinibus: *nec ullam*, inquit Innocentius III. in Cap. *Sententiam*. 9. Lib. 3. Tit 50. *chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos exerceat, quæ aduſtionem vel inciſionem inducit.* Sylvius nihilominus V. *chirur-*

chirurgus. Quæſit. 2. concl. 2. exiſtimat., Clericum hujusmodi pro irregulari habendum eſſe, ſi dubitet de vera cauſa mortis illius, cui operationem ſuam adhibuit. *Pontas.*

CASUS LXXVII. Maximinus presbyter ſorori ſuæ dedit emplaſtrum, quod, ut ab aliis edoctus fuerat, emolliret apoſtema, quo affligebatur, & diſſiparet humorem cauſam mali. Emollitio quidem fuit ſecuta, ſed & poſt nimium puris profluvium brevi mors infirmæ. Eſtne Maximinus irregularis? Num foret irregularis, ſi de ipſius conſilio inciſio tumoris facta, & exinde mors ſororis ſecuta fuiſſet?

℟. Odia convenit reſtringi, qualia ſunt cenſuræ ac irregularitates. Hinc cum jura presbyteros, diaconos & ſubdiaconos declarent irregulares ſolum tunc, ſi exerceant ipſi chirurgiam per inciſionem aut aduſtionem, & ſequatur exinde mors inciſi aut aduſti, certe ſequitur, in primo caſu Maximinum non incurriſſe irregularitatem, ut Sylvius docet V. *Chirurgus.* quæſtit. 2. concl. 5. Idem cum eodem Sylvio & Cabaſſutio L. 5. c. 19. n. 22. dicendum quoad ſecundum caſum. *Pontas.*

CASUS LXXVIII. Siranus chirurgus laicus ſtatum clericalem amplexus, ſuſcepto jam ſubdiaconatu ſorori ſuæ infirmæ venam aperuit; ac poſt venæ ſectionem morbus adeo increvit, ut poſtridie obierit. Eſtne Siranus irregularis?

℟. Exercitium chirurgiæ *per inciſionem* vel *per aduſtionem* irregulares facit omnes in ſacris Ordinibus conſtitutos, ut patet ex pluribus Conciliis, quæ omnia fundantur in Concilio generali Lateranenſi IV. Cum igitur ſectio venæ ſit vera inciſio, dubia eſſe nequit Sirani irregularitas. *Quia qui venam aperit*, inquit Sylvius l. c. concl. 2. *proprie dicitur incidere; & huic ſententiæ* (affirmativæ) *libenter ſubſcribo. Pontas.*

NOTA. Sylvius male miſſionem ſanguinis ſub termino *legali* ac *technico inciſionis* comprehendit.

CASUS LXXIX. Ennodius Religioſus ac presbyter in chirurgia exercitatiſſimus aperuit Titiæ tumorem, & neceſſaria adhibuit remedia ex ſolo motivo miſericordiæ absque omni lucri ſpe. Titia vero contra expreſſam prohibitionem Ennodii juſto citius rigido ſe exponens aëri ac nimis arduum aſſumens laborem accerſivit ſibi mortem. An Ennodius eſt irregularis?

℟. Innocentius III. in Cap. *Tua nos.* 19. Lib. 5. Tit. 12. ſcribens ad Epiſcopum Placentinum in ſimili caſu declarat, Religioſum presbyterum graviter peccare, ſi exerceat artem ſancti-

ſanctitati ſtatus ſui non convenientem; & ſi id agat ſpe lucri, ipſius peccatum interdicto ſuarum functionum mulctandum eſſe juxta rigorem canonum; ſi vero chirurgiam, cujus peritiam habere ſupponitur, exerceat ex ſolo charitatis motivo, poſſe ipſi diſpenſationem neceſſariam concedi. Ex hac ipſa decretali ſatis clare eruitur, quod ſubdiaconus, diaconus aut presbyter ſive ſæcularis ſive regularis non ſit ipſo facto irregularis ex eo præciſe, quod chirurgiam exerceat, ſed ſolum tunc, quando ſua imperitia & ex defectu habilitatis eſt cauſa mortis aut mutilationis, vel alterutrum horum ex ipſius negligentia oritur, etſi non deſit habilitas; vel denique quando eam exercet abſque diſpenſatione Papæ & contra prohibitionem canonum. *Pontas.*

CASUS LXXX. Gacianus presbyter, cum videret chirurgum jam accinctum ad abſciendendam Guiberto tibiam, eum adjuvit in operatione miniſtrando inſtrumenta & tenendo infirmum. Cum vero Guibertus mox poſt factam abſciſionem obierit, dubitat Gacianus, an non ſit irregularis.

℟. Juxta communem opinionem Theologorum & Canoniſtarum non eſt irregularis: jura enim inducentia hanc irregularitatem tantum loquuntur de incidentibus vel adurentibus, non vero de cooperantibus ad inciſionem vel aduſtionem, ad quos proin extendi non debent; quia *expreſſa nocent*, *non expreſſa non nocent*, ut habet regula juris. Dein officium ac intentio chirurgi eſt conſervandi vitam corporis, & dum reſecat unum membrum, ſervandi totum; ad quam operationem ipſum juvare indignum haud eſt miniſtro eccleſiæ. *Pontas.*

CASUS LXXXI. Hierotimus in duello abſcidit Benedicto dimidium pollicem aut indicem; aut ſic eum vulneravit in facie, ut cæcus evaſerit, adeoque irregularis. An & ipſe Hierotimus irregularitatem incurrit?

℟. Cum per mutilationem intelligatur abſciſſo membri, digitus vero juxta Panormitanum in Cap. *Cum illorum.* 32. de ſent. excom. n. 8. non ſit membrum, ſed ſolum pars membri, ſcilicet manus, Hierotimus ob abſciſſionem pollicis vel indicis non incurrit irregularitatem. Nec eam incurrit ex eo, quod Benedictum reddiderit cæcum, ac conſequenter irregularem; cum adhuc vere dici poſſit, quod non mutilaverit Benedictum. Certe tamen Hierotimus graviter peccavit in utroque caſu. *Pontas.*

CASUS LXXXII. Ranulſus ſuborta lite ac rixa cum Alexandro, ejuſdem manum baculo tam graviter percuſſit, ut

ea Alexander ob debilitatem nervorum nunquam amplius uti potuerit. An Ranulfus eſt irregularis ?

℞. Reſponſio ad caſum præcedentem quadrat etiam ad præſentem. *Non eſt irregularis*, inquit Navarrus Manual. c. 27. n. 24. *qui non occidit vel mutilat, licet debilitet membrum, adeo ut nequeat celebrare.* Navarrus in ſuam quoque ſententiam trahit plures alios Canoniſtas ac Theologos. Imo minus cenſetur irregularis Ranulfus, ac in priori caſu Hierotimus; quia illius percuſſio non induxit deformitatem; *quia ſaltem excuſat a deformitate*, ut idem Navarrus addit. *Pontas.*

CASUS LXXXIII. Euſtadius ſubdiaconus diœceſis Valentinæ acceptis ab Epiſcopo ſuo dimiſſoriisſe contulit Nemauſum, ibi Ordinem diaconatus recepturus; aſt in prævio examine rejectus, domum rediens ſe diaconum fuiſſe ordinatum ſimulavit, ac in ſolemni miſſa parochiali cantavit Evangelium. Eſtne irregularis ?

Juxta communem Theologorum ac Canoniſtarum opinionem, fundatam in decretali S. Hormiſdæ Papæ in Cap. *Si quis*. 1. Lib. 5. Tit. 28. irregularitatem incurrit. *Diaconus*, ſcribit Urbanus III. ad Epiſcopum Legionenſem ibid. Cap. *Ex literis*. 2. *cum non impoſuiſſes ei manum, miſſarum celebrationem uſurpare præſumpſit. . . ad ſacerdotis officium non poterit promoveri.* Et addit : *a diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua maneat proviſione ſuſpenſus.* Idem ſtatuit Clemens VIII. in Bulla *Etſi alias*. anno 1601. edita. *Pontas.*

CASUS LXXXIV. Silverianus ſubdiaconus ob crimen occultum lapſus eſt in excommunicationem majorem. Hoc non obſtante in miſſa ſolemni miniſtravit deferendo calicem ad altare, ſacerdoti vinum & aquam porrigendo, aquam ad lavandas manus affundendo, & calicem poſt ſumptionem extergendo; ea tamen omnia peregit abſque manipulo. An non eſt irregularis, dum cenſura ligatus dictas functiones obiit ?

℞. Omnes præfatæ functiones non ſunt actus formales ſubdiaconi, aut privative ſpectantes ad Ordinem ſubdiaconatus : poſſunt enim exerceri a quovis Clerico ſolo ſuperpellicio induto. Hinc juxta S. Antoninum 3. part. Summ. Theol. Tit. 28. c. 1. §. 1. Silverianus non eſt habendus pro irregulari; cum non portando manipulum non cenſeatur exercuiſſe actus Ordinis. Sic & presbyter ſuſpenſus ab Ordine, in caſu neceſſitatis Baptiſmum abſque ſolemnitate adminiſtrans, juxta Navarrum Manual. c. 27. n. 244. irregularitatem non incurrit; nec Epiſcopus ſuſpenſus a pontificalibus celebrans miſſam privatam ſine apparatu pontificali. *Pontas.*

Nota. Si Silverianus publice ac ſolemniter in miſſa ſolemni epiſtolam legiſſet, ab irregularitate vix excuſari poſſet.

CASUS LXXXV. Emporius diaconus in parochia rurali moratus rogatur a parocho ante miſſam parochialem ad excipiendam confeſſionem infirmi vocato, ut interea peragat benedictionem ſalis & aquæ, ut redux mox aſpergere poſſit populum aqua benedicta. An Diaconus ſali & aquæ bedicens irregularitatem incurrit, cum iſta benedictio a diacono fieri non poſſit? Et ſi incurrit, a quo erit rehabilitandus? Parochus vero peccavitne diacono iſtam benedictionem committendo?

℟. Diaconus eſt irregularis juxta decretalem citatam ad Caſ. 83. *Abiiciatur*, dicitur ibi, *de eccleſia & nunquam ordinetur*. Si benedictio fuit publice peracta, pro rehabilitatione ad Papam recurrendum eſt; ſi vero benedixit privatim ac ſecreto, juxta Concilium Tridentinum Seſſ. 24. de reform. c. 6. diſpenſare poterit Epiſcopus. Parochus vero juxta S. Beuve tom. 3. Caſ. 107. diacono hanc benedictionem committendo, & ſic efficaciter cooperando ad irregularitatem & malum exinde ſecutum, peccavit graviter. *Pontas.*

Vide Caſ. 158.

CASUS LXXXVI. Appollodorus laicus aut acolythus, per aliquod tempus ruri commoratus, in ſolemni miſſa parocho ad miniſtrandum ſeſe obtulit, ac alba indutus & dalmatica Epiſtolam cantavit. Eſtne irregularitas?

℟. Si uſus non eſt manipulo, ornamento ſubdiaconis proprio, juxta Cabaſſutium L. 5. c. 20. n. 4. non incurrit irregularitatem. A multis jam ſæculis hujuſmodi mos invaluit in eccleſia, ut in defectu acolythorum aut ſubdiaconorum eorum miniſterium obirent laici, attamen abſque manipulo. *Pontas.*

CASUS LXXXVII. Landricus diaconus, cum curioſitate actus ſcire vellet peccata cujuſdam fœminæ de vitæ licentia valde ſuſpectæ, veſperi occupavit confeſſionale, in quo alias dictæ fœminæ confeſſarius ſedere ſolebat, ac confeſſionem ipſius excepit; qua peracta, & impoſito in forma pœnitentiæ opere ſatisfactorio, abſolutionem ſimulans eam dimiſit. Eſtne irregularis? Quænam pœna ſtatuta eſt in crimen a Landrico commiſſum?

℟. Omnes Canoniſtæ innixi duabus decretalibus, quæ componunt titulum *De Clerico non ordinato miniſtrante*, concludunt, Landricum eſſe ſuſpenſum ab Ordine ac irregularem. Clemens VIII. in Bulla, *Etſi alias*, aggregavit pœnam in ejuſmodi delinquentem: *Hac perpetuo valitura con-*

ſtitutione decernimus, inquit Papa, *ut quicumque non promotus ad ſacrum presbyteratus Ordinem, repertus ſuerit miſſarum celebrationem uſurpaſſe, aut ſacramentalem confeſſionem audiviſſe . . . a foro eccleſiaſtico abjiciatur, & ab Ordinibus eccleſiaſticis, ſi quos habuerit, rite degradatus, ſtatim Curiæ ſæculari tradatur, per judices ſæculares debitis pœnis plectendus.* Si caſus iſte ſit occultus, juxta Barboſam Epiſcopus poterit Landricum abſolvere a ſuſpenſione ac irregularitate. *Pontas.*

CASUS LXXXVIII. Symmachus presbyter excommunicatus vel ſuſpenſus celebravit miſſam; quia ignorabat, ſe cenſura ligatum eſſe. Eſtne irregularis?

℟. Si ignorantia non fuit craſſa aut culpabilis, Symmachus juxta Gregorium IX. in Cap. *Apoſtolicæ.* 9. Lib. 5. Tit. 27. non eſt irregularis. Idem dicendum de presbytero excommunicato vel ſuſpenſo, qui celebraret in caſu neceſſitatis, quo excuſaretur a peccato mortali, v. g. ſi Sacerdos celebrans moriatur ſtatim poſt conſecrationem, & Sacrificium miſſæ perfici debeat. *Pontas.*

CASUS LXXXIX. Salluſtius presbyter, cum a Superiore eccleſiaſtico citatus recuſaret comparere, ob contumaciam ſuſpenſus eſt declaratus. Elapſo autem octiduo paruit, & mox celebravit non requiſita diſpenſatione. Eſtne irregularis?

℟. Non eſt irregularis: eo enim momento, quo per obedientiam tollitur ſuſpenſio, celebrare licet ut antea; quin opus ſit peculiari abſolutione, ut docet Innocentius IV. ſuper Cap. *Ex literis.* 11. de conſtitut. n. 2. & ad Cap. *Sicut.* 4. de cohabit. Cler. & mul. n. 2. *Ubi propter contumaciam tantum amoveretur*, inquit, *quæ pœnam perpetuam non meretur, ſed quoad usque pœniteat vel ſatisfaciat; tunc privatio ejus temporalis intelligitur, id eſt, quousque ſatisfaciat.* Differt autem ejusmodi ſuſpenſio ab excommunicatione in hoc, quod ad hanc tollendam requiratur formalis abſolutio. *Pontas.*

CASUS XC. Marſilius parochus de quodam crimine a promotore accuſatus, & dein decreta ejus comprehenſione per ſententiam Officialis declaratus eſt ſuſpenſus a functionibus parochialibus & ſacerdotalibus, usque dum in ſeminario diœceſano ſex menſes transegerit. Cum autem a Superiore ſeminarii poſt iteratam inſtantiam non fuiſſet admiſſus, abſtinuit quidem ab omni functione parochiali ac ſacerdotali per ſex menſes; aſt his elapſis obtinuit a tribunali ſæculari abſolutionem ab accuſatione contra ſe intentata, ac poſtea celebravit, exiſtimans, id ſibi licere; cum

hitam

latam in ſe ſententiam, quantum in ſe erat, executus fuiſſet, & aliunde etiam ab accuſatione abſolutus eſſet. An incurrit irregularitatem, ſi in aliena tantum diœceſi celebravit?

℟. Marſilius a ſuo ſolum Epiſcopo abſolvi potuit a ſuſpenſione canonice contra ipſum pronunciata. Debuiſſet recurrere ad ſuum Epiſcopum, ut ab eo juberetur recipi in aſſignatum ſeminarium, aut aliud indicaretur. Abſolutio ab accuſatione a judice ſæculari conceſſa Marſilio inutilis erat: judices enim ſæculares, ſicut non ferre, ita nec tollere poſſunt cenſuram eccleſiaſticam. Non obſtante etiam, quod in aliena diœceſi celebrarit, irregularis eſt: ſuſpenſio enim ſuſpenſum ſequitur, quocumque ierit. *Pontas.*

CASUS XCI. Landulphus presbyter diœceſis Ratisbonenſis habet Capellaniam in diœceſi Auguſtana; cum autem ſua improbe vivendi licentia publicum præberet ſcandalum, Epiſcopus Auguſtanus in viſitatione revocat datam prius licentiam in ſua diœceſi celebrandi & confeſſiones excipiendi. Landulphus itaque redit in ſuam diœceſin, ſcilicet Ratisbonenſem; ſed paulopoſt obtinet Canonicatum in quadam eccleſia Collegiata diœceſis Auguſtanæ; ubi cum peteret recipi, a Capitulo non admittitur, niſi promitteret, ſe non celebraturum, donec id permitteret Epiſcopus; quod & promiſit & ſervavit usque ad obitum Epiſcopi. Verum eo vix mortuo ocyus celebravit, & quidem ſine licentia Vicarii generalis Capituli cathedralis. Quæritur, an Landulphus vere fuerit interdictus; & conſequenter an violando interdictum incurrerit irregularitatem.

℟. Non incurrit irregularitatem Landulphus. Ratio eſt 1. quia, ut Jacobus de Graffiis advertit Decif. aurear. Lib. 4. c. 45. n. 12., ſimplex revocatio permiſſionis celebrandi aut confeſſiones excipiendi facta ab Epiſcopo non eſt verum interdictum: nam interdictum eſt pœna eccleſiaſtica; ſed nuda revocatio non eſt pœna proprie loquendo, ſed tantum denegatio gratiæ, quam concedere, vel non concedere, vel conceſſam revocare Epiſcopo eſt liberum; quin ille, cui non conceditur, aut conceſſa revocatur, habeat juſtam cauſam conquerendi, maxime ſi ſit ex aliena diœceſi. 2. Landulphus poſt revocationem hujus gratiæ in eum ſtatum redit, quo erat ante obtentam; ante obtentam autem gratiam celebrandi non erat in ſtatu ſuſpenſionis vel interdicti; itaque per revocationem illius gratiæ etiam non incidit in ſtatum ſuſpenſionis aut interdicti. 3. Revocatio, de qua hic agitur, eſt res odioſa; quia autem *odia reſtringi & favores convenit ampliari*, & ejusmodi revocationes

nunquam expreſse habentur loco ſuſpenſionum aut interdictorum, pro talibus & hic non ſunt recipiendæ. Si vero dicatur, Landulphum ipſum eam revocationem habuiſſe pro interdicto, eo quod vivente Epiſcopo nunquam auſus fuerit celebrare; reſponderi poteſt, eum a celebratione miſſæ abſtinuiſſe, eo quod juſte ac prudenter exiſtimarit, obediendum eſſe legitimo Prælato, licet non crediderit, cenſura ſe ligatum eſſe. Dein ſi etiam id crediđiſſet, quamvis abſque fundamento, judicare poterat, cenſuram hanc utpote latam *ab homine* finiri per mortem ferentis, ſcilicet Epiſcopi. Ita reſpondet Author Conferentiarum Andegavenſium menſ. Aug. 1712. q. 2. *Pontas.*

CASUS XCII. Richardus acolythus per ſententiam Officialis diœceſani nominatim excommunicatus declaratus exercuit actum ſui Ordinis in parochia rurali remota. Eſtne irregularis?

℞. Juxta S. Antoninum Summ. Theol. p. 3. Tit. 28. c. 1. §. 1. graviter peccavit Richardus; irregularitatem tamen non incurrit; cum ſolum in minoribus Ordinibus conſtitutus ſit, & actus horum Ordinum jam etiam a laicis obiri conſueverunt. Ex eadem ratione, ſi diaconus ſuſpenſus ab exercitio ſuorum Ordinum obeat functionem acolythi, non ſit irregularis. Hinc canones ſtatuentes irregularitatem in eos, qui cenſura innodati exercent actus ſuorum Ordinum, non ſunt intelligendi niſi de functionibus Ordinum ſacrorum. *Pontas.*

CASUS XCIII. Achilles excommunicatus, aut ſuſpenſus aut interdictus ſuſcepit Ordines. Eſtne irregularis?

℞. Si Achilles tantum erat ligatus excommunicatione *minore*, non ſit irregularis recipiendo Ordines; quia per hanc excommunicationem tantum privatur quis participatione Sacramentorum activa, non paſſiva; neque fieret irregularis, ſi in hac excommunicatione exercuiſſet actum Ordinis, ut conſtat ex decretali Gregorii IX. Cap. *Si celebrat.* fin. Lib. 5. Tit. 27. Si vero excommunicatio Achillis erat *major*, probabile eſt, eum incurriſſe irregularitatem: ita enim communiter docent Authores in decretalem Alexandri III. Cap. *Veniens.* 1. Lib. 5. Tit. 30. Idem deſumi poteſt ex Cap. *Cum illorum.* 32. Lib. 5. Tit. 39. ubi Innocentius III. irregularitatem ſtatuit in quoſdam Clericos, qui ſcientes, ſe ob violentam injectionem manuum in alios Clericos excommunicationem incurriſſe, recipiebant Ordines: *Tales*, inquit Papa, *qui ſciunt excommunicationis ſe vinculo irretitos, ſi fuerint ſeculares Clerici, a ſuſceptis Ordinibus cenſemus in perpetuum deponendos.* Sunt Canoniſtæ, qui non abſque omni

omni ratione dicunt, eos, qui in ſtatu excommunicationis recipiunt ſacros Ordines, non incurrere proprie loquendo irregularitatem, ſed quamdam ſuſpenſionem. Sunt & alii Doctores, qui hanc irregularitatem extendunt ad Clericos ſuſpenſos aut interdictos, qui his cenſuris ligati recipiunt Ordines; ſed major pars Authorum reſtringit hanc irregularitatem ad ſolos Clericos, qui in excommunicatione ſacros ſuſcipiunt Ordines. Quod attinet ſuſpenſionem aut interdictum, Authores denuo non conveniunt; & cum jus ſolum loquatur de iis, qui exercent actum Ordinis, ac receptio Ordinum non ſit proprie ac in rigore exercitium Ordinum, putant locum concedi poſſe trito axiomati: odia reſtringi, & favores convenit ampliari. Et hanc opinionem amplectitur etiam Author Conferentiarum Condomienſium tom. 1. Conf. 5. Sect. 1. & addit hanc rationem; quia receptio Sacramentorum non eſt actio clericalis, utpote communis etiam laicis. His omnibus non obſtantibus dicendum videtur, quod Achilles incurrerit irregularitatem, ipſique conſulendum, ut pro majori ſecuritate conſcientiæ huic opinioni ſe conformet. *Pontas.*

Nota. Hæc incerta ſerviunt pro foro externo; non ligant circa pœnalia pro foro interno.

CASUS XCIV. Hector presbyter incurrit excommunicationem minorem; eo quod abſque neceſſitate communicaverit cum excommunicato nominatim denunciato, & in hoc ſtatu celebravit miſſam. An incurrit irregularitatem?

℞. Graviter peccavit; irregularitatem autem non incurrit. *Minor excommunicatio*, inquit Navarrus Manual. c. 27. n. 241. *quamvis ſufficiat ad peccandum, non tamen ſufficit ad incurendam irregularitatem.* Idem dicendum, ſi Hector actum Ordinis exercuiſſet. *Pontas.*

CASUS XCV. Florentius ab Epiſcopo ſuo declaratus ſuſpenſus *a Beneficio* celebravit miſſam. Eſtne irregularis?

℞. Suſpenſio *a Beneficio* non producit irregularitatem; cum non ſit ſuſpenſio *ab officio*, & perceptio fructuum Beneficii non ſit actus Ordinis. Ex eadem ratione interdictus *ab ingreſſu eccleſiæ*, ſi ingrediatur eccleſiam, & interſit officio divino, non ſit irregularis, ſi non obeat functionem Ordinis majoris, a quo fuit ſuſpenſus; licet graviter peccet. *Pontas.*

CASUS XCVI. Eulogius parochus, irregularis ex delicto, in eccleſia ſua parochiali die dominica publice celebravit miſſam. An per hoc novam incurrit irregularitatem?

℞. Irregularitas nunquam producit aliam irregularitatem; & hinc, licet Eulogius graviſſime peccaverit, non tamen contraxit novam irregularitatem: non enim ea numeratur inter cenſuras, cum poſſit contrahi ex defectu mere naturali absque omni peccato; cenſuræ autem ſemper ſupponunt peccatum. Tritiſſima Canoniſtarum gnome eſt: *irregularitatem non dupplicat celebratio*, neque in jure uspiam reperitur multiplicatio irregularitatum ejusdem ſpeciei. Poſſunt quidem incurri plures cenſuræ ſive ejusdem ſive diverſi generis juxta multiplicationem aut diverſitatem actuum, qui a jure cenſuris notantur; irregularitas autem, quæ non eſt cenſura, ſed tantum impedimentum canonicum, non incurritur niſi in caſibus a jure expreſſe determinatis; & licet vi juris violans cenſuram irregularis fiat, non tamen reperitur ullus textus in jure, vi cujus in irregularitate celebrans aut actum Ordinis exercens contrahat novam irregularitatem. Graviſſimum certe peccatum committit graviſſima pœna dignum, & canones ſtatuunt, ut talis communione privetur, ac monaſterio includatur ad agendam per reliquos vitæ dies pœnitentiam. Poteſt nihilominus abſolute contingere, ut quis incurrat ſecundam irregularitatem v. g. ſi quis ordinatus fuiſſet presbyter anno ætatis vigeſimo, & dein celebraſſet: in hoc enim caſu foret ſuſpenſus ac irregularis ipſo jure ob ſuſceptum ante requiſitam ætatem presbyteratum, & per celebrationem violando ſuſpenſionem de novo irregularis fieret ex delicto. *Pontas.*

CASUS XCVII. Cajetanus Prælatus, aut in dignitate clericali conſtitutus per violationem interdicti in irregularitatem incidit; & tamen exercuit quosdam actus jurisdictionis voluntariæ dignitati ſuæ annexos. An hi actus ſunt validi?

℞. Qui violat interdictum legitime pronunciatum, fit actu non ſolum ab officio & Beneficio ſuſpenſus, ſed etiam privatur omni jurisdictione. *Mandamus*, ait Gregorius IX. Cap. *Tanta* 18. Lib. 5. Tit 31. in ſimili caſu Epiſcopum concernente, *quatenus tam præſumptores eosdem, quam omnes alios, qui præfatum interdictum damnabiliter violarunt, ſuſpendas ab officio & Beneficio.* Gloſſa addit: *Nota, quod, qui non ſervat ſententiam interdicti, Beneficia vel dignitates conferre non poteſt . . . Nec talis poteſt aliquem excommunicare.* Cajetanus igitur non potuit legitime exercere ullum actum jurisdictionis voluntariæ. *Pontas.*

CASUS XCVIII. Benignus parochus durante ſuſpenſione celebrat, ac proin irregularitatem incurrit? An per hanc irregularitatem ipſo facto privatur ſuo Beneficio?

℞. Cum

℟. Cum agatur hic circa materiam odioſam, & jus ob irregularitatem non ſtatuat privationem Beneficii, Benignus retinet verum titulum Beneficii ſui. Hinc & Beneficiatus irregularis ſive *ex delicto* ſive *ex defectu* poteſt reſignare ſuum Beneficium in favorem; & ſi id nolit, debebit Beneficium dimittere vel petere diſpenſationem ab irregularitate. *Excommunicatio, aliave cenſura atque irregularitas*, inquit Cabaſſutius Lib. 5. c. 7. n. 8. *collato jam Beneficio ſuperveniens non inducit Beneficii vacationem;* Idque probat ex deciſione Rotæ, authoritate Covarruviæ & plurium aliorum, ac ex decretali Innocentii III. in Cap. *Poſtulaſtis.* 7. lib. 5. Tit. 27. Excipienda tamen eſt irregularitas contracta ex homicidio voluntario, ſive id a Beneficiato ipſomet, ſive ejus conſilio aut mandato ab alio commiſſum fuerit: in hoc enim caſu ipſo jure & ipſo facto privatur ſuo Beneficio. Idem quoque dicendum, ſi percuſſiſſet Epiſcopum aut Cardinalem; idque non præciſe ob irregularitatem, quæ incurritur, ſed ob gravitatem criminis, quod committitur. *Pontas.*

CASUS XCIX. Cyriacus diaconus vult recipere presbyteratum; ſed caret digito aliquo in manu dextra. An eſt irregularis?

℟. Si caret indice, dubitandum non eſt de ipſius irregularitate; cum hic digitus in utraque manu ſit neceſſarius ad fractionem ſacræ Hoſtiæ, & ad decentem celebrationem miſſæ. Ita Honorius III. in Cap. *Thomas.* 7. Lib. 1. Tit. 20. Ex eadem ratione ille, qui jam presbyter ordinatus eſt, non poteſt celebrare, ſi ipſi index ſit abſciſſus, quamvis id illi per violentiam alterius acciderit, ut declarat Eugenius Cap. *Presbyterum.* 2. Lib. 3. Tit. 6. Quod attinet alios digitos, ſi uno eorum aut ex toto aut etiam ex parte ſe ipſum ex propria culpa quis privavit, præcipue ſi id ſit notorium, irregularitatem incurrit, non tam ex defectu corporis, quam ex defectu lenitatis, ut habetur Can. *Maritum.* 2. diſt. 33. & Can. *Qui partem.* 6. diſt. 55. ubi dicit Innocentius I. *Qui partem cujuslibet digiti ſibi ipſi volens abſcidit, hunc ad Clerum canones non admittunt.* Quod ſi vero Cyriacus digitum vel ejus partem amiſiſſet facto alterius, non eſt pro irregulari habendus, etſi ipſe propria culpa anſam dederit. Ratio eſt 1. quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus in jure expreſſis; caſus autem præſens in jure non exprimitur. 2. Quia defectus unius digiti, niſi fuerit pollex vel index, non reddit quempiam inhabilem ad ſacerdotium, nec notabiliter deformem. *Pontas.*

Vide Caſ. 81.

CASUS C. Emilianus eſt irregularis in ordine ad presbyteratum ob defectum pollicis. Eſtne etiam irregularis ad ſubdiaconatum, etſi ad functiones hujus ordinis non ſit inhabilis?

℟. Juxta Cabaſſutium L. 5. c. 19. n. 15. receptis necdum Ordinibus, qui eſt irregularis ad presbyteratum, cenſendus eſt irregularis ad omnes Ordines inferiores. Aliud autem dicendum, ſi ſuſcepto jam Ordine ſuperveniat irregularitas. Sic presbyter amiſſis duobus digitis cum medietate palmæ non eſt irregularis ad excipiendas confeſſiones, licet ſit irregularis ad celebrationem miſſæ. *Presbyterum*, ait Eugenius Cap. *Presbyterum.* 2. Lib. 3. Tit. 6. *cujus duos digitos cum medietate palmæ a prædone abſciſſos ſignificaſti, miſſam non permittimus celebrare; ipſum autem cæteris officiis ſacerdotalibus fungi minime prohibemus. Pontas.*

CASUS CI. Anaſtaſius rixæ contra voluntatem ſuam implicitu, cum ſe defendere vellet, integras vix non amiſit nares Eſtne ex hoc irregularis?

℟. Juxta S. Thomam in 4. diſt. 25. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. C. omnis defectus, qui notabilem inducit deformitatem, etiam inducit irregularitatem. S. Thomas ſequitur in hoc deciſionem Concilii quarti Toletani, quod inter varias irregularitatum ſpecies, quas recenſet, etiam hanc exprimit, de qua hic agitur, ſcilicet *qui ex naturali defectu membrorum aut deciſione aliquid minus habere noſcuntur.* Anaſtaſius igitur pro irregulari habendus eſt. *Pontas.*

CASUS CII. Daniel in pueritia caſu fortuito fuit orbatus uno oculo, quin ad hoc cauſam aut anſam dederit. Eſtne irregularis?

℟. Iſte caſus fortuitus Danielem reddidit irregularem, & hinc ad Ordines non poteſt admitti. Poteſt quis incurrere irregularitatem ex ſimplici defectu corporali; ſive dein hic defectus reddat prorſus inhabilem ad exercendas functiones Ordinum, ut eſt cœcus, aut ſurdus & mutus; ſive tantum inducat notabilem deformitatem, ut eſt defectus unius oculi. *Illi, cui erutus eſt oculus*, ait Gelaſius Papa Can. *Si evangelica* 13. diſt. 55. *non poſſunt ſecundum canones ſacerdotii jura concedi. Pontas.*

NOTA. Vide caſu 12. exceptionem in habente oculum artificialem.

CASUS CIII. Joannes presbyter amiſit totaliter viſum in oculo ſiniſtro, ita tamen, ut ſtans in medio altaris Canonem in miſſa ope oculi dextri abſque omni indecentia legere poſſit. An ob hunc defectum eſt irregularis?

℟. Com-

℟. Communis eſt opinio, Joannem non eſſe irregularem. Et hæc opinio fundatur in decretali Papæ Eugenii Cap. *Preſbyterum.* 2. Lib. 3. Tit. 6. ubi tunc ſolum ſtatuitur irregularitas, quando officium miſſæ convenienter aut decenter impleri non poteſt. Textus Gelaſii Papæ in reſponſione ad caſum præcedentem allegatus huic opinioni nil detrahit; cum ibi ſermo ſit de eo, cui *erutus* eſt oculus. *Pontas.*

CASUS CIV. Irenæus habet deformitatem corporalem, quæ quibusdam videtur valde notabilis, aliis vero leviſſima. Eſtne irregularis, ita ut ad ſuſcipiendos Ordines diſpenſatione indigeat?

℟. Non quidem indigere videtur diſpenſatione; juxta Alexandrum III. tamen Cap. *Cum de tua.* 2. Lib. 1. Tit. 20. conſulendus eſt Epiſcopus, ex cujus prudenti arbitrio ſtabit Irenæum admittere ad Ordines vel non admittere. Si hæc deformitas oriretur ex detruncato membro, non ab Epiſcopo, qui diſpenſare non poſſet, ſed a Papa petenda foret diſpenſatio; quia inprimis ſic fert conſuetudo univerſaliter recepta, ac dein hæc irregularitas introducta eſt a ſacris Canonibus & Conciliis generalibus, in quibus ſolus Papa habet poteſtatem diſpenſandi. *Pontas.*

CASUS CV. Guillebaldus evnuchus eſtne irregularis ad recipiendos ſacros Ordines, aut iis jam receptis ad eorumdem functiones?

℟. Si exigente gravi ægritudine ex præſcripto medicorum vel chirurgorum factus eſt evnuchus, non eſt irregularis. Idem dicendum, ſi ipſi id accidit per violentiam in manus barbarorum aut hoſtium delato. In utroque hoc caſu, ſi cæteroquin ob morum probitatem ac capacitatis & doctrinæ laudem dignus fuerit viſus, abſque omni obice ad presbyteratum promoveri poterit. Si vero propria voluntate id factum, ſub quocumque demum prætextu, etiam certius ſervandæ caſtitatis, irregularis eſt, ac nec Ordines recipere, nec in ſuſceptis miniſtrare poterit. Ratio reperitur in antiquo canone *Si quis.* 4. diſt. 55. qui Apoſtolis tribuitur, ubi dicitur: *Si quis abſcidit ſemet ipſum, id eſt, ſi quis amputavit ſibi virilia, non fiat Clericus; quia ſui eſt homicida, & Dei conditionis inimicus. Pontas.*

CASUS CVI. Hermanus juvenis duodennis evnuchum ſe fieri conſentit, idque vel in eum finem, ut ſonoram ac amænam vocem conſervaret, ſicque inter muſicos Principis reciperetur; vel quia chirurgus judicabat, malum, quo correptus fuerat, curari non poſſe niſi per hanc operationem, Eſtne irregularis?

℟. Cer-

℟. Certum eſt, Hermanum in primo caſu eſſe irregularem. In ſecundo autem non eſt irregularis. Concilium Nicœnum Can. *Si quis*. 7. diſt. 55. ſic ait: *Si quis a medicis propter languorem defectus eſt aut a Barbaris exciſus, hic in Clero permaneat. Si quis autem ſe ipſum ſanus abſcidit, hunc & in Clero conſtitutum abſtinere convenit, & deinceps nullum debere talium promoveri. Pontas.*

CASUS CVII. Julius cum Petrum in flagranti adulterio cum uxore ſua deprehendiſſet, ira ſubito excandeſcens in eum inſurrexit, ac ipſi virilia amputavit. Fitne Petrus hinc irregularis, licet per vim abſciſſus fuerit?

℟. Juxta Cabaſſutium L. 5. c. 19. n. 14. certum eſt, Petrum irregularitatem contraxiſſe hac mutilatione. Et eo juſtius factus eſt irregularis, quo criminoſius hanc ipſe ſibi conſcivit injuriam. *Defectus cujuslibet membri principalis*, inquit Navarrus Manual. c. 27. n. 198. *contingens ob culpam inducit ſecundæ ſpeciei irregularitatem. . . . quamvis membrum ſit occultum, neque facultatem utendi Ordine impediat, ut ſunt pudenda . . . . quamvis quis ſibi non abſcindat, ſed alius ſua culpa; quia juſſit aut rogavit; aut quia rei illicitæ dans operam id caſu perdidit . . . aut in pœnam alicujus delicti ab inimicis fuit illi abſciſſum. Pontas.*

CASUS CVIII. Helvidius in hæreſi natus per viginti annos in ea vixit. Tandem autem converſus, & ab Epiſcopo ſuo tam ab hæreſi quam ab aliis peccatis abſolutus ad presbyteratum aſpirat. Manetne irregularis etiam poſt converſionem ſuam? Num pro diſpenſatione recurrendum erit ad Papam?

℟. Certum eſt, quod hæreſis occulta non inducat irregularitatem; quia, ut loquitur Concilium Tridentinum Seſſ. 24. c. 1. *Eccleſia de occultis non judicat.* Itaque ſolum quæſtio eſt de hæreſi manifeſtata ſigno externo. Et circa hoc ipſum Authores in varias abeunt ſententias. Sunt, qui dicunt, hæreticos præciſe ratione hæreſis non fieri irregulares; niſi in locis, ubi hæreſis inducit infamiam, vel quando quis eſt declaratus pro hæretico per ſententiam, vel denique quando Clericus in hæreſi exercet actum Ordinis non obſtante excommunicatione, qua ligatur. Sunt autem etiam alii, qui hæreticos omnes ſubiiciunt irregularitati, & ita quidem, ut ab ea ſolus Papa poſſit diſpenſare. In hac opinionum varietate inſiſtendum regulæ a Bonifacio VIII. traditæ, quod ſcilicet irregularitas non incurratur niſi in caſibus a jure expreſſis. *Pontas.*

No-

Nota. In Germania, cum Lutheraniſmus & Calviniſmus certe non inducant infamiam, nec irregularitatem inducere videntur; & ſi eam quoque inducerent, poſt impertitam ab Epiſcopo abſolutionem ab hæreſi omnis etiam ſublata cenſetur irregularitas, ita ut converſus ad fidem catholicam, ſi aliud nil obſtet, admitti poſſit ad Ordines; quin opus ſit pro diſpenſatione recurrere ad Papam: ſublata enim cauſa tollitur etiam effectus.

CASUS CIX. Guillelmus ſuſcepturus Ordines ab aliis intelligit, ſe eſſe irregularem, utpote genitum ex patre Calviniſta. An reapſe ob hanc rationem irregularis eſt?

℟. Denuo hac ſuper re altercantur Authores. Dimiſſis illis, qui odioſam irregularitatem juſtos ultra limites extendunt, Sairus in theſauro L. 6. *de cenſuris*. c. 10. n. 40. ubi Navarrum irregularitati patrocinantem refellit, ſic ſcribit: *Nemo dicendus eſt irregularis, niſi in jure ſit expreſſum; non eſt autem in jure expreſſum, hujusmodi filios eſſe irregulares. Et hujus ſententiæ eſt Toletus L. 1. c. 25. Quod ſi dicas, eſſe infames & eo ipſo irregulares, hoc non valet; quia, licet reputentur infames ad officia publica, non tamen inde ſequitur, eſſe inhabiles ad Ordines; quia infames, qui ob infamiam irregulares habentur, ſunt illi, qui ex proprio delicto in jure dicuntur infames vel jure vel facto.* Huic opinioni adſtipulandum & dicendum videtur, Guillelmum non eſſe irregularem, ac poſſe admitti ad Ordines absque diſpenſatione. *Pontas.*

Nota. In Gallia certe non reputatur irregularis. Quoad Germaniam vide *Notam* ad caſum præcedentem.

CASUS CX. Valerius Joannæ maritus profectus in regionem longinquam vivente adhuc ſua uxore duxit aliam. An eſt irregularis? Aut ſi mortua ſua uxore contraxiſſet matrimonium invalidum. An & in hoc caſu irregularis foret?

℟. In primo caſu irregularis eſt. Foret quoque irregularis in ſecundo caſu, ſi conſummato primo matrimonio valido conſummaſſet etiam ſecundum invalidum *affectu conjugali*: in tali enim caſu interveniret bigamia interpretativa. *Cum hujuscemodi Clericis*, inquit Innocentius III. Cap. *Nuper*. 4. Lib. 1. Tit. 21. *qui, quantum in ipſis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat diſpenſari, licet in veritate bigami non exiſtant, non propter ſacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto.* Ex quibus verbis perſpicue eruitur, Pontificem in hoc magis reſpicere ad intentionem, quam ad actionem ipſam, irregularitatemque principaliter non tam induci

ex

ex actione ipſa, quam ex eo, quod fiat *animo conjugali*. Unde fit, quod declaret, eum nullam incurrere bigamiam, qui peccat cum pluribus concubinis. *Pontas.*

CASUS CXI. Pierius duas ſucceſſive duxit uxores; ſed cum prima ipſo nuptiarum die obierit, tantum cum ſecunda conſummavit matrimonium. Eſtne bigamus, & conſequenter irregularis?

℞. Non eſt bigamus, & hinc nec irregularis. Ratio eſt, quam allegat S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. quia bigamia non inducit irregularitatem, niſi dum impedit, ne matrimonium Chriſtiani repræſentet conjunctionem Chriſti cum ſua eccleſia, *conjunctionem* ſcilicet, *quæ eſt unius ad unam*: non impeditur autem hæc ſignificatio, niſi per duo matrimonia conſummata. *Pontas.*

CASUS CXII. Arnaldus gentilis primam uxorem habuit Sophiam; poſt cujus obitum converſus ad fidem catholicam duxit Magdalenam. Eſtne bigamus, adeoque irregularis?

℞. Per ſecundum matrimonium fit omnino bigamus & irregularis: Baptiſmus enim inſtitutus eſt ad remittenda peccata quoad reatum culpæ ac pœnæ; cum vero bigamia nec ſit peccatum nec pœna peccati, per Baptiſmum non tollitur. *Baptiſmus ſolvit culpas, & non ſolvit conjugia*, inquit S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3. art. 2. *Unde cum ex ipſo conjugio ſequatur irregularitas, per Baptiſmum ſolvi non poteſt.* Idem ſentiunt S. Innocentius I. S. Ambroſius & S. Auguſtinus cum eccleſia latina; licet S. Hieronymus morem eccleſiæ Græcæ ſecutus oppoſitum teneat. *Pontas.*

CASUS CXIII. Simeon duxit puellam ab alio jam defloratam: aut viduam, quam virginem eſſe exiſtimabat; & eam certe non duxiſſet, ſi defloratam aut viduam eſſe ſciviſſet. An habendus eſt pro bigamo, non obſtante ſuo errore?

℞. Indubitatum eſt, Simeonem eſſe bigamum & irregularem: verum enim eſt, dari in illo *defectum Sacramenti*, & abeſſe ſymbolum unionis Chriſti cum eccleſia. Inutilis eſt allegatio ignorantiæ; quia hic non agitur de peccato aut pœna, ſed ſolum de defectu, qui ſemper perſeverat eſſe defectus, quomodocumque conſtituta fuerit voluntas. Sic conformiter ad antiquos Canones docet S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 5. ad 3. *Pontas.*

CASUS CXIV. Amphilochius duxit Monegundam, quam alius vi oppreſſerat, cui abſolute reſiſtere non poterat. Eſtne irregularis?

℞. Eſt

℞. Eſt irregularis ex bigamia interpretativa, quam incurrit ob defectum ſignificationis Sacramenti, ut denuo cum S. Auguſtino docet S. Thomas in 4. diſt. 33. q. 3. art. 1. ad 7. Nec Concilia, nec Canones, nec Patres quoad irregularitatem unquam diſtinxerunt inter conjugium cum voluntarie fornicante & violenter oppreſſa initum. Ita communiter quoque ſentiunt Theologi & Canoniſtæ *Pontas.*

CASUS CXV. Rogerius ſcit adulterium ab uxore ſua commiſſum; ſed id ei condonat, & ut antea conjugale ab ea petit debitum. An irregularis eſt, ita ut mortua uxore non poſſit admitti ad ſacros Ordines?

℞. Eſt irregularis ex eadem ratione, ſcilicet ob defectum ſymbolicæ ſignificationis unionis Chriſti cum Eccleſia. *Quia hic non quæritur, quid ſit peccatum, ſed ſignificatio tantum,* ait S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 4. *Pontas.*

CASUS CXVI. Petrus duxit puellam, cum qua prius carnaliter peccavit. An propterea bigamus, ac conſequenter irregularis eſt?

℞. S. Thomas in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 2. eandem proponit quæſtionem, & dicit, diverſas deſuper dari opiniones; probabilius tamen eſſe, quod non ſit bigamus, nec proinde irregularis; *quia*, ut ait, *carnem ſuam non diviſit in plures. Pontas.*

CASUS CXVII. Caſsius poſt ſuſceptum presbyteratum, vel poſt emiſſam ſolemnem profeſſionem Religionis, in remota provincia duxit puellam virginem. An contraxit irregularitatem ex bigamia, quæ dicitur ſimilitudinaria?

℞. Proprie loquendo non contraxit veram irregularitatem; cum ipſius matrimonium abſolute nullum ſit ob impedimentum dirimens Ordinis vel profeſſionis Religioſæ: eſt tamen irregularis ob bigamiam, quæ vocatur ſimilitudinaria; quia Clerici per votum caſtitatis Ordinibus ſacris annexum & Religioſi per profeſſionem quaſi connubium ſpirituale cum Deo contrahunt, ut patet ex Concilio Ancyrano Can. *Quotquot.* 24. cauſ. 27. q. 1. ac ex Innocentio III. Cap. *Nuper.* 4. Lib. 1. Tit. 21. Hæc bigamia ſimilitudinaria potius cenſetur provenire ex delicto quam ex defectu; cum ea ſit conjuncta cum graviſſimo peccato ac enormi ſcandalo. Si Clerici tantum in minoribus conſtituti contrahant matrimonium, non fiunt irregulares; eo quod non intercedat connubium ſpirituale inter ipſos & Chriſtum. Si autem Clerici in ſacris conſtituti aut Religioſi eo malitiæ deveniant, ut cum concubina commercium ineant, non tam ut bigami quam ut ſacrilegi concubinarii tractandi ſunt, *Pontas.*

CASUS CXVIII. Vitalis diœceſis Ratisbonenſis duxit Fulviam civis Tridentini filiam, quam tamen, cum parum pudice verſatam fuiſſe ex rumore publico didiciſſet, ipſo nuptiarum die reliquit, ac in ſuam diœceſin ſe recepit, ibique ſtatum eccleſiaſticum amplexus ſucceſſive presbyter ordinatus eſt. Aſt elapſis ſex menſibus ad Fulviam rediens cum ea conſummavit matrimonium, ac ex eo ſuſcepit filium Alexandrum nomine. Hic ipſe filius, cum poſtea ad clericatum aſpiraret, percipit a Religioſo, cui tota rei ſeries cognita erat, ſe eſſe illegitimum, ac proin ad recipiendos Ordines irregularem. Verum Alexander his inſuperhabitis ſuſcipit ſubdiaconatum; quin diſpenſationem petierit. Eſtne Alexander irregularis? An peccavit ſuſcipiendo Ordinem?

℞. 1. Matrimonium ratum duntaxat & necdum conſummatum non poteſt diſſolvi receptione ſacrorum Ordinum, ſed tantum profeſſione ſolemni Religionis. 2. Qui ſacros recepit Ordines absque conſenſu uxoris ſuæ, tenetur in conſcientia redire ad eam, ſi ipſa id petat; nec intereſt, ſive matrimonium fuerit conſummatum ſive non; niſi ingrediatur Religionem, ac in ea profeſſionem ſolemnem emittat. 3. Nemo irregularis dicendus eſt extra caſus in jure expreſſos juxta illud: *Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent.* 4. Denique Canones ſolos illegitimos declarant irregulares ob defectum natalium, non vero illos, qui nati ſunt ex matrimonio legitimo. His prænotatis dicendum, quod Alexander non ſit pro illegitimo habendus, conſequenter nec etiam pro irregulari; cum natus ſit ex matrimonio valido ac legitimo: imo pater ipſius etiam per cenſuras potuiſſet compelli, ut rediret ad uxorem, matrimoniumque conſummaret, ſi ea petiiſſet, & ille ſolemnem Religionis profeſſionem emittere noluiſſet. Hinc, cum in hoc caſu jus nullam ſtatuit irregularitatem, Alexander tuta conſcientia Ordines ſuſcipere absque omni diſpenſatione potuit. *Pontas.*

CASUS CXIX. Henricus a prima infantia in brephotropheo nutritus ac educatus eſt; & acta hujus domus teſtantur, illum ex eorum numero eſſe puerorum, qui expoſiti inventi ſunt. Hinc quærit, an non pro illegitimo ac ideo irregulari habendus ſit.

℞. Duæ dantur hac ſuper re opiniones; ea autem præferenda videtur, quæ Henricum cenſet eſſe illegitimum conformiter ad regulam juris; *in obſcuris, quod veriſimilius eſt, attenditur.* Veriſimilius ſane eſt, eum, expoſititius cum ſit, eſſe illegitimum. *Pontas.*

CA-

CASUS CXX. Bertrandus eſt illegitimus, Joannes damnatus eſt ad triremes, & Jacobus ad virgas & perpetuum exilium. An quilibet eorum irregularis eſt?

℟. Juxta S. Thomam in 4. diſt. 25. q. 2. art.2. quæſtiunc. 3. C. quilibet irregularis eſt: nam omnes recepturi Ordines debent eſſe bonæ famæ in publico, & immunes ab omni infamia ſive juris ſive facti. Obſervandum tamen, infamiam *facti*, quæ notorietate criminis enormis commiſſi incurritur, ceſſare emendatione publica ac notoria; infamiam vero *juris* non ceſſare niſi per diſpenſationem Papæ, vel per canonicam criminum, propter quæ quis damnatus eſt, purgationem. *Pontas.*

Nota. Innocens quoque, ex depoſitione falſorum teſtium infamia notatus, eſt incapax ad Ordines, Beneficia ac Jurisdictionem eccleſiaſticam, debetque ſe gerere pro irregulari in foro externo, uſquedum ſuam probaverit innocentiam, & abſolutus fuerit a judice, a quo antea condemnatus fuerat. C. A.

CASUS CXXI. Reinerius annum modo agens vigeſimum primum ætatis, ab octodecim menſibus jam ſexies morbo epileptico ſeu caduco correptus, nunc vero a tribus jam menſibus ab eo liber exiſtit. Poteſtne absque peccato ad Ordines accedere?

℟. Absque peccato non poteſt recipere Ordines; nam juxta Can. *Communiter.* 3. diſt. 33. epileptici non minus irregulares ſunt, quam lunatici, & a dæmone poſſeſſi aut obſeſſi. Obſervat tamen Cabaſſutius L. 5. c. 19. n. 8. epilepſiam non impedire clericatum in iis, qui hoc malo tantum vexabantur in infantia ſeu infra annum ætatis decimum quartum, nullum autem a pluribus annis poſt adeptam pubertatem ejusdem amplius indicium adverterunt; quia ex opinione inſignium medicorum tam in pueris quam in puellis hoc malum ſolet ceſſare, dum pubertatem attingunt. *Pontas.*

CASUS CXXII. Sulpitius ter correptus eſt morbo caduco, prima vice anno duodecimo, ſecunda anno vigeſimo ſecundo, & tertia vice anno ætatis vigeſimo quinto: hoc non obſtante recepit inito prius cum viris doctis ac prudentibus conſilio ſubdiaconatum & diaconatum. Potuitne recipere hos Ordines absque peccato? Si irregularitatem inincurrit, an ipſius peccatum eſt mortale. Item ſi jam per decem annos ab hac infirmitate liberum ſe ſenſit, num etiam presbyteratum recipere poterit absque diſpenſatione?

℟. 1. Cum Sulpitius ob epilepſin vere irregularis fuerit, & tamen Ordines receperit, haud dubie in caſu propoſito peccavit. Quia tamen ita egit de conſilio virorum pe-

ritorum, ſicque bona fide recepit Ordines, non cenſendus eſt peccaſſe mortaliter. 2. Non poteſt recipere presbyteratum, nec Ordinis jam ſuſcepti peragere miniſterium absque diſpenſatione, quæ, ſi res eſt occulta, in Pœnitentiaria; ſi vero eſt notoria, in Dataria peti debet. 3. Quodſi presbyteratum jam ſuſcepiſſet in eo ſtatu, in quo ex caſu eſſe ſupponitur, & per decennium jam ab omni affectu epileptico immunis extitiſſet, poſſet obtenta prius diſpenſatione licite celebrare; cum epilepſis ſit malum, difficulter quidem, non tamen abſolute & ex ſua natura incurabile. *Pontas.*

CASUS CXXIII. Theophilus presbyter a ſex menſibus ſentit affectus epilepticos. An tuta conſcientia poterit celebrare miſſam?

℞. Si frequenter hac infirmitate corriperetur, non poſſet ipſi concedi celebratio miſſæ, ut declarat Alexander II. Can. *In tuis.* 1. cauſ. 7. q. 2. Si vero id raro contingat, poterit celebrare. S. Antoninus part. 3. Summ. Theol. Tit. 28. c. 5. exiſtimat, ejusmodi epilepticos, etſi raro cadant, ſi tamen ſpumam ex ore projicere ſolent, omnino a celebratione miſſæ arcendos eſſe. Genettus Theol. mor. tom. 3. tr. 5. c. 2. q. 4. putat, caſum hunc epilepticum dici poſſe frequentem, ſi ſingulis menſibus ſemel accidat; non autem frequentem, ſi tantum ſemel aut bis per annum contingat. *Pontas.*

NOTA. Si infirmitas hæc ſit notoria, & judicio medicorum vere epileptica, etſi quis per annum vel ſemel ea corriperetur, talis vel non ordinandus videtur, vel, ſi jam ſit ordinatus, ad publicam miſſæ celebrationem in eccleſia præſente populo nunquam admittendus; tum ne exponatur ſacrificium periculo irreverentiæ, tum ne offendatur populus, cui morbus caducus alias jam ſummo horrori eſt. *Epilepſia*, ait Hypocrates aphor, 7. ſect. 5. *ante pubertatem amotionem recipit; poſt vigeſimum vero quintum annum fere comitatur ad mortem usque.*

CASUS CXXIV. Enguerandus presbyter ſeptuaginta octo annorum capitis vertigine laborans, tantam exinde mentis abalienationem debilitatemque memoriæ paſſus eſt, ut in feſto S. Petri celebrata miſſa, perſolutaque gratiarum actione vertigine correptus; ea tamen brevi diſcuſsa ſecundo ad altare acceſſerit, & denuo miſſam celebraverit, primæ celebrationis penitus oblitus. Eſtne irregularis, ita ut deinceps celebrare non poſſit?

℞. Non eſt irregularis; quia id in jure nuſpiam exprimitur. Si tamen ob dictas vertigines conſtituatur in impotentia celebrandi absque periculo committendi irreverentiam,

tiam, juxta S. Thomam 3. part. Summ. q. 12. art. 10. ad 3. tenetur abſtinere a celebratione miſſæ. *Pontas.*

CASUS CXXV. Eupolemus per tres aut quatuor annos concubinarius fuit notorius ac inſuper commiſit crimen pariter notorium ac adeo grave, ut, ſi ſacerdos illud commiſiſſet, depoſitionis ac degradationis pœnam incurreret. Peſſima ipſius vivendi ratio publice notoria eſt. Verum ſinceram egit pœnitentiam, & brevi poſt ſubdiaconatum recepit. An non irregularis cenſendus eſt ex infamia? Num potuit recipere hunc Ordinem absque diſpenſatione?

℟. Authores hac ſuper re adeo diſcrepant, ut certi quid ſtatui haud poſſit. In Gallia alia irregularitas ex delicto notorio non recipitur, niſi interveniat ſententia juridica, quæ declaret peccatum notorium; & quoad peccata, quæ in jure dicuntur atrocia ac enormia, inter ea non numeratur ſimplex concubinatus. Hinc S. Beuve Tom. 3. Caſ. 115. exiſtimat, Eupolemum diſpenſatione haud indiguiſſe, ſi alias requiſitas dotes habuerit, & Epiſcopo de perverſa ipſius vivendi ratione edocto ob legitima motiva viſum fuerit eum admittere ad Ordines: ſi tamen, ut idem Author addit, poſſibile eſt in ejusmodi caſu dare poſſe rationes, quæ determinent Epiſcopum ad exhibendam hanc indulgentiam. *Pontas.*

Nota. Ejusmodi conſuetudinarius, etſi converſus videatur, non tamen ad Ordines admitti poſſe videatur citra grave præjudicium & inſigne dedecus totius ſtatus clericalis non minus, quam publicum & generale ſcandalum populi: natura enim recurrit, maxime ſi lactet occaſio; aut certe pravis moribus prava principia perpetuo inhærere ſolent.

CASUS CXXVI. Robertus frater converſus in quodam religioſo Ordine linguæ latinæ omnino inſcius occaſionem nactus eſt recipiendi omnes ſacros Ordines; quamvis ex defectu capacitatis prorſus inhabilis ſit ad eorum functiones obeundas. Eſtne irregularis?

℟. Dubium non eſt, Robertum ob notabilem adeo ignorantiam eſſe irregularem, eumque tuta conſcientia non poſſe exercere actus Ordinum receptorum ſine prævia diſpenſatione, ut docet Navarrus Manual. c. 27. n. 105. Hæc ipſa autem diſpenſatio legitime ipſi concedi haud poterit, niſi debitam ſibi prius comparaverit ſcientiam. *Illiteratos*, inquit Gelaſius Papa Can. *Illiteratos*. 1. diſt. 36. *nullus præſumat ad clericatus Ordinem promovere; quia literis carens ſacris non poteſt eſſe aptus officiis.* Si tamen ignorantia Roberti non foret tanta, ut eum prorſus ineptum faciat ad exercitium Ordinum, non foret quidem irregularis, nec indigeret diſpen-

ſpenſatione ad eorum exercitium ; certum tamen eſt, quod mortaliter peccaverit recipiendo Ordines absque requiſita a canonibus ſcientia, ſaltem abſolute neceſſaria. *Pontas.* Vide caſ. 135.

CASUS CXXVII. Bonifacius acolythus ad recipiendum ſubdiaconatum admiſſus, ſeſe ingeſſit in claſſem recipientium diaconatum, & cum iis ordinatus eſt diaconus. An irregularitatem incurrit ? Poteſtne in proxima ordinatione recipere ſubdiaconatum ?

℟. Quamvis iſte acolythus graviſſime peccaverit, non tamen incurrit irregularitatem, ſed tantum ſuſpenſionem. *Charitati tuæ mandamus*, ſcribit Alexander II. ad quemdam Epiſcopum in ſimili cauſa in Can. *Sollicitudo.* unic. diſt. 52. *ut ab officio ſacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio ſubdiaconatus miniſterium ſibi rite imponas, & ſic deinceps ad majora officia eum redire concedas.* Quæ verba manifeſte de ſola ſuſpenſione, non vero de irregularitate intelligenda eſſe videntur. Verum ſi Bonifacius diaconatus per ſaltum recepti munia obiiſſet, antequam ab Epiſcopo ſuo abſolutus fuiſſet a ſuſpenſione, ob violationem cenſuræ irregularitatem incurriſſet, ut cum Navarro advertit Author Conferentiarum Lucionenſium tom. 7. Conf. 19. q. 2. *Pontas.*

CASUS CXXVIII. Morillus presbyter nominatus eſt a Rege ad quemdam Decanatum vi indulti Regi a Papa conceſſi. Cum vero a Curia Romana obtinere non poſſet literas proviſorias, obtinuit a ſupremo Conſilio decretum, quo, ut jus ſuum conſervaret, ipſi dabatur facultas poſſeſſionem Beneficii adeundi, addita obligatione, ut intra ſex menſes Roma proviſionem ſibi compararet. Hoc decreto munitus ſe ſiſtit Capitulo, a quo etiam in conſideratione natalium, ac peculiarium meritorum ſuorum admiſſus eſt in poſſeſſionem Decanatus, ita ut omnes functiones dignitati ſuæ annexas exercere poſſet. An Morillus habendus eſt pro intruſo in Beneficium, adeoque pro irregulari ? Et hoc conceſſo an non Capitulum tenetur ipſi interdicere celebrationem miſſæ collegialis ?

℟. Certum eſt, Morillum, utpote canonice non inſtitutum, non potuiſſe tuta conſcientia exercere functiones dignitatis ſuæ. *Beneficium eccleſiaſticum*, ait Bonifacius VIII. *De regulis juris.* Reg. 1. in 6. *non poteſt licite ſine inſtitutione canonica obtineri.* Hinc cum actus ejusmodi exercuerit, irregularitatem incurrit ; quia juxta decretum Concilii Londinenſis de anno 1268. Can. 10. ob intruſionem ſuam jam prius ſibi contraxit ſuſpenſionem ab Officio & Beneficio.

Capi-

Capitulum igitur tenetur illum arcere a celebratione miſſæ collegialis, & ab omnibus functionibus Decanatui annexis, donec legitime fuerit rehabilitatus. *Pontas.*

CASUS CXXIX. Bonaventura excommunicatus denunciatus in eccleſia fuit ſepultus; & tamen Bernardus parochus in ea celebravit miſſam, & quidem in præſentia viri, quem notorie excommunicatum probe noverat. An non ob duplex hoc peccatum irregulariratem incurrit parochus?

℟. Peccavit quidem enormiter agendo contra prohibitionem Eccleſiæ in re maximi momenti; non tamen irregularitatem incurrit. *Is, qui in eccleſia ſanguinis aut ſeminis effuſione polluta*, ait Bonifacius VIII. Cap. *Is qui.* 18. Lib. 5. Tit. 11. in 6. *vel qui præſentibus majori excommunicatione nodatis ſcienter celebrare præſumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen, cum id non ſit expreſſum in jure, laqueum non incurrit.* Glosſa in cit. cap. obſervat, illum, qui celebrat præſente notorie excommunicato, ſolum incurrere ſuſpenſionem, ita ut ipſi non amplius celebrare liceat. Si igitur Bernardus durante ſuſpenſione celebravit, in irregularitatem delapſus eſt. *Pontas.*

CASUS CXXX. Lælius tam vehementi de recepto Baptiſmo ſcrupulo agitabatur, ut denuo baptizandum ſe curaverit; idque non ex alio fundamento, niſi quod audiverit ab incolis loci nativitatis ſuæ, eos ab aliis intellexiſſe, quod Lælius baptizatus non ſit; huicque vagæ aſſertioni aquievit absque ulteriori inquiſitione. An Lælius non incurrit irregularitatem? Nunquid & baptizans illum ex fundamento adeo tenui eandem incurrit?

℟. Lælius pro irregulari habendus eſt. *Qui bis ignoranter baptizati ſunt,* ait Can. *Qui bis.* 117. de Confecr. diſt. 4. *non indigent pro eo pœnitere; niſi quod ſecundum canones ordinari non poſſunt, niſi magna aliqua neceſſitas cogat. Qui autem non ignari iterum baptizati ſunt, quaſi iterum cruciſixerint Chriſtum, per ſeptem annos pœniteant.* Lælius debuiſſet prius in rei veritatem inquirere, ac adhibere conſilium virorum doctorum, & non ex leviſſimo dubio denuo recipere Sacramentum de ſe initerabile. Eandem irregularitatem incurrit quoque baptizans juxta Navarrum Manual. c. 27. n. 246. & plures alios. *Pontas.*

CASUS CXXXI. Firminus parochus frequenter ſub conditione baptizat infantes jam domi baptizatos ab obſtetricibus, cum periculum vitæ timeretur. Peccavitne, aut num etiam irregularitatem incurrit?

℟. Catechiſmus Romanus Part. 2. cap. 2. de Baptiſ. q. 43. eos quidem irregulares eſſe docet, qui ſub conditione bap-

tizant infantes, quos in caſu urgentis neceſſitatis ab obſtetrice aut ab alio quopiam baptizatos eſſe norunt: non tamen videtur, huic ſententiæ ſubſcribi poſſe; quia baptizans ſub conditione habet formalem ac expreſſam intentionem præcavendi, ne infans bis recipiat Baptiſmum; declaratque, ſe nolle hac ſua actione, quam peragit, altera vice conferre Sacramentum in caſu, quo jam vere collatum fuerit. Non poteſt exhiberi ullus canon aut decretalis, quibus irregularis declaretur is, qui Baptiſmum ſub conditione reiterat, ſive id fiat bona fide, ſive per ignorantiam, ſive etiam ex propoſito. Et certe, qui baptizat ſub conditione ab Alexandro III. præſcripta, *ſi baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi non es baptizatus, ego te baptizo*, non poteſt dici, vere reiterare Sacramentum, dum potius e contrario per priora verba expreſse denotat, poſitivam ſuam intentionem eſſe ſecunda vice non conferendi Sacramentum. Negari tamen non poteſt, graviter peccaſſe Firminum ſub conditione reiterando Baptiſmum absque ulla prius facta inquiſitione de valore aut nullitate Baptiſmi ab obſtetrice collati. *Pontas.*

Nota. Quod Baptiſmus ſtante prudenti ac rationabili dubio, non mera ac inani apprehenſione de ejusdem valore, non ſolum licite poſſit, ſed etiam neceſſario debeat ſub conditione iterari, indubitatum jam eſt. Ipſe BenedictusXIV. *de Synodo* L.7, c. 6. ſolum improbat conſuetudinem *generatim ac indiſtincte* ſub conditione rebaptizandi omnes, qui domi fuere privatim baptizati ab obſtetricibus. Ruri ſane raro admodum ſufficiens certitudo haberi poteſt de rite collato Baptiſmo ab obſtetricibus, quæ, licet ritum baptizandi optime edoctæ, plerumque tamen in ſiniſtris puerperiis timidæ ac parum animoſæ hærent ipſæmet, utrum rem bene peregerint, interrogatæ; id quod experti teſtantur parochi rurales. Hinc haud abs re ſcribit Carolus Musart in Manuali parochorum 1652. Viennæ edito, & 1713. cum nova eaque inſigni approbatione Auguſtæ recuſo part. 2. cap. 2. n. 4. *Deprehenſum eſt, non modo ab aliis rudioribus, ſed etiam ab obſtetricibus peccari in baptizandis infantibus, quod multa, quæ neceſſaria ſunt, ignorent, quod non nullæ inſtinctu dæmonis, aut quod res ſacras minus æſtiment, in neceſſariis errarint: accedit præterea in repentinis illis caſibus tanta perturbatio, ut multa tumultuarie & confuse agantur etiam a peritis; & obſtetrices quidem, etſi poſtea videant ſe erraſſe, mentiri poſſent parocho, ne de male acto negotio acrius reprehendantur. Ob has cauſas & exempla, quæ errorem non raro demonſtrarunt, bonorum Authorum ſententia fecit, ut multis in locis baptizati ab ejusmodi hominibus rebaptizentur ſub conditione; idque ut fiat, præſcribit Paſtorale Paſsavienſe, & multi ſapienter uſurpant. Si jam adulti fuerint, fieri poterit privatim. Author ſum, ut ſequaris, niſi de prioris Baptiſmi valore tibi plane conſtet.* De irregularitate rebaptizantis ſub conditione nuspiam vel verbulum, nec in ipſo Schneidenbachio authore nuperrimo, conditionibus adjectis in adminiſtratione Sacramentorum inſenſiſſimo.

CA-

CASUS CXXXII. Minutius bis ſuſcepit & Sacramentum Confirmationis & Ordinem diaconatus. Eſtne irregularis?

℟. Non eſt habendus pro irregulari: in toto enim corpore juris non exſtat ullus canon aut ulla decretalis, quæ irregularitatem ſtatuat in eum, qui bis recepit Confirmationem aut ſacros Ordines. Hinc, cum verſemur in materia odioſa, ſine claro textu juris irregularitas aſſerenda non eſt juxta illud Bonifacii VIII. *Odia reſtringi convenit*, & illud juris Romani: *In pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt. Pontas.*

CASUS CXXXIII. Chryſoſtomus ærario publico præfectus necdum rationes ſuas depoſuit, & tamen ad recipiendum ſubdiaconatum ſe ſtitit; &, cum celaſſet, ſe deponendis ratiociniis eſſe obligatum, ordinatus eſt. Potuitne ordinari absque peccato? An incurrit irregularitatem?

℟. Omnes ratiociniis obligati irregulares ſunt, & absque peccato ſacros non poſſunt recipere Ordines; unde ſequitur, Chryſoſtomum in caſu propoſito a peccato excuſari haud poſſe. Ita Concilium Carthaginenſe I. Cap. *Magnus.* unic. Lib. 1. Tit. 19. Datur tamen magnum diſcrimen inter obligatos ad ratiocinia publica & privata: illi enim etiam juxta leges Imperatorias abſolute non poſſunt ad Clericatum promoveri, niſi prius a ratiociniis abſoluti fuerint, ut habetur Leg. *Officiales.* 4. Cod. Lib. 1. Tit. 3. Quod autem attinet obligatos ad ratiocinia privata, diſtinguendum eſt: *Si publica ſint ratiocinia*, ait Gloſſa in cit. Cap. *Magnus.* V. *Ratiocinia. promoveri non debet* (obligatus) *ante redditam rationem .... Si vero privata, aut in ipſa promotione movetur ſibi quæſtio, aut non. Si movetur, aut prius mota eſt, diſtinguitur. Aut convenitur de dolo, vel de culpa tantum; ſi de dolo, vel perfidia, non debet ante finem litis promoveri .... Si de culpa tantum convenitur, promoveri poteſt, non obſtante reclamatione creditoris, cum lis ſua morte currere poſſit ut prius .... Si vero nec lis ſibi movetur, nec mota eſt, non obſtante obligatione promovetur, niſi manifeſtum ſit, ipſum de dolo teneri: tunc enim Epiſcopus ex officio ſuo repellere poteſt.* Excipiuntur ab hac regula generali œconomi Epiſcoporum, & qui ex mera charitate adminiſtranda ſuſcipiunt bona viduarum, pupillorum, aliarumque perſonarum miſerabilium omni alia ope deſtitutarum. *Pontas.*

CASUS CXXXIV. Oneſimus irregularis ex homicidio & ex defectu natalium ſolemnem in quodam monaſterio profeſſionem emiſit. Tolliturne per hoc ipſius irregularitas, ita ut ad presbyteratum, vel dignitatem, aut ad prælaturam regularem promoveri poſſit absque diſpenſatione?

 ℟. Pro-

℞. Profeſſio ſolemnis Religionis tollit quidem irregularitatem ex defectu natalium in ordine ad receptionem Ordinum, quin diſpenſatione opus ſit ad eos recipiendos; non autem in ordine ad Prælaturas regulares aut alias dignitates, ad quas conſequendas neceſſaria eſt diſpenſatio Papæ, ut ſtatuitur in Concilio Pictavienſi relato in Cap. *Ut filii.* 1. Lib. 1. Tit. 17. Quod attinet irregularitatem ex delicto, ſolemnis profeſſio non operatur eundem effectum. *Irregularitas illa, quæ conſurgit ex proprio delicto*, ait Gloſſa in Cap. *Ex literarum.* 2. Lib. 5. Tit. 9. V. *Religionis. non tollitur per ingreſſum Religionis; ſed favore Religionis cum eo diſpenſatur. Pontas.*

CASUS CXXXV. Sacerdos quidam habens ſimplex Beneficium linguæ latinæ adeo imperitus eſt, ut ne quidem novum teſtamentum explicare ſciat; imo & doctrinam de Sacramentis licet communiſſimam ac tritiſſimam vix non penitus ignorat. Eſtne irregularis?

℞. Irregularitatem quidem non incurrit; graviſſime tamen coram Deo peccavit ſuſcipiendo ſacros Ordines ſtante tam enormi ignorantia in Clerico haud tolerabili. Et hinc a celebratione miſſæ abſtinere debet, donec ea didicerit, quæ ſacerdotem vel maxime ſcire oportet. *De Lamet.*

Nota Confer hanc reſponſionem cum reſponſione ad caſ. 126., & eas haud cohærere advertes. Si tam enormis defectus ſcientiæ abſolute neceſſariæ, etiam in ſimplici Beneficiato, non inducat irregularitatem, de honeſtate ſtatus clericalis actum erit.

CASUS CXXXVI. Camillus parochus ob varias violentias & rixas ad hanc pœnam condemnatus eſt, ut ſcilicet per aliquot dies jejunet, ac in quamdam communitatem ſe recipiat, ibique per dies quindecim ſpiritualia exercitia obeat, ac duabus hebdomadis ab omni functione Ordinum interdictus permaneat. Verum non obſtante hac ſententia ſibi promulgata & toti parochiæ nota, die quodam feſto publice celebravit. Officialis igitur verbalem inſtituit proceſſum. Parochus autem graviora ſibi metuens adiit Superiores ſuos, ac coram illis confitetur; ſe publice quidem celebraſſe, ſed non exiſtimaſſe, ſe per hoc Eccleſiæ inobedientem exſtiturum aut irregularitatem incurſurum; eo quod latam interdicti ſententiam tantum pro comminatoria habuerit, cum in ea defuiſſet conſueta alias expreſſio ſub his verbis: *ipſo facto.* An hæc parochi excuſatio eſt legitima? An non in foro interno pro irregulari habendus eſt? Et ſi ſit irregularis, num in utroque foro abſolvere illum poteſt Epiſcopus?

℞. Ex-

℟. Excuſatio hæc frivola nequaquam haberi poteſt pro legitima: allegata enim ignorantia nimis craſſa eſt, quam ut credi poſſit, parochum bona fide egiſſe, & irregularitatem non incurriſſe, & quidem Papæ reſervatam, a qua abſolvere non poteſt Epiſcopus. A peccato inobedientiæ certiſſime excuſari non poteſt; & cum ſententia interdicti in eum lata fuerit ob delicta publica & notoria, violationem interdicti quoque notoriam fuiſſe neceſſe eſt. Habetur autem notorietas facti, quando plures perſonæ habent notitiam certam alicujus rei, ita ut hæc nulla ratione negari, nec ulla excuſatione diſſimulari poſſit; quot autem perſonis res nota eſſe debeat, ut poſſit dici notoria notorietate facti, in jure non determinatur. Cum jam in Gallia ad incurrendam pro foro externo irregularitatem Papæ reſervatam plerumque non admittatur notorietas facti, ſed requiratur notorietas juris, per ſententiam ſcilicet judicis, licet mimis ſeu *hiſtrionibus*, *uſurariis*, & *concubinariis* publice ac notorie talibus ante ſententiam judicialem ex præſcripto Ritualium diœceſanorum ex ſola notorietate facti denegetur S. Communio etſi in ægritudine conſtitutis, poterit ante ſententiam declaratoriam irregularitatis Epiſcopus diſpenſare. Hoc tamen non obſtante conſuetudo jam obtinuit, ut in ejusmodi caſu etiam in Gallia pro diſpenſatione in utroque foro Romam recurratur. *Fromageau.*

Nota. In Germania notorietas facti certe ſufficit ad hoc, ut diſpenſatio ab irregularitate non ab Epiſcopo, ſed ſolum a Papa concedi poſſit: Tridentinum enim Epiſcopis ſolum concedit poteſtatem diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum. Si delictum ſit notorium, ſive notorietate juris ſive notorietate facti, ceſſat in Epiſcopis facultas diſpenſandi.

CASUS CXXXVII. Blaſius ſacerdos integerrimæ vitæ irregularitatis inſimulatur ex defectu ſimul & ex delicto: ex defectu quidem, quia claudicat; & ex delicto, quia diaconus & presbyter ordinatus eſt acceptis literis dimiſſorialibus ab Epiſcopo non ſuo, ſed Beneficii, ad quod ſolum erat præſentatus, & necdum inſtitutus. An vere irregularis eſt?

℟. Claudicatio non inducit irregularitatem, ſi claudus conſiſtere ad altare poſſit & celebrare absque baculo. Sola autem præſentatio ad Beneficium non facit diœceſanum illius diœceſis, in qua ſitum eſt Beneficium, ſed actualis poſſeſſio Beneficii. *Statuit S. Synodus*, ait Tridentinum Seſſ. 21. c. 2. de reform. *ne quis deinceps clericus ſæcularis ad*

ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet, eum Beneficium eccleſiaſticum pacifice poſſidere. Cum igitur Blaſius ab Epiſcopo, cui ſubjectus non erat, dimiſſoriales acceperit, & intuitu earum ordinatus fuerit, ſuſpenſionem incurrit, &, ſi in ea ante obtentam abſolutionem actus Ordinum exercuit, etiam irregularitatem. *Fromageau.*

CASUS CXXXVIII. Clitus ſacerdos ac parochus ob enormia ac publica crimina per ſententiam a parochia ſua dejectus, cum injunctam ſibi pœnitentiam perſolviſſet, obtinuit Vicariatum adminiſtrandum; ſed vix in eo confirmatus impraegnavit puellam Calvinianam. Pulſus jam ex diœceſi ſua redit in locum originis ſuæ, ibique perverſiſſimam vivendi rationem continuat. Eſtne irregularis?

℞. Indubitatum prorſus eſt, ſacerdotem hunc juxta Cap. *Quæſitum.* 10. Lib. 3. Tit. 2. ipſo facto ſuſpenſum eſſe, &, quod inde conſequitur, irregularem; quia in ſuſpenſione celebravit. *Clericum notorium concubinarium*, inquit Barboſa in cit. cap. n. 17. *ſine aliqua monitione Superioris eſſe hodie, prout in veteri jure, ſuſpenſum ipſo jure ab Officio & Beneficio, ita quod ſi celebret, incurrat irregularitatem, deciſum refert Garcias.* Eandem ſententiam tuetur Comitolus L. 1. *Reſp. Mor.* q. 57. Eſt inſuper irregularis ex infamia ob notorietatem criminum, & duas ſententias condemnatorias in eum latas. Parochia aut Vicariatus de ſe pro vacantibus haberi debent. Clitus autem ad peragendam pœnitentiam toto vitæ ſuæ tempore in cuſtodiam tradendus erit. *Formageau.* Vide Caſ. 125.

CASUS CXXXIX. Vicelinus quadraginta jam abhinc annis presbyter ordinatus eſt, licet oculo canonico, ſiniſtro ſcilicet, orbatus. Nemo unquam ipſi deſuper moverat ſcrupulum; eo quod diſpenſationem obtinuiſſe crederetur: dicebat enim, ſe ab Epiſcopo N. in ipſa ordinatione oretenus diſpenſationem conſecutum fuiſſe, qua nixus abſque omni hæſitatione hucusque actus Ordinis exercuiſſet. Cum autem diſpenſatio ſolum oretenus data in foro externo non valeat, & Epiſcopus N., qui Vicelinum ordinaverat, non fuerit proprius ipſius Epiſcopus, & conſequenter diſpenſare non potuerit; cumque demum nec proprius Epiſcopus, ſed ſolus Papa in irregularitate ex defectu diſpenſare poſſit, quæritur, quid de quadragenario hoc ſacerdote agendum.

℞. Si dictus presbyter ſiniſtro oculo omnino careat, aut ejusdem uſu penitus deſtitutus ſit, ita ut non ſine indecentia ad legendum Canonem faciem in latus ſiniſtrum nimis detorquere debeat, irregularis cenſendus eſt ex defectu, & abſque

abſque diſpenſatione Romana ordinari non poteſt. Verum, *ſi careat uſu ſiniſtri*, ut ait Avila *de Cenſuris*. p. 7. diſp. 3. *ita tamen videat dextro, ut ſine indecora converſione faciei ad populum poſſit legere Canonem, ad, quod etiam juvabit adaptatio Miſſalis, non eſt irregularis.* Quod attinet diſpenſationem, cum eam Vicelinus in ſcripto exhibere non poſſit, nec Epiſcopus ſive proprius, ſive ille, a quo ordinatus eſt, eam dare potuerint, de criminis ſui gravitate monendus, & ad ſubeundam toto vitæ tempore pœnitentiam pertrahendus erit. Abſolutiones pœnitentium, quorum confeſſiones excepit, ſunt validæ, ſuppoſito, quod rite fuerit approbatus. *De Lamet.*

Nota. Sacerdoti quadragenario publice & coram populo per quadraginta annos ſacrificanti, idque ſcientibus ac videntibus Superioribus, nunquam notabilem indecentiam advertentibus ac publicam miſſæ celebrationem interdicentibus, quæſtionem movere de legitimitate ordinationis ob irregularitatem ex defectu oculi ſiniſtri, eumque ob delictum ante annos quadraginta jam inchoatum & per totidem annos nemine advertente continuatum, poſt quadraginta demum annos perpetuæ pœnitentiæ ſubjicere portentum videtur nec unquam viſum nec auditum. Præſumptio utique eſt validiſſima, defectum hunc tempore ordinationis non fuiſſe adeo notabilem, ut Vicelinus decenter obire non poſſet miniſterium ſacerdotale; quo poſito ab Epiſcopo potuit admitti ad Ordines abſque diſpenſatione Pontificia. Si jam in ſenio fors oculus etiam dexter deficiat, ita ut cum debita decentia miſſam celebrare haud poſſit, abſque ſua culpa arcendus eſt a celebratione ſaltem publica, non autem irregulariter & abſque bona fide ordinatus, irregulariterque per tot annos ſuo miniſterio functus eſſe dicendus eſt. Vide Caſ. 102. & 103.

CASUS CXL. Trudo Clericus ſæcularis ac Conſiliarius Principis quandoque cum aliis condemnat reos ad mortem aut mutilationem, ad flagellationem aut ad triremes. Eſtne irregularis?

℞. Damnatio ad flagellationem vel ad triremes non inducit irregularitatem; inducit eam autem damnatio ad mortem vel mutilationem, effectu ſecuto. *De Lamet.* Vide Caſ. 72.

CASUS CXLI. Equites Melitenſes frequenter Conſilio militari intereſſe oportet, in quò quandoque miles ad mortem damnatur. Fiuntne exinde irregulares?

℞. Non minus fiunt irregulares, ſi mortis ſententiam ferant in alios, executione ſecuta, ac ſi ipſi in bello hoſtes occidant: non enim conſtat de ſpeciali privilegio ipſis conceſſo, quo a legibus generalibus eximantur. *De Lamet.*

CA-

CASUS CXLII. Proſper ſacerdos in cauſa criminali teſtem agere compulſus eſt. An irregularitatem incurrit?

℟. Clericus non ſolum ultro ſeſe offerre non poteſt ad ferendum in cauſa ſanguinis teſtimonium; ſed & omnem adhibere conatum tenetur, ne in teſtem vocetur. Si tamen eo non obſtante compellatur agere teſtem, idque fiat additâ proteſtatione, ſe nec mortem nec mutilationem rei intendere, non ſit irregularis. *De Lamet.* vide Caſ. 58.

CASUS CXLIII. Malachias clericus in minoribus tantum die feſto in miſſa ſolemni miniſterium ſubdiaconi obiit, omnibus ornamentis ſubdiacono propriis indutus, licet inopia miniſtrorum id minime exigeret. Eſtne irregularis?

℟. Cum Malachias ſcienter, ſerio ac ſolemniter actum Ordinis ſacri exercuerit, quo necdum inſignitus erat, idque nulla urgente neceſſitate, haud dubie irregularitatem incurrit. *Si quis aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de eccleſia, & nunquam ordinetur.* Cap. *Si quis.* 1. Lib. 5. Tit. 28. Abſolvi tamen poterit ab Epiſcopo, ſi res non ſit notoria, aut ad forum contentioſum deducta. *De Lamet.* vide caſ. 84. & 86.

CASUS CXLIV. Guiraudus ſubdiaconus in Matutino cantavit lectionem ſeptimam in habitu ſuo conſueto absque omni ſolemnitate. Eſtne irregularis?

℟. Non eſt irregularis; quia eam non cantavit ex officio & ſolemniter, quod tamen ad contrahendam irregularitatem requiritur. *Nondum initiatus Ordine ſacro*, inquit Barboſa in 5. Decret. Tit. 28. n. 5. *canendo epiſtolam cum manipulo, aut evangelium cum ſtola, dicitur canere ſolemniter & ex officio. Fromageau.* vide Caſ. 84. & 86.

CASUS CXLV. Zacharias oculo dextro privatus ad Ordines aſpirat. Poteſtne admitti?

℟. Quamvis dici poſſit, eum, qui dextri oculi uſu caret, nec magnopere deformis eſt, irregularem non eſſe; id tamen dici non poteſt de eo, cui erutus eſt oculus, cujus privatio notabilem inducit deformitatem, & in eccleſia ſemper habita eſt pro defectu graviſſimo, irregularitatem inducente. Hinc Zacharias absque diſpenſatione Pontificia admitti non poteſt ad Ordines. *Fromageau.* vide Caſ. 102. & 103.

CASUS CXLVI. Rufus parochus graviter ægrotantis parochiani declarationem ſcripto exceperat, qua ægrotans falſum teſtimonium in judicio paulo ante a ſe depoſitum profitebatur. Huic declarationi ipſe parochus, ægrotans & Capellanus rogatus ſubſcripſerant. Mortuo interea parochiano Officialis rem edoctus exhiberi ſibi petit ſcriptam decla-

cla-

clarationem uſui futuram judici, qui rem necdum deciderat; id quod & ægrotus volebat ad tranquillandam conſcientiam ſuam. Cum autem parochus, qui parti adverſæ favebat, obedire renueret, ab Officiali ſuſpenſionis ſententia in eum lata eſt, donec pareret. Parochus nihilominus, interpoſita appellatione, continuat miniſterium ſuum ſacerdotale ac parochiale? Eſtne pro irregulari habendus?

℞. Parochus manet vere ſuſpenſus, donec obſequatur; & quia durante hac juſta cenſura actus Ordinis exercuit, prolapſus eſt in irregularitatem, non obſtante appellatione. *Sane ſicut excommunicatio*, ait Bonifacius VIII. Cap. *Is cui.* 20. Lib. 5. Tit. 11. in 6. *ſic ab officio vel ab ingreſſu eccleſiæ lata ſuſpenſio, aut ipſius effectus, per appellationem ſequentem minime ſuſpenduntur. De Lamet.*

CASUS CXLVII. Floridus ex nimia intenſione in ſtudiis in amentiam prolapſus eſt, ea per ſex menſes detentus. Abiit jam integrum quinquennium, ex quo nunquam amplius eo affectu correptus fuerat. Poteſtne recipere Ordines?

℞. Si aliud impedimentum non obſtet, abſque omni diſpenſatione Floridus poterit admitti ad Ordines: tranſiiſſe enim hoc malum cenſendum eſt, nullo poſt ſe relicto veſtigio. Aliud dicendum foret, ſi hic affectus per quinquennium ſubin rediiſſet, ita ut cenſeri poſſit habitualis, & fundatus in cauſa permanente ac ſtabili v. g. in læſione organorum vel humorum; ſicque timendus foret relapſus. *Fromageau*

CASUS CXLVIII. Num milites, qui interſunt præliis ſive campeſtribus ſive navalibus, aut certaminibus ſingularibus, in quibus fit effuſio ſanguinis, irregulares ſunt?

℞. Milites non fiunt irregulares ex eo, quod caſtra ſecuti ſint; ſed ex eo, quod occiderint. Imo ſi occiderunt, attendendum, an aggredientes repellendo, vel ipſi aggredientes hoſtem occiderint; in primo quoque caſu ſervatis ſervandis nulla eſſet irregularitas in bello juſto. Si autem bellum manifeſte ſit injuſtum, non ſolum occidentes & mutilantes, ſed & ii, qui occidentibus aut mutilantibus opem præſtant, etſi non ſciant, utrum ipſi quempiam occiderint aut mutilarint, irregulares fiunt. *Fromageau.* Vide Caſ. 23. 69. 70. & 71.

CASUS CXLIX. Laurentius Religioſus profeſſus ſemel tantum, & quidem jam ante triennium morbo caduco correptus fuerat; hoc tamen non obſtante de conſenſu Prælati ac totius Capituli ad recipiendum ſubdiaconatum admiſſus eſt. An non debuiſſet haberi pro irregulari?

℞. Di-

℟. Diſtinguunt Authores inter hunc morbum antecedentem & ſubſequentem ſacros Ordines; ſi receptis jam Ordinibus ſuperveniat, exiſtimant, ordinatum poſſe exercere actus Ordinis, ſi raro admodum infeſtetur hoc malo, aut omnino jam convaluit; ſi vero ante ordinationem hoc morbo correptus fuit, etſi ſemel tantum, aut jam plene convaluiſſe credatur, eum nihilominus irregularem eſſe contendunt, nec absque diſpenſatione ad Ordines admitti poſſe. *Qui patitur epilepſiam*, inquit cum pluribus aliis Navarrus Manual. c. 27. n. 263. *adeo eſt irregularis, ut ſemel hoc morbo infectus nunquam amplius poſſit ordinari, quamvis omnino ſanus appareat.* Ex quo ſequitur, Laurentium non poſſe exercere actus Ordinis recepti in ipſa irregularitate. *Fromageau.* vide Caſ. 121. 122. & 123.

CASUS CL. Eucherius presbyter una eademque Officialis ſententia ad definitum tempus ſuſpenſus, & denuo ad certum tempus in Seminarium aut domum religioſam condemnatus, ſuſpenſionis ſententiam quidem executus eſt; in Seminarium autem vel monaſterium ſe non recepit. Eſtne pro irregulari habendus, dum finito ſuſpenſionis tempore mox iterum celebravit, quamvis de licentia Epiſcopi ſui oretenus ſibi data?

℟. Si ex mente Officialis & tenore ſententiæ receptio in præfixum locum & ſuſpenſio ita conjunctæ fuerunt, ut ſenſus eſſet, Eucherium toto illo tempore, quod tranſigere deberet in Seminario, ſuſpenſum fore ab Officio, certe irregularitatem incurriſſet celebrando, antequam utrumque expleverit. Si autem hæc duo per modum diſparatorum conſiderari poterant, non quidem incurrit irregularitatem; peccavit tamen graviter ſe non recipiendo ad præfixum locum, in quo ad dignius celebrandum diſponere ſeſe debuiſſet. Nihilominus in foro externo ac contentioſo multum Eucherio negotii faceſsere poſſet Officialis, non obſtante licentia Epiſcopi oretenus data; eo quod non ſervato juris ordine celebraſſet, ante obtentam ab Officiali declarationem, quod ſententiæ paruerit, & jam denuo miniſterium ſuum ſacerdotale obire poſſit. *Fromageau.* vide Caſ. 90.

CASUS CLI. Gelaſius Superior regularis vel Religioſus privatus introducunt mulieres ac puellas in hortum monaſterii, vel omnino in ipſum Conventum & cubicula religioſorum. Fiuntne irregulares?

℟. Uterque in utroque caſu ſuſpenſionem incurrit, & ſi in eo ſtatu celebrent, irregularitatem; mulieres autem ac puellæ hortum aut conventum ingreſſæ excommunica-

tio-

tionem. Sic plures Pontifices ſtatuere, ſic Authores plerique ſentiunt. *De Lamet.*

Nota. Qui ſequuntur regulam Apoſtoli ad Philipp. 4. v. 8. nunquam dicent, conſtitutiones hasce Pontificias in Germania vel nunquam receptas, vel moraliter eſſe inobſervabiles hoc tempore, vel denique jam eſſe aboiitas; nec unquam approbabunt aut promovebunt prætenſam conſuetudinem contrariam.

CASUS CLII. Frigdianus presbyter hominem flagitioſiſſimum comprehendit, ſatellitibus tradidit, ſicque in manifeſtum vitæ amittendæ diſcrimen conjecit. An non eſt irregularis?

℟. Cum Frigdianus eum comprehenderit ex motivo juſtitiæ, publicæque ſecuritati conſulendi cauſa, nec exinde ſit cauſa proxima mortis, ad quam fors reum condemnari contigerit, non eſt irregularis. Nihilominus cum poſſit in hoc caſu intervenire dubium facti, ita ſe gerat Frigdianus oportet, ac ſi revera cenſuram incurriſſet. *Fromageau.* vide Caſ. 73.

CASUS CLIII. Papinianus juvenis manibus tractans ſclopetum, quod neſciebat oneratum, cum fortuito dictum ſclopetum ſe ipſum exoneraſſet, trajecit quamdam puellam quin vel minimum id intenderet. Eſtne irregularis?

℟. Si iſtud factum mere fuit caſuale, juvenisque nullam prorſus admiſit culpam, non eſt irrregularis. Quia tamen timendum, ne juvenis ſuo tempore ad Ordines promotus, & Beneficium conſecutus fors inquietari poſſit, ſaltem de conſilio erit, ut petat declarationem ab Epiſcopo, ſe eo caſu irregularitatem non incurriſſe. *De Lamet.* vide Caſ. 46.

Nota. Si res ſit occulta, aut per lapſum annorum oblivione jam deleta, ea declaratione ſane opus haud foret. Vide Caſ. 16.

CASUS CLIV. Romanus ſacerdos convenit reum ad triremes damnatum, &, ut ad exactam confeſſionem permoveret, indicat illi, quod ad mortem jam ſit condemnatus; quo audito reus adeo perterritus eſt, ut in inſtanti obierit. Eſtne Romanus irregularis?

℟. Peccavit ſane ſacerdos medio illicito uſus, ſcilicet mendacio, ut damnatum ad confeſſionem excitaret; irregularis tamen non eſt, quia nihil egit, quod vel phyſice vel moraliter poterat cauſare mortem rei. Immodica animi imbecillitas, non mendacium Romani, reo ſubitam mortem conciliavit. *Fromageau.*

CA-

CASUS CLV. Diodorus Religioſus profeſſus, ex patre hæretico natus, qui tamen diu ante mortem ſuam abjuravit hæreſin, quo tempore Diodorus ſolum octo aut novem ætatis annos numerabat. Indigetne Diodorus diſpenſatione ad Ordines & Beneficia?

℟. Juxta Cap. *Statutum*. 15. Lib. 5. Tit. 2. in 6. & communem Authorum ſententiam Diodorus, cujus pater ante mortem ampiexus eſt religionem catholicam, non eſt irregularis; & conſequenter diſpenſatione opus non eſt ad conſequendos Ordines ac Beneficia. *Fromageau*.

CASUS CLVI. Anianus olim militiam ſecutus, modo autem Religioſus, quem Superior proxime ad Ordines mittere cogitat, valde dubitat, an non durante bello quempiam occiderit, aut ſaltem homicidii cauſam dederit. Num cenſendus eſt irregularis?

℟. Pro irregulari habendus eſt; &, antequam Ordines recipiat, pro majori ſaltem ſecuritate neceſſe eſt, ut Romæ diſpenſationem petat; niſi ex ſpeciali privilegio Superior Ordinis diſpenſare poſſit.

Nota. Dum Tridentinum Papæ reſervavit irregularitatem ex homicidio voluntario, absque dubio intellexit irregularitatem ex homicidio *certo certe* contractam. Et hinc in irregularitate *dubia* propter homicidium *dubium* Epiſcopus videtur diſpenſare poſſe. Vide Caſ. 70.

CASUS CLVII. Servetus, ſacerdos Religioſus in duabus diæceſibus publice profeſſus eſt Calviniſmum. Poteſtne admitti ad dignitates vel Beneficia Ordinis? A quonam rehabiiitandus eſt? Poſito, quod rehabilitatio non ſit legitima ac canonica, ſuntne profeſſiones Religioſorum, quas ipſe excepit, validæ?

℟. Servetus incurrit excommunicationem, ſuſpenſionem, ac inhabilitatem ad omnia officia, dignitates ac Beneficia clauſtralia, niſi fuerit rehabilitatus; quod nec ab Epiſcopo, nec a Generali Ordinis, ſed a ſolo Papa fieri poterit; cum ejus irregularitas ſit notoria ac publica. Profeſſiones tamen, quas Religioſi in manibus ipſius depoſuerunt, ſunt validæ: etſiamſi enim rehabilitatio Serveti non fuerit legitima ac valida; profitentes tamen crediderunt, legitima ipſum poteſtate inſtructum ad profeſſionem admittendi, eamque excipiendi: haud ſecus ac confeſſiones ſunt validæ depoſitæ confeſſario irregulari, cujus irregularitas ignorabatur. *De Lamet.*

CASUS CLVIII. Euſebius diaconus a parocho rogatus, Ordinis ſui inſignibus indutus publice benedictionem aquæ peregit. Eſtne irregularis?

℟. Haud obſtante authoritate plurium Caſuiſtarum & Canoniſtarum pro irregularitate diaconi ſtantium, ſuamque ſententiam variis canonibus roborantium, dicendum videtur, Euſebium non incurriſſe irregularitatem; quia in hunc actum ſe non violenter intruſit, nil præſumpſit, nil temere egit, nec uſus eſt veſtibus ſacerdotalibus, ſed ſolum diaconalibus; quorum tamen alterutrum juxta citatos a parte adverſa canones ad incurrendam hoc caſu irregularitatem requiritur. *Fromageau.*

Nota. Vide Caſ. 85. ubi Pontaſius e diametro ſentit oppoſitum, & diaconum hunc pronunciat irregularem.

CASUS CLIX. Melanius Presbyter condemnatus eſt ut complex fraudulentæ decoctionis æris alieni. Eſtne irregularis?

℟. Non ſolum pro irregulari, ſed & pro infami habendus eſt. Hinc pro foro interno, & quoad eccleſiaſtica rehabilitationem a Pœnitentiaria, quoad forum externum autem & civilia a Principe petere debebit, aut a judice, qui condemnationis ſententiam tulit. *Fromageau.*

CASUS CLX. Gaudentius ſacerdos, contra quem a judice decretum carceris emanavit, ipſique jam ſignificatum eſt, eſtne irregularis?

℟. Gaudentius nullam prorſus ſacerdotii functionem exercere poteſt, niſi prius interpoſita appellatione famæ ſuæ conſuluerit, aut de crimine, de quo fuit accuſatus, plene purgaverit ſe: indecens enim eſt, ut ſacerdos fama laborans ad altare accedat, quem judex in judicio nequidem teſtem admitteret. *De Lamet.*

CASUS CLXI. Aquilinus parochus hominem ſceleſtum ex ſua ejecit eccleſia, & ſatellitibus tradidit, a quibus raptus in carcerem, & a judice inquiſitus, convictus, condemnatus & morte affectus eſt. Eſtne hic parochus irregularis?

℟. Juxta communiſſimam ſententiam eſt irregularis. Hinc abſolutionis gratia a Pontifice petenda erit. *De Lamet.* vide Caſ. 73.

CASUS CLXII. Gilbertus presbyter concapellano ſuo ægrotanti optima mente pro refocillatione vinum aduſtum bibendum porrexit; & infirmus poſt viginti quatuor horas obiit. Eſtne Gilbertus irregularis?

℟. Hac ſuper re medici conſulendi ſunt; & ſi ex eorum judicio potus hic ægro mortem acciverit aut accele-

rarit, Gilbertus cenſetur irregularis. Si tamen res fit occulta, pro rehabilitatione ad Epiſcopum confugere poterit. *De Lamet.* vide Caſ. 62.

CASUS CLXIII. Guarinus a miniſtro hæretico baptizatus, a nutrice tamen catholica educatus, in Univerſitate catholica literis excultus, & tandem ſacerdos initiatus eſt, neſciente Epiſcopo, eum ab hæretico fuiſſe baptizatum. Eſtne irregularis?

℟. Non eſt irregularis, neque inhabilis ad Beneficia & dignitates eccleſiaſticas. *De Lamet.* vide Caſ. 108. & 109.

CASUS CLXIV. Juventius Beneficiatus irregularitatem incurrit. An exinde privatur ſuo Beneficio?

℟. Vi irregularitatis nec Beneficio, nec fructibus Beneficii ipſo facto privatur; cum id nulla lege nullove canone ſancitum ſit. Poteſt ergo iis gaudere Beneficiatus, quoad judicis ſententia iis privetur. Clauſula ordinarie adjecta diſpenſationibus Romanis ſuper irregularitate de privatione fructuum non intelligenda eſt de fructibus Beneficii, ſed ſolum de illis, quos Beneficiatus percepit ex aliis functionibus eccleſiaſticis, a quibus in irregularitate abſtinere debuiſſet. *Fromageau.*

CASUS CLXV. Reneſius Clericus tonſuratus obtinuit Canonicatum; cum autem lis deſuper ipſi mota, poſt aliquot annos primum in favorem ipſius deciſa fuiſſet, ipſe interea fracto crure pedem ita læſit, ut jam claudus incedat, & genuflectere non poſſit, niſi uno pede diſtento. Diſpenſatio Romana fuit quidem obtenta, ſed ſolum dependenter ab arbitrio Epiſcopi. Poteſtne admitti ad ſubdiaconatum, quem Ordinem ſolum requirit Canonicatus?

℟. Si Reneſius ea, qua par eſt, decentia, ſacerdoti ad altare inſervire poſſit, dictusque defectus haud multum notabilem deformitatem inducat, ordinari poterit. Pyrrhus Corradus prax. diſp. Apoſt. L. 3. c. 6. n. 24. & 25. ex Cancellaria reſcriptum fuiſſe ait: *non eſſe cum difficultate concedendam diſpenſationem ei, qui, licet ſit notabiliter corpore vitiatus, non tamen ex tali defectu habet deformitatem aut impedimentum in celebratione miſſæ.* Monet inſuper Corradus, facilius diſpenſari poſſe, dum deformitas tegi poteſt, v. g. veſte talari oblonga. *De Lamet.* vide Caſ. 137.

CASUS CLXVI. Honoratus ſacerdos occaſione venationis tam atrociter verberibus excepit quemdam hominem, a quo nec minimum offenſus fuerat, ut illi ad conſervandam vitam crus amputari debuerit. Eſtne irregularis?

℟. In-

℟. Indubitato eſt irregularis; id quod ex pluribus canonibus manifeſte eruitur. Hinc ubivis a celebratione miſſæ arcendus eſt. *De Lamet.*

CASUS CLXVII. Vedaſtus abſque vocatione, & linguæ latinæ prorſus ignarus, ſtatum eccleſiaſticum amplexus, & presbyter ordinatus eſt ad titulum Beneficii, quod ipſi ex militia reduci quiſpiam reſignaverat. Cum jam rubricas & miſſam non ſolum non intelligat, ſed nequidem textum rite legere poſſit, ipſe conſcientiæ ſtimulis agitatus quærit, quid agendum eſſet.

℟. Graviter peccavit Vedaſtus, dum non vocatus in eccleſiam irrepſit, & irregularis eſt, cum linguæ latinæ prorſus ignarus Beneficium acceptavit, & ſacros Ordines recepit. *Irregularis eſt etiam ad primam tonſuram*, inquit Sayrus L. 6. c. 13. *qui neſcit legere & ſcribere, & ad quatuor Minores, qui non novit linguam latinam arte vel uſu: quia qui neſcit latine legere & ſcribere, aut linguam latinam non intelligit, neſcit literas, in quibus omnia eccleſiaſtica & divina Officia conſcripta ſunt, ad quæ Officia facienda Clerici ordinantur. Unde non ſufficit, ut literaturam competentem dicatur quis habere, quod ſciat legere aut ſcribere lingua vulgari, niſi etiam ſciat latine legere, ſcribere & intelligere.* Hinc tenetur dimittere Beneficium; quandoquidem naturali ac divinæ legi repugnare videtur, ut in eccleſia gradum obtineat, qui dotibus caret ad eundem cum dignitate ſuſtinendum neceſſario requiſitis. Si tamen improbo labore eo pertingat, ut ſaltem tenuiter linguam calleat, ac Canonem & Rubricas intelligat, de Apoſtolicæ Sedis licentia ipſi concedi poterit, ut non nunquam miſſam celebret, donec melius erudiatur. *Formageau.* vide Caſ. 126. & 135.

CASUS CLXVIII. Ildefonſus Clericus in ſtatu irregularitatis ſuſcepit ſacros Ordines, eorum actus exercuit. An exinde novam contraxit irregularitatem?

℟. Graviſſime peccavit hic Clericus, cum ſuæ irregularitatis ſibi conſcius ſuſcepit Ordines, & eorum miniſterium obiit; novam tamen irregularitatem aut aliam cenſuram non incurrit. *Irregularitas*, inquit Sayrus L. 6. c. 2. n. 26. *nec ſuſpenſio eſt, nec cenſura eccleſiaſtica; & ita celebrans illa irretitus non violat aliquam cenſuram, nec aliquid aliud, cujus violatio novam irregularitatem inducat.* Hinc ſufficit, ſi in ſupplicatione pro diſpenſatione Romæ obtinenda exprimatur prima irregularitas, quin addenda neceſſario ſit ejuſdem violatio per ſuſceptionem Ordinum, & eorum exercitium. *Neque in obtinenda diſpenſatione*, ait idem de Cenſ. L. 4. c. 6. n. 5.

n. 5. *facere debet mentionem hujus violationis, ut patet ex praxi Curiæ Romanæ. Fromageau.* vide Caſ. 96.

Nota. Etiam circumſtantia ſuſceptionis Ordinum, & eorumdem exercitii in actuali irregularitate exprimenda eſſe videtur; quia exinde notabiliter variatur judicium diſpenſantis aut abſolventis.

CASUS CLXIX. Titius ſimplex Baccalaureus, qui per plures jam annos Vice-gerentem Officialatus agebat, aperuit ac denunciavit Reſcriptum Roma obtentum, quo Paulus ab irregularitate, quam contraxerat, rehabilitatus eſt. An Paulus per iſtam denunciationem ſecurus eſt? An non Reſcriptum per alium Vice-gerentem diœceſanum denunciari debet, Doctorem aut Licentiatum in Theologia aut jure canonico?

℞. Paulus vere rehabilitatus eſt per denunciationem a Titio factam, utpote habente titulum coloratum. Hinc alia denunciatione opus haud eſt. *Fromageau.*

CASUS CLXX. Manſuetus Presbyter ſæcularis, cum videret reum condemnatum ad rotam inter acerbiſſimos cruciatus miſerrime dilacerari, timens, ne in deſperationem ageretur, ex mera pietate ac commiſeratione rogavit judices, ut eum ſtrangulari juberent; quod & factum eſt. Eſtne Manſuetus irregularis?

℞. Eſt irregularis; quia vere eſt cauſa efficax ac proxima ſtrangulationis, & conſequenter acceleratæ mortis. Quamob rem ad Romanam Curiam confugere debet, ut irregularitatis diſpenſationem obtineat. *Fromageau.*

Nota. Si Germanus, Hiſpanus aut Italus ſic reſponderet; mirum non eſſet: loquerentur enim ſecundum recepta Caſuiſtarum principia, frena laxantium circa leges emendationem morum reſpicientes, & reſtringentium circa adiaphoras. Quod autem Theologus Gallus contra principia nationalia in reſponſionibus ad caſus præcedentes hinc inde ſparſa ſic ſentiat, & literam magis quam ſpiritum legis attendat, mirum plane videri debet. Conſilium Manſueti ex motivo lenitatis profectum ſane non arguit defectum lenitatis. Leges non amant ſuperſtitioſe tractari.

CASUS CLXXI. Theotonius ſacerdos apud judicem laicum accuſat Sempronium, eo quod ipſius juſſu in domo avunculi ſui grave furtum commiſſum fuiſſet, cum debita tamen proteſtatione, ſe non agere ad vindictam, ſed ſolum ad recuperandam avunculo rem ſuam. Sempronius nihilominus ad hanc denunciationem ad mortem condemnatus eſt. Num Theotonius irregularitatem incurrit?

℞. Probabilius non incurrit: permiſſum eſt enim Clericis, ut querelas ſuas ad judices ſæculares deferant contra eos, a quibus gravia damna perpeſſi ſunt. Cum igitur ob

vin-

vinculum propinquitatis bona avunculi cenſeantur bona nepotis, & damnum illatum uni in æſtimatione morali reputetur illatum & alteri, non videtur contra lenitatem clericalem egiſſe Theotonius. Dictum eſt, *probabilius*: textus enim Cap. *Prælatis*. 2. Lib. 5. Tit. 4. in 6. directe tantum reſpicit Clericos ipſos, qui in bonis ſuis damnum patiuntur a laicis. C. B.

CASUS CLXXII. Abilius ſtricto gladio irruit in Cajum, quem in adulterio cum uxore ſua deprehendit. Cajus vero, cum alia ratione vitæ ſuæ conſulere haud poſſet, prævenit Abilium, eumque occidit. Eſtne Cajus irregularis?

℟. Non eſt irregularis: licet enim Cajus deprehenſus fuerit in adulterio cum uxore Abilii; hic tamen nec adultero nec adulteræ propria authoritate potuit mortem inferre, ut conſtat ex propoſitione 19. ab Alexandro VII. damnata; ſicque cum Cajus, etſi propria culpa anſam dederit homicidio, potuerit jure naturæ vitam propriam tueri, potuit etiam licite, alia evadendi via præcluſa, injuſtum invaſorem præveniendo occidere. Ad hæc, cum juxta Clement. *Si furioſus*. unic. Lib. 5. Tit. 4. irregularitatem non incurrat, qui invaſorem ſervato moderamine inculpatæ tutelæ occidit vel mutilat, ſequitur, & Cajum eam non incurriſſe. C. B.

Nota. Non adeo certum eſt, Cajum irregularitatem non incurriſſe; cum occaſio homicidii, ſcilicet adulterium, certe fuerit illicite data. Vide Caſ. 24.

CASUS CLXXIII. Titius periculoſe decumbens a Cajo famulo ſuo potum vini poſtulat, quem cum iſte dare renueret, comminatur, ſe revocaturum legatum, quo ipſi ſummam pecuniæ deſtinaverat. Paret tandem famulus hac comminatione motus, & præbet Titio vinum, quo ſumpto morbus ita ingraveſcebat, ut Titius brevi poſt obierit. Eſtne Cajus irregularis?

℟. Si Cajus prævidere non potuit, per hauſtum vini Titio mortem acceleratum iri, ſecuta mors Cajo imputanda non eſt, ac proinde nec irregularitatem incurrit; cum irregularitas ex delicto, utpote gravis pœna non niſi ex culpa theologica gravi contrahatur. Si vero vinum Titio a medicis interdictum fuit, & Cajus id ſciens porrexit, hic ſane irregularitatem incurrit. C. B.

CASUS CLXXIV. Theobaldus Cajo conſulit, ut furem inſequatur, qui ipſi de nocte rem magni pretii abſtulerat. Cajus ſecutus hoc conſilium furem inſequitur; ſed ab eo lethaliter vulneratus paulo poſt obiit. Eſtne Theobaldus irre-

irregularis ? Teneturne etiam reparare damnum ex morte Caji ſecutum ?

℞. Si Theobaldus non cogitavit de periculo, quod Cajo imminere poſſet, non incurrit irregularitatem, & ad nihil tenetur : irregularitas enim ex delicto, & obligatio reſarciendi damnum non poteſt contrahi ex actione prorſus inculpabili. Si vero Theobaldus advertit ad periculum, quod ſubire poſſet Cajus inſequendo furem, eumque non monuit, ut debitam adhibeat cautelam, cum fures plerumque incedant armati, irregularis cenſendus eſt. Ad reparationem tamen damni non tenetur; quia nullam contra Cajum commiſit injuſtitiam, ex qua obligari poſſit ad compenſationem. C. B.

CASUS CLXXV. Tarquinius in rixa occidit Clericum, ignorans tamen, occiſorem fieri irregularem. An hæc ignorantia juris non excuſat Tarquinium ab irregularitate ?

℞. Non excuſat; cum enim irregularitas ſit impedimentum Canonicum certis defectibus ac criminibus ex diſpenſatione juris annexum, ea contrahitur ab illo, qui ejusmodi defectu laborat, aut delictum commiſit, etiamſi ignoret, irregularitatem eſſe annexam, ſicut, etſi quis ignoret, ex copula illicita oriri impedimentum affinitatis, aut ex adulterio cum promiſſione futuri matrimonii impedimentum criminis, ea impedimenta tamen contrahit, qui horum delictorum ſe reum conſtituerit. Hinc Tarquinius indubitanter irregularis eſt, non obſtante ignorantia annexæ homicidio irregularitatis. C. B.

CASUS CLXXVI. Iſrael ſubdiaconus, cum ſciret Majolum domo abeſſe, noctu ad ejus uxorem acceſſit libidinis cauſa. Aſt maritus inopinato ſuperveniens deprehendit uxorem cum Iſraele in ſacrilego adulterio, eamque occidit, fugam interea capeſcente ſubdiacono. Eſtne Iſrael irregularis ?

℞. Non eſt : nam actio criminoſa Iſraelis non fuit cauſa proxima mortis a marito uxori illatæ, nec furtiva ipſius libido tendebat ad cædem, quæ omnino per accidens ſecuta eſt. Ita cenſuit in ſimili facti ſpecie ſacra Congregatio Concilii 30. Julii 1610. ut refert Fagnanus in Cap. *De cætero.* 11. Lib. 5. Tit. 12. & fere in terminis Natalis Alexander Theol. Dogm. Tom. 2. Epiſt. 35. Edit. Paris. ubi addit, quod, ſi adulterium Iſraëlis eſt notorium, hic ad altiores Ordines non ſit admittendus ob infamiam criminis & ſcandalum; imo etſi ſit occultum diaconus tamen & presbyter ordinandus non ſit, niſi acta prius diu pœnitentia, ſecundum prudentis & pii dire-

directoris Conſilium ; quamvis ex occulto hoc crimine irregularis non fuerit. C. B. Vide Caſ. 24. & 172.

CASUS CLXXVII. Leander, licet adhibita omni poſſibili diligentia inquiſierit, non poteſt aquirere certitudinem, an ſuo conſilio efficaciter cooperatus ſit ad homicidium ab alio noviſſime commiſſum. Teneturne ſe gerere pro irregulari, ſimulque compenſare damnum illatum ?

℟. Tenetur ſe habere pro irregulari. Ratio eſt : quia communiter fit, ut quis datum ſibi pravum conſilium ſequatur, quin conſulens ejusdem effectum penitus ac ex toto impedire poſſit. Hinc ſequitur, in dubio, an quis ſuo conſilio cooperatus ſit ad malum, præſumendum eſſe juxta Sayrum de irreg. L. 7. c. 3. n. 2. quod cooperatus ſit in effectu. Conſilium autem non cenſetur influxiſſe in actum, 1. Quando homicida jam antecedenter ad conſilium erat aliunde paratus ad occidendum, ita ut nullam ex conſilio determinationem acceperit, nec ullum inde motivum ſumpſerit citius, facilius, crudelius firmiusve homicidium perpetrandi. 2. Cum conſulens ante homicidium conſilii motiva aliis motivis contrariis elidere conatus eſt, ac precibus etiam importunis inſtitit, ut occidere volentem ab executione propoſiti retraheret. 3. Si conſulens, poſtquam ſe hisce nihil proficere advertit, ex motivo charitatis juxta regulam prudentiæ occidendum monuit de periculo, utque ſibi caveret, adhortatus eſt. Ad reparationem damni ex homicidio ſecuti Leander non tenetur; quia non poteſt imponi obligatio certa compenſationis pro damno ſolum dubie illato. C. B.

Vide Caſ 34. 35. 43. 54. & 132.

CASUS CLXXVIII. Petronius graviter offenſus a quodam Clerico percipit, eapropter illum ab alio occiſum fuiſſe; & approbat intus in mente cum quadam complacentia hoc homicidium; licet exterius id deteſtari ſe ſimulet. Incurritne excommunicationem aut irregularitatem ?

℟. Neque irregularis eſt, neque excommunicatus : & quidem irregularis non eſt : quia, dum in Cap. *Cum quis.* 23. L. 5. Tit. 11. in 6. ratihabitio mandato comparatur, ea comparatio ſolum attingit excommunicationem. Dein nec eſt excommunicatus; quia hæc pœna ſolum lata eſt in eos, qui exterius ratihabent & approbant occiſionem, ut expreſſe notat Fagnanus in Cap. *Dolentes.* 9. Lib. 3. Tit. 41. Hinc Petronius, qui externe diſplicentiam monſtravit, eam cenſuram non incurrit; licet graviſſime peccaverit. C. B.

Vide *Abſolutio. Beneficiatus. Diſpenſatio ab irregularitate. Excommunicatio* Caſ. 72. *Illegitimus. Interdictum. Officialis* Caſ. 2. *Proviſio Beneficiaria. Simonia. Suſpenſio.*

JUBILÆUM.

1. *Jubilæum* aut indulgentia plenaria conceſſa in forma jubilæi nil aliud eſt quam *Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis.* Intelligitur autem per iſta privilegia non ſolum data a ſummo Pontifice omnibus Confeſſariis ab Epiſcopo approbatis poteſtas abſolvendi ab omnibus peccatis etiam reſervatis, ac a cenſuris, ſed & commutandi vota &c.

2. Jubilæum tunc primum quis lucratur, dum conſtitutus in gratia omnia pro eo lucrando præſcripta opera exacte perſolvit.

3. Longe a veritate aberrant, qui exiſtimant, per jubilæum peccatores eximi ab agenda convenienti pœnitentia, numero & gravitati peccatorum ſuorum proportionata.

CASUS I. Calixtus Epiſcopus Bullam jubilæi univerſalis pro impetranda a Deo inter Principes Chriſtianos pace conceſſi promulgavit quidem in civitate epiſcopali mox, dum eam acceperat; in aliis autem locis ſuæ diœceſis eam primum poſt trimeſtre promulgavit. Potuitne abſque peccato Bullæ promulgationem tamdiu differre?

℟. Niſi gravis & urgens ſubſtiterit ratio promulgationem tamdiu differendi, iſta dilatio certe eſt peccaminoſa: egit enim contra expreſſam intentionem Papæ volentis, ut promulgatio ocyus abſque ulla retartatione fiat. Ad hæc jubilæum eſt gratia univerſalis omnibus fidelibus conceſſa; & hinc injuſtum eſt ejusdem uſum tamdiu protrahere iis, qui ea mox gaudendi jus habent. Nihilominus poteſt ejusmodi publicatio quatuordecim diebus circiter citius fieri in urbe epiſcopali, ac extra eam, idque juſtis de cauſis; protractio autem trimeſtralis videtur ſane nimia. *Pontas.*

CASUS II. Apollonius Archiepiſcopus in Pollonia publicationem jubilæi diſtulit ultra annum, utpote per id tempus continuo abſens a ſua diœceſi, tum propter ſeditiones in Regno exortas, quas extinguere tentabat, tum propter alia gravia negotia in aula Regis pertractanda. An non peccavit tamdiu protrahendo publicationem jubilæi? Num adhuc poſt annum poterit illud promulgare, etſi fors ceſſaſſent cauſæ, propter quas conceſſum eſt?

℟. Archiepiſcopus a peccato excuſari non poteſt; cum egerit contra mandatum ac intentionem Papæ, & promulgatio-

gationem jubilæi demandare potuiſſet Vicario ſuo Generali. Compoſitio exortarum in regno turbarum potius quadrat ad condemnationem illius quam ad excuſationem; cum ſcire debuiſſet, mala reipublicæ, quæ plerumque infliguntur ob peccata populi, longe efficacius averti poſſe per preces ac opera pœnitentiæ, quam per quosvis hominum conatus. Nihilominus non obſtante hac dilatione etiam poſt annum adhuc Bulla jubilæi promulgari poterit: hæc enim dilatio nec cauſæ præjudicat nec effectui jubilæi. Ratio præcipua eſt; quia in Bulla non additur limitatio temporis, quo elapſo ceſſet facultas promulgandi. Dein licet principalis cauſa conceſſæ gratiæ fors non amplius ſubſiſtat, certum tamen eſt, alias cauſas poſſe adhuc ſubſiſtere; cum neceſſitates Eccleſiæ ſint continuæ, & ſemper maximæ. *Pontas.*

CASUS III. Gaſton Epiſcopus promulgando jubilæum jubet, ut parochiani rurales non ultra tres leucas per circuitum ab urbe epiſcopali diſſiti proceſſionaliter veniant ad eccleſiam Cathedralem, ibique ſuas peragant ſtationes. Verum quatuor aut quinque parochiæ in ſua dundaxat eccleſia parochiali præſcripta per Bullam peregerunt opera. An lucrati ſunt jubilæum?

℟. Perbene certe factum fuiſſet, ſi mandato Epiſcopi ſeſe conformaſſent. S. Beuve tamen exiſtimat, incolas harum parochiarum lucratos fuiſſe jubilæum; quia Epiſcopus non habet poteſtatem Bullæ Pontificiæ apponendi novas conditiones; Bulla autem non præſcribit, ut proceſſiones fiant ad eccleſiam Cathedralem. Accedit, quod proceſſiones in loca remotiora ſint obnoxiæ variis evagationibus ac diſſipationibus, & parochi recedendo a parochia tenerentur eos, qui proceſſionem comitari non poſſunt, relinquere ſine ſubſidio Sacramentorum emergente fors caſu neceſſitatis. His tamen non obſtantibus ſententia hujus authoris nequaquam videtur certa, habita etiam ratione axiomatis circa Bullas ac Reſcripta indulgentiarum communiter a Theologis recepti: *tantum valent, quantum ſonant. Pontas.*

NOTA. Benedictus XIV. in jubilæo 1750. determinate præſcripſit viſitationem eccleſiæ Cathedralis; quo etiam omnes parochiæ diœceſis Auguſtanæ proceſſionaliter venerunt cum ſumma ædificatione etiam acatholicorum.

CASUS IV. Paulinus lucraturus jubilæum propria authoritate elegit ſibi confeſſarium pro ſuo arbitrio. An licite? An ipſius confeſſio pro lucrando jubilæo valet?

℟. Juxta Authorem *Conferentiarum Agathenſium* non valet hæc confeſſio, ſi confeſſarius iſte non fuit approbatus ab ordinario: Bullæ enim jubilæi expreſſe præſcribunt, ut confeſſarius, ſive ſæcularis ſive regularis, ſit approbatus ab Ordinario. *Pontas.*

CASUS V. Palamedes miles reus peccati reſervati, cui etiam excommunicatio ipſo facto erat annexa, tempore jubilæi confitetur ſimplici confeſſario, qui eum & a peccato & a cenſura abſolvit; quin tamen confitens præſcripta in Bulla opera peregerit, cum ne quidem jubilæum lucrandi intentionem habuiſſet. Eſtne Palamedes valide abſolutus ab excommunicatione?

℟. Si confeſſarius non habuit ſpecialem facultatem abſolvendi ab ejuſmodi peccatis ac cenſuris etiam extra tempus jubilæi, Palamedes nec a peccato nec ab excommunicatione eſt abſolutus. Ratio eſt; quia Pontifex tempore jubilæi non tribuit ſpecialem facultatem confeſſariis, niſi in favorem pœnitentium, qui habent ſincerum propoſitum lucrandi indulgentias jubilæi. Itaque Palamedes pro obtinenda valida abſolutione vel debet de novo confiteri alteri confeſſario habenti facultatem abſolvendi a reſervatis & cenſuris, vel, ſi adhuc ſupereſt tempus jubilæi, etiam eidem, ſi habeat firmum propoſitum lucrandi jubilæum & perſolvendi omnia opera ad illud lucrandum præſcripta. Ita Author *Conferentiarum Andegavenſium* menſe Julio 1711. *Pontas.*

CASUS VI. Euſtaſius diœceſanus Pariſienſis, publicato in ſua diœceſi jubilæo univerſali, recepit ſe pro confeſſione deponenda in diœceſin Carnutenſem, in qua jubilæum nondum fuit promulgatum, & inde redux in ſuam diœceſin peregit omnia reliqua opera ad lucrandum jubilæum præſcripta, viſitationes ſcilicet eccleſiarum, preces, eleemoſynas ac S. Communionem. An lucratus eſt jubilæum?

℟. Non eſt lucratus, ſi ex ſolo ac unico motivo confeſſionem peragendi in aliam diœceſin abiit. Ratio eſt; quia Pontifex occaſione jubilæi non intendit derogare juribus ac jurisdictioni Epiſcoporum, cum expreſſe velit, ut fideles confiteantur confeſſariis ab Ordinario ſuo approbatis; id quod etiam ex edictis Epiſcoporum patet. Si vero Euſtaſius in aliam diœceſin perrexit bona fide, v. g. peregrinationis cauſa, & ſine animo ſubtrahendi ſe jurisdictioni proprii Epiſcopi, ſicque ibi confeſſus eſt, confeſſio ipſius erit legitima & probabiliter ſufficiens ad lucrandum jubilæum. *Pontas.*

No-

Nota. In Germania aliud dicendum, ubi Epiſcopi ſaltem tacite diœceſanis ſuis tribuunt generalem licentiam confitendi, ubicumque voluerint. dummodo confeſſarii ſint approbati ab Ordinario loci, in quo confitentur. Et hæc conſuetudo univerſim viget, maxime in confiniis diœceſium, ſcientibus & non contradicentibus Epiſcopis.

CASUS VII. Papa in Bulla jubilæi conceſſit omnibus fidelibus utriusque ſexus, ſæcularibus & regularibus facultatem eligendi ſibi confeſſarium pro ſuo libitu, dummodo ſit approbatus ab Ordinario loci. Multi Religioſi diverſorum Ordinum ac monaſteriorum ad lucrandum jubilæum confeſſi ſunt confeſſariis ordinariis ſuorum conventuum, qui tamen approbati non ſunt ab Ordinario, ſed ſolum a Superioribus regularibus ad excipiendas confeſſiones Religioſorum. Num Religioſi iſti lucrati ſunt jubilæum?

℟. Plures Authores cenſent, dictos Religioſos non fuiſſe lucratos jubilæum; cum non obſervarint clauſulam de confeſſariis in Bulla contentam. Alii autem contrarium tuentur, opinionemque ſuam dicunt probabiliſſimam ac in praxi tutam. Horum ex numero eſt Sylvius Reſol. var. V. *Jubilæum.* 1. hanc allegans rationem: *quia Superiores regulares ſunt Ordinarii reſpectu ſuorum ſubditorum.* Addit Sylvius: *illa verba, quæ in Bulla jubilæi exprimuntur, ut etiam regulares poſſint eligere confeſſarium ab Ordinario approbatum, non intelligenda ſunt privative, quaſi ſummus Pontifex velit privare pœnitentem jure ſuo, quo poteſt confiteri confeſſario per ſuum Prælatum approbato; ſed ampliative in favorem ipſius pœnitentis; ita ut non ſolum confiteri poſſit illi, cui ante jubilæum poterat, verum etiam alium eligere poſſit approbatum ab Ordinario; quamvis ante jubilæum non poſſit ei confiteri.* Ad hæc quibusdam Religioſis v. g. Carthuſianis, Camaldulenſibus & aliis ſolitariis imponeretur onus graviſſimum relinguendi ſolitudinem & quærendi confeſſarium ab Epiſcopo approbatum; cum inter ſuos talem ordinarie fruſtra quærerent; & reperirent ſive inter ſæculares ſive inter regulares alterius inſtituti plerumque minus aptos, ac illi ſunt, quos Superior approbavit ad excipiendas confeſſiones eorum. Hinc cum Sylvio concludendum, præfatos Religioſos ſatisfeciſſe menti Pontificis, jubilæumque fuiſſe lucratos. Optandum nihilominus, ut Papa aut Epiſcopi fixa declaratione dubium hoc tollerent. *Pontas.*

Nota. Gratia jubilæi omnibus communis, quæ non auget, ſed tollit onus, in omnium commodum, & in nullius incommodum vergere debet. Hinc Religioſi jubilæum lucrari poſſunt, ſive confiteantur confeſſario approbato ab Epiſcopo diœceſano, ſive a Superiore

riore ſuo regulari; quia uterque quoad hoc eſt eorum Ordinarius. Dubium ſolum fors eſſe poſſet de ſæcularibus diu noctuque cum Religioſis intra clauſtra commorantibus ac domui inſervientibus, qui Sacramenta Viatici ac extremæ unctionis a Religioſis recipere poſſunt, aliisque gaudent religioſarum domuum privilegiis. Sed eo ipſo, quod id dubium videatur, & Superior regularis non ſit eorum Ordinarius, neque intra neque extra tempus jubilæi confiteri poſſunt confeſſario ſolum a Superiore regulari approbato; quia non licet valorem Sacramenti exponere periculo nullitatis.

CASUS VIII. Philocrates in ſecunda jubilæi hebdomada omnia præſcripta exacte peregit opera, ſola confeſſione excepta, cujus loco elicuit actum contritionis, quantum poterat, perfectiſſimæ cum ſincera deteſtatione omnium peccatorum ſuorum mortalium, vivo dolore ac firmiſſimo propoſito mortem ſubeundi potius, quam in priora relabendi peccata; ſicque acceſſit ad ſacram Communionem. An lucratus eſt jubilæum?

℟. Non eſt lucratus: in Bulla enim expreſſe continetur: *vere pœnitentibus & confeſſis.* Et hæc opinio eſt certior ac tutior pro ſalute eorum, qui jubilæum lucrari deſiderant; nam nemo poteſt eſſe certus, quod elicuerit contritionem perfectam, & poſito etiam, quod quis poſſit eſſe certus, parendum tamen eſt legi, confeſſionem per modum conditionis eſſentialis requirenti. His non obſtantibus Navarrus Comment. *de jubil. & indulg.* notabili 18. n. 13. & 14. cenſet, eum, qui vere ac perfecte contritus confiteri non potuit prima ac ſecunda jubilæi hebdomade vel ob defectum confeſſarii, vel ob aliam legitimam cauſam, poſſe lucrari jubilæum, dummodo cætera opera in Bulla præſcripta peragat, & ſincerum habeat propoſitum proxima occaſione confitendi; quia veroſimiliter præſumi non poteſt, Pontificis intentionem eſſe fideles in ſimili caſu privandi gratia Indulgentiæ. Idem ſentit Navarrus de eo, qui ab ultima confeſſione, quam ante inchoationem jubilæi depoſuerat, nullum commiſit peccatum mortale. *Pontas.*

Nota. Hæc poſterior Navarri aſſertio defendi jam non poteſt, poſtquam Clemens XIII. 19. Maii 1759. per publicum S. Congregationis Indulgentiarum decretum declaravit, confeſſionem, quando in Brevibus indulgentiarum præſcribitur, peragi omnino debere etiam ab iis, qui ſibi lethalis peccati conſcii non ſunt. Qui intra determinatum jubilæi tempus abſolute confiteri non poteſt, curare fors poterit, ut ſibi legitima authoritate differatur jubilæum.

CASUS IX. Cum per omnes Galliæ diœceſes promulgatum fuiſſet jubilæum, Abbas quidam regularis propria authoritate ac ſine approbatione Ordinarii conſtituit duos ex mo-

monaſterio ſuo Religioſos ad excipiendas pro lucrando jubilæo confeſſiones tam cæterorum Regularium, quam etiam domeſticorum, ac eorum, qui *Donati* vocantur. An confeſſiones duobus hiſce Religioſis factæ ſunt validæ ac ſufficientes ad lucrandum jubilæum?

℟. Sub nomine *Ordinarii* veniunt non ſolum Epiſcopi diœceſani, ſed etiam Superiores jurisdictionem quaſi-epiſcopalem habentes ac a jurisdictione Epiſcopi exempti. Si dictus Abbas horum ex numero eſt, potuit Religioſos conſtituere ad excipiendas confeſſiones præfatorum; & omnes illis confeſſi lucrati ſunt jubilæum, ſi etiam reliqua in Bulla præſcripta peregerunt opera. Quod attinet Superiores, qui non gaudent pacifica exemptione a jurisdictione Epiſcopi, hi non cenſentur Ordinarii locorum; & conſequenter non poſſunt approbare confeſſarios pro ſæcularibus, nec alia exercere munia Epiſcopis propria. Ad hos ſi pertineret memoratus Abbas, confeſſiones ſæcularium iis depoſitæ forent nullæ, & hi non poſſent lucrari jubilæum, niſi de novo confiteantur aliis confeſſariis ab Epiſcopo approbatis. Sic docet S. Beuve tom. 3. caſ. 36. *Pontas*.

NOTA. Vide Caſ. 7. una cum *nota* eidem ſubjuncta.

CASUS X. Thierius tempore jubilæi confitetur plurima peccata & quidem graviſſima; hinc confeſſarius ipſi injungit, ut per integrum annum qualibet ſeptimana bis jejunet, & alia pœnitentiæ opera perſolvat. Thierius autem renuit has acceptare pœnitentias, quid opus jubilæo, inquiens, ſi tam rigoroſe ſatisfaciendum? per opera in Bulla jubilæi præſcripta omne pœnarum temporalium debitum expungi. An hæc Thierii opinio vera? Num confeſſarius condeſcendere poterit hominis hujus infirmitati, leviorem intuitu jubilæi pœnitentiam injungendo?

℟. Thierius in ſuo de jubilæo opinione vehementer fallitur: jubilæum enim nemo lucratur niſi *vere pœnitens*; quomodo autem pœnitens dici poteſt, qui jejunium & alia pietatis opera pro graviſſimis ac plurimis peccatis a confeſſario injuncta acceptare recuſat? Satisfactio non minus ac contritio & confeſſio eſt pars eſſentialis pœnitentiæ ſacramentalis; ſicut ergo Sacramentum pœnitentiæ non eſt, ubi non eſt contritio & confeſſio ſaltem in voto; ita neque eſt, ubi non eſt ſatisfactio ſaltem in voto. Si confeſſarius non imponeret Thierio pro graviſſimis peccatis pœnitentiam ſatisfactoriam ſalutarem ac proportionatam tam qualitati ac numero delictorum quam ſtatui ac viribus pœnitentis, etiam

tem-

tempore jubilæi, muneri ſuo deeſſet, & Deo rationem reddere teneretur ſuæ conniventiæ. *Pontas.*

Nota. Indulgentiæ ſolum conceduntur in ſupplementum infirmitatis humanæ, ut, ſi pœnitens congrue ſatisfacere pro viribus conetur, rigoroſum debitum viribus humanis nimis grave ex theſauro Eccleſiæ per indulgentias ſuppleatur, quod fuse demonſtrat Amort in opere *de Indulgentiis.* Accedit, quod in Sacramento pœnitentiæ impoſitio & acceptatio pœnitentiæ, niſi ſit manifeſte indiſcreta, & cum ſtatu, conditione ac viribus pœnitentis moraliter incompatibilis, ſit etiam per modum conditionis, quæ ad ipſam remiſſionem *culpæ* neceſſario requiritur.

CASUS XI. Clitarchus presbyter ab Officiali per ſententiam judicialem ad bis jejunandum ac bis recitandos pſalmos pœnitentiales ſingulis ſeptimanis per annum condemnatus jubilæum lucratus eſt; & jam penitus ſolutum ſe exiſtimat ab obligatione judicialem pœnitentiam adimplendi, quia indulgentia plenaria ab omni pœna temporali liberat. Num bene ſentit Clitarchus?

℟. Peſſime; quia indulgentiæ nil commune habent cum foro externo, ſed ſolum cum interno ſacramentalis pœnitentiæ. *Septimo infertur*, ait Navarrus Comment. de jubil. notabili 11. n. 20. & 21. *per indulgentiam ſolum condonari pœnam peccato debitam in foro Dei vel pœnitentiali, non autem debitam in foro exteriori; ideoque caſtigari poſſe per judicem ſæcularem & etiam eccleſiaſticum in foro exteriori eum, qui indulgentiam quamlibet pleniſſimam eſt aſſecutus; quoniam omnis indulgentia reſpicit pœnitentias injunctas, vel quæ injungi potuerunt, vel debuerunt a confeſſario. Pontas.*

CASUS XII. Alanus confeſſarius excepit confeſſiones plurium in inveterata peccandi conſuetudine detentorum, quos extra tempus jubilæi abſolvere haud potuiſſet. An eos intuitu jubilæi abſolvere licet?

℟. Jubilæum non relaxat leges ab Eccleſia pro converſione pœnitentium conſtitutas, & hinc Alanus peccaret graviter ſolum intuitu jubilæi abſolvendo conſuetudinarios, in quibus non apparent indicia veræ converſionis; quia ſua facilitate præberet illis occaſionem facilius relabendi. *Facilitas veniæ*, inquit S. Ambroſius, *incentivum præbet delinquendi.* Differenda itaque eſt abſolutio conſuetudinariis usque ad veram converſionem; & tunc primum ipſis applicanda gratia jubilæi cum abſolutione: intentio enim Eccleſiæ non eſt fructu indulgentiarum privandi pœnitentes, qui pro remedio animæ ſuæ humiliter ſe ſubiiciunt miniſtro Chriſti. Ita docet Author *Conferentiarum Agathenſium* Conf. 20. q. 7. *Pontas.*

Nota. Verum eſt, conſuetudinario etiam tempore jubilæi denegari vel differri poſſe abſolutionem. Attendendum tamen, an non pro ea vice

vice extraordinariæ circumſtantiæ præbeant motivum prudens credendi, pœnitentem ope novorum mediorum ſe emendaturum.

CASUS XIII. Juſtinus peractis jam omnibus in Bulla Papali ac mandato Epiſcopi præſcriptis ultima jubilæi hebdomate confitetur. Cum autem confeſſarius adverteret, eum in prava graviter peccandi conſuetudine conſtitutum, ac inſuper peccatis Papæ & Epiſcopo reſervatis innodatum, eum ſine abſolutione dimiſit, ac pro emendationem jubilæum illi ad ſpatium menſis prorogavit. Poteſtne confeſſarius absque authoritate Epiſcopi jubilæum pœnitenti prorogare, & tunc demum a peccatis reſervatis abſolvere?

℞. Potuit confeſſarius propria authoritate prorogare jubilæum, ut hac ratione pœnitens per ſinceram converſionem ſe diſponat, ac dignum reddat fructibus jubilæi, quos modo percipere haud poteſt. *Nec non aliis*, inquit Clemens XI. in Bulla jubilæi 2. Dec. 1706. *quibuscumque tam laicis quam eccleſiaſticis, ſæcularibus vel regularibus etiam in carcere aut captivitate exiſtentibus, vel aliqua corporis infirmitate ſeu alio quocumque impedimento detentis, qui ſupra expreſſa vel eorum aliqua præſtare nequiverint, ut illa confeſſarius in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare poſſit, eaque injungere, quæ ipſi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus.* Ejusdem tenoris ſunt etiam Bullæ jubilæorum recentiorum. Inter omnia autem impedimenta illud vel maxime legitimum eſt, quod reſpicit animam. Si igitur Juſtinus tempus jubilæi a confeſſario ſibi prorogatum in exercitia pietatis ac pœnitentiæ impenderit, & reſipuerit, omnibus jubilæi favoribus gaudere, ac etiam a caſibus reſervatis abſolvi poterit. *Pontas.*

CASUS XIV. Tuſſantus plurium peccatorum mortalium reus, mox peragit opera præſcripta pro lucrando jubilæo, confeſſione tamen & communione dilata in proximam Dominicam. An lucratus eſt jubilæum, cum opera præfata in ſtatu peccati mortalis peregerit, & non niſi imperfectam contritionem habuerit?

℞. Juxta S. Thomam in 4. diſt. 20. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 1. C. S. Antoninum ac omnes Theologos ad lucrandas indulgentias requiritur ſtatus gratiæ: non enim remittitur pœna, niſi prius remiſſa fuerit culpa; & hinc convenientiſſimum eſt prius confiteri, ſicque in ſtatu gratiæ reliqua peragere opera. Dici tamen non poteſt, opera ante recuperationem gratiæ peracta eſſe inutilia, ſi quis ea peregit cum ſincero converſionis propoſito: per gratiam enim poſtea in Sacramento pœnitentiæ obtentam reviviſcunt prio-

ra

ra opera; ut docet S. Antoninus 1. part. Summ. Theol. tit. 10. c. 3. §. 5. & redduntur pœnitenti utilia ac Deo accepta. Ex quo ſequitur, Tuſſantum vere lucratum fuiſſe jubilæum.

Nota. Huic ſententiæ adſtipulatur etiam S. Carolus Borromæus & Benedictus XIV. in Conſtitutione *Convocatis* 25. Nov. 1749. Univerſim a ſummis Pontificibus opera pœnitentialia ſaltem cum attritione dilectioni initiali conjuncta prærequiruntur tanquam præparatoria ad reconciliationem perfectam, ſeu ſacram communionem juxta morem primitivæ Eccleſiæ.

CASUS XV. Firmilianus jubilæum inchoavit a confeſſione ac communione, & mox peregit reliqua opera præſcripta; ſed ante tertium jejunium lapſus eſt in peccatum mortale, de quo ſolum imperfectam eliçuit contritionem. An lucratus eſt jubilæum?

℟. Juxta S. Thomam l. c. non eſt lucratus; quia opus ultimum non complevit in gratia: pœna enim temporalis non remittitur illi, cui necdum condonata eſt pœna æterna; nec venia dignus eſt, qui eſt objectum divinæ diſplicentiæ. Maldonatus de Pœnit. Tom. 2. de Indulg. q. 1. poſt Cardinalem Nicolaum de Cuſa recte obſervat, quod omnes Bullæ Pontificum, in quibus per indulgentias promittitur remiſſio *a pœna & a culpa*, ſint ſuppoſititiæ ac confictæ. *Pontas.*

CASUS XVI. Petrus occaſione jubilæi penitus reſipiſcere cupiens, primo ſtatim die præter alia peccata confitetur etiam reſervatum, cui annexa erat excommunicatio ipſo facto incurrenda, cum firmiſſimo propoſito etiam reliquas in Bulla præſcriptas conditiones adimplendi: abſolvitur itaque tam a cenſura quam ab omnibus peccatis. Verum cum poſt quatuor dies denuo commiſiſſet peccatum mortale, cecidit animo, & jubilæum lucrari neglexit. An cenſura & reſervatio peccati denuo reviviſcunt, ita ut finito jubilæo teneatur recurrere ad Superiorem pro obtinenda nova abſolutione?

℟. Abſolutio tam a cenſura quam a peccato reſervato, quam Petrus tempore jubilæi bona fide ac cum ſeria voluntate omnia præſcripta peragendi conſecutus eſt, eſt valida, licet poſtea voluntatem mutaverit. Hinc non tenetur pro nova abſolutione recurrere ad Superiorem: nec enim a jure nec ab homine hæc obligatio imponitur, ut docet Navarrus L. 5. Conſil. 19. de Pœnit. *Pontas.*

CASUS XVII. Martinus prima mox hebdomada peregit omnia pro lucrando jubilæo præſcripta. Sed poſt quinque dies incurrit caſum reſervatum, de quo ex toto corde dolet, & emendationem proponit. In hac animi diſpoſitione confitetur confeſſario ſuo ordinario, & ut ſecunda vice

jubi-

jubilæum lucretur, de novo peragit omnia requiſita. Poteſtne ſecunda vice lucrari jubilæum, & abſolvi a confeſſario ſuo, qui extra tempus jubilæi non habet facultatem abſolvendi a reſervatis?

℟. Sylvius Reſol. var. v. *Jubilæum.* n. 2. & 3. cenſet, pœnitentem probabilius non poſſe ſecunda vice a reſervatis abſolvi ac lucrari jubilæum; non tamen reprehendendum putat confeſſarium, qui ſententiam oppoſitam ſecutus pœnitentem ſecunda vice accedentem iterato abſolveret a reſervatis vel cenſuris, dummodo pœnitens opera præſcripta pro lucrando jubilæo iterato peragat. Dimiſſa autem Sylvii opinione cum Navarro Tom. 2. Comment. de Jubil. notab. 32. n. 6. ſentiendum videtur, quod, cum tempus determinatum pro lucrando jubilæo reſtrictum non ſit a Bulla præciſe ad unam hebdomadam, ac etiam liberum cuilibet ſit, an id lucrari velit prima aut ſecunda hebdomada, poſſit quis lucrari jubilæum ſecunda hebdomada, licet prima jam lucratus ſit. Hinc Martinus poteſt & in ſecunda hebdomada abſolvi a peccato reſervato. *Pontas.*

Nota. Hæc reſponſio conſideratis omnibus videtur valde dubia tam in principiis quam in ſequelis. Ex quo ſequitur, nunquam a confeſſario ſecunda vice abſolvendum eſſe a peccato reſervato eum, qui jam lucratus eſt jubilæum.

CASUS XVIII. Honorius per tres dies jejunare, ac plures ſtationes in diverſis eccleſiis ex præſcripto Bullæ facere detrectans, & aliunde ſciens, indulgentiam aliam plenariam quoad effectum haud differre ab indulgentia jubilæi, ſatis ſe feciſſe arbitrabatur, ſi in eccleſia, cui indulgentia plenaria conceſſa eſt, ſemel recitet quinque *Pater* & *Ave*, & elargiatur eleemoſynam, ſicque impleat conditiones ad lucrandam in dicta eccleſia indulgentiam plenariam requiſitas. An per hanc indulgentiam conſecutus eſt etiam indulgentiam jubilæi?

℟. Certum eſt, Honorium nec indulgentiam præfatæ eccleſiæ, nec jubilæi lucratum eſſe: tempore enim jubilæi ſuſpenduntur omnes aliæ indulgentiæ, ut patet ex Bulla Sixti IV. *Quemadmodum.* Animadvertendum hic, quod juxta Navarrum Comment. de jubil. 25. n. 1. & ſeq. & notab. 33. n. 1. in ſuſpenſione generali indulgentiarum tempore jubilæi non comprehendantur indulgentiæ non plenariæ ſeu partiales. *Pontas.*

CASUS XIX. Epimachus Religioſus paulo ante apertionem jubilæi in quadam parochia concionatus palam edixe-

rat, indulgentiam jubilæi bujus eſſe conceſſam in favorem vivorum pariter ac defunctorum, eamque infallibiliter vivis ac defunctis profuturam, ſi præſcripta a Pontifice opera exacte adimpleantur. Dominica vero ſubſequente parochus publice edocuit populum, dictum Religioſum, quod ad defunctos attineret, non bene dixiſſe. Cuinam aſſentiendum?

℞. Sciendum, duas dari indulgentiarum ſpecies: una conceditur per modum *abſolutionis*, & altera per modum *ſuffragii*. Priori indulgentia, quæ fundatur in illis Chriſti verbis ad Petrum, *Quodcumque ſolveris &c.* Eccleſia fidelibus remittit pœnam peccatis eorum debitam, quorum culpa eis jam remiſſa fuit per Sacramentum pœnitentiæ; & hæc remiſſio in iis, qui ad mentem Eccleſiæ rite diſpoſiti ſunt, infallibiliter ſuum conſequitur effectum. Poſterior indulgentiæ ſpecies habet ſolum rationem ſupplicationis ac interceſſionis ad Deum pro animabus in purgatorio detentis, ut dignetur per ſuam infinitam miſericordiam acceptare ſatisfactiones ſuperaffluentes Jeſu Chriſti & Sanctorum pro remiſſione pœnarum juſtitiæ divinæ debitarum. Diſcrimen inter utramque indulgentiam ex parte poteſt declarari in hoc exemplo: Duo ſubditi ſupremi Principis detinentur in captivitate, unus in territorio ipſius & alter apud Turcas; illum liberat Princeps ſuamet authoritate *abſolvendo*, hunc vero ſolum *intercedendo* apud Sultanum vel ſolvendo redemptionis pretium. Sic & Eccleſia pro fidelibus vivis ut ſubditis indulgentias concedit *per modum abſolutionis*; pro defunctis autem extra juriſdictionem ſuam poſitis *per modum ſuffragii*. Unde & Epimachi & parochi doctrina in bono ſenſu poteſt accipi: indulgentiæ enim æque proſunt defunctis ac vivis, ſed diverſo modo. Cum autem indulgentiæ non operentur niſi conformiter ad intentionem concedentis, non poſſunt applicari pro defunctis, niſi id expreſſe contineatur in Bulla. *Pontas.*

NOTA. Videri poterit Epiſtola circularis Benedicti XIV, de anno 1749. 3. Decemb. in qua determinat plus quam quadraginta quæſtiones in materia de jubilæo eo usque controverſas; quam Euſebius Amort *Theologiæ* ſuæ *Eclecticæ* inſeruit Tract. de Pœnit. Diſp. 7. de Indulg.

Vide *Abſolutio. Confeſſarius. Confeſſio. Indulgentiæ.*

JUDÆUS.

1. Judæi, quamvis diſperſi inter omnes nationes fidelium & paganorum, legem tamen Moſaicam adhuc obſervant,

vant, reſpuentes Evangelium, ac Jeſum Chriſtum verum eſſe Meſſiam & humani generis Redemptorem negantes.

2. Ex regnis Principum Chriſtianorum Judæi quandoque fuerunt ejecti & quandoque denuo recepti. Sic Dagobertus primus erat e Regibus Galliæ, qui eos ſuis e ſtatibus proſcripſit, & Philippus Auguſtus rurſus anno 1186. omnes expulit; Ludovicus autem Hutinus, ſane non gratis, ipſis denuo reditum conceſſit. Legibus tam eccleſiaſticis quam civilibus olim cautum erat, ne quis Chriſtianorum in eadem domo cum Judæis degeret ut famulus aut ancilla: Bartholomæus Fumus id ſine peccato mortali haud fieri poſſe exiſtimat. Commercium tamen mercatorium cum iis exercere interdictum non eſt.

3. Judæi ſunt incapaces omnis muneris, dignitatis ac officii publici; imo ne quidem in actibus publicis admittuntur ut teſtes. In locis, ubi tolerantur, ex decreto Alexandri III. & Innocentii III. diebus Paraſcevis & Paſchatis non licet eis domibus ſuis egredi, ſed tenentur ibi remanere januis ac feneſtris clauſis. In regno Galliæ non poſſunt emere fundos aut bona immobilia.

4. Cum Judæi jure accenſeantur infidelibus, id etiam de ipſis intelligendum, quod in articulo de impedimentis matrimonii de *diſparitate cultus* dictum eſt. Et hinc Eccleſia ſemper ſollicite cavet, ne Catholici matrimonia ineant cum Judæis, aut ullam cum iis familiaritatem contrahant, aut conviviis aſſideant. Panormitanus exiſtimat, mulierem Chriſtianam absque peccato non poſſe eſſe nutricem infantis Hebræi, nec ægrotantem Chriſtianum uti poſſe opera medici Judæi.

5. Authoritas Eccleſiæ eo usque ſe non extendit, ut cogere poſſit Judæos ad complectendam religionem Chriſtianam; quia non ſunt illius ſubditi, utpote non baptizati.

CASUS I. Carolus Princeps ſupremus ex ditionibus ſuis omnes expulit Judæos, eorumque bona, quæ poſſidebant, ac per uſuras aquiſierant, ſuo addixit fiſco. Num juſte ac licite?

℟. Princeps potuit eos ſpoliare bonis per uſuram aquiſitis. Aſt tuta conſcientia ea ſibi retinere non poteſt, niſi ab ipſomet Principe aut ejus anteceſſoribus fuiſſent extorta; alias enim teneretur reſtituere iis, quibus ipſi Judæi ut injuſte parta reſtituere tenebantur. Ita docet S Thomas Opuſc. 1. reſcribens ad Duciſſam Brabantiæ, a qua hac ſuper re fuerat conſultus. Addit S. Doctor, quod, ſi veri horum bonorum domini detegi non poſſint, ea a Principe juxta con-

ſilium Epiſcopi ſui aut aliorum virorum proborum in uſus pios vel in communem utilitatem aut publicam neceſſitatem converti debeant. *Pontas.*

CASUS II. Magiſtratus condemnavit Judæum juſta ex cauſa ad mulctam pecuniariam ærario Principis ſolvendam. Num Princeps licite ſibi retinere poteſt hanc mulctam, etſi certus ſit, Judæum non poſſidere alia bona, niſi ex meris uſuris aquiſita?

℟. Sententia Magiſtratus etſi de ſe juſta non tribuit Principi jus retinendi mulctam a Judæo perſolutam: non enim poteſt judex rem alienam adjudicare alteri, ad quem non pertinet. Pertinet autem hæc pecunia ex uſuris parta ad eos, a quibus Judæus injuſte exegit. Hinc juxta S. Thomam l. c. Princeps de hac mulcta tenetur eodem modo diſponere, ut dictum eſt ad caſum primum. Cum tamen poſſet obiici in favorem Principis, quod damnum per injuſtas exactiones Judæorum ſubditis illatum in ipſum recidat Principem, eo quod a ſic depauperatis ſubditis non poſſit levare ea ſubſidia, quæ levare poſſet ſine his injuſtitiis Judæorum. Reſpondet S. Doctor, id ipſis Principibus imputandum, eo quod Judæos non adſtringant ad labores, ut adſtringuntur in Italia, ſed permittant eos vivere in otio ac in pravo exercitio uſurario: quod idem eſt, addit S. Thomas, ac ſi permitteret Princeps, ut ſubditi vivant ex raptis & latrociniis; ſub hoc enim prætextu non poſſet ſibi attribuere bona ſubditorum ſic aquiſita, ſuoque peſſimo regimini deberet adſcribere damnum, quod ex ejusmodi deordinatione pateretur. *Pontas.*

NOTA. Moderno hoc tempore Judæi ob periculum ſortis aut titulum lucri ceſſantis, niſi habeant pignus paris valoris, difficulter convincuntur de uſura.

CASUS III. Iſmael Judæus, alia non habens bona niſi ex uſuris aquiſita, ſingulis annis Domino loci, in quo ſuum fixit domicilium, haud exiguum offert honorarium, ut ſic ipſius protectionem ſibi conciliet. Poteſtne Dominus loci ſalva conſcientia illud accipere ac retinere?

℟. Juxta ejusdem angelici Doctoris ſententiam l. c. non poteſt Dominus loci ejusmodi honorarium in proprios uſus retinere, ſed tenetur id reſtituere illis, a quibus Judæus uſuras exegit, aut, ſi hi lateant ac ignorentur, in pias cauſas expendere vel pro bono publico applicare; ſaltem niſi hujusmodi bona Judæo bona fide ex ſerio reſtitutionem offerenti liberaliter condonata fuiſſent ab iis, a quibus injuſte percepit, ut idem S. Doctor obſervat. *Pontas.*

CA-

CASUS IV. Ludovicus Princeps admiſit quidem Judæos in provinciam, ac ipſis per tempus determinatum ſuam contra omnes vexationes protectionem promiſit. Plures autem ex ipſis, poſtquam Chriſtianam Religionem profeſſi eſſent, denuo ad Judaiſmum rediere. Poteſtne Principis ſucceſſor tales Judæos apoſtatas tuta conſcientia recipere aut tolerare?

℟. Salva conſcientia nec recipere eos nec tolerare poteſt in ſuis Statibus, quantumcumque demum emolumentum temporale ab iis percipiat. *Statuimus*, inquit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. Cap. Quidam. 4. Lib. 5. Tit. 9. *ut per Prælatos Eccleſiarum talis obſervantia veteris ritus omnimode compeſcatur, ut quos Chriſtianæ Religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, ſalutiferæ coactionis neceſſitas in ejus obſervatione conſervet. De Lamet.*

Nota. Pacta ſolemnia etiam ethnicis & Judæis ſervanda ſunt. Sed nova pacta in præjudicium Eccleſiæ & populi Chriſtiani, ſive ſit ſpirituale ſive temporale, ſalva lege charitatis erga Deum, extra caſum majoris neceſſitatis pro bono publico Eccleſiæ vel Reipublicæ a Principe Chriſtiano iniri non poſſunt.

JUDEX.

1. *Judex* dicitur, qui authoritate Principis conſtitutus eſt ad adminiſtrandum juxta leges & formam a legibus præſcriptam ſubditis iuſtitiam cuilibet debitam. Unde patet diſcrimen judicis ab *arbitro*, qui poteſtatem ſuam ſolum obtinet a partibus ipſum ut arbitrum eligentibus, quique ſolum *ex æquo & bono* judicare tenetur.

2. Ut igitur judex ſit legitimus, requiruntur hæc: 1. authoritas ſupremi Principis illum conſtituentis. 2. Ut in judiciis ſuis ſervet ordinem juſtitiæ. 3. Ut ii, quos judicat, ſint juriſdictioni ipſius ſubjecti. 4. Ut cauſa, de qua judicat, ſit ſui fori. Hæc, aut alterutrum horum ſi deſit, ſententia ipſius injuriam inferret partibus; quia ſibi arrogaret & uſurparet poteſtatem, quam non habet, & eo ipſo lata ſententia haud eſſet valida juxta regulam juris: *Ea, quæ fiunt a judice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.* Nihilominus tamen judex loci, in quo patratum eſt crimen, habet jus cognoſcendi ſuper crimine, & inquirendi in reum, licet hic ſuæ non ſubjaceat jurisdictioni: dicit enim lex: *ibi ſemper cauſa agatur, ubi crimen admittitur.*

3. In materia criminali judex poteſt procedere vel per viam *informationis* ex officio, vel *accuſationis* factæ a quopiam, qui ſe obligat ad probandum factum, de quo accuſat alterum, aut per viam *denunciationis*, quam facit unus adverſus alterum, quin ſe obliget ad probationes neceſſarias ad hoc, ut denunciatus convincatur de crimine, quod ipſi imputatur.

4. Sicut duplex datur jurisdictio, eccleſiaſtica ſcilicet & civilis, ita duo quoque eſſe genera judicum neceſſe eſt, *eccleſiaſticum* nempe & *ſæcularem*. Uterque vel eſt *ſuperior* vel *inferior*. Neque judex ſæcularis poteſt involare in jurisdictionem judicis eccleſiaſtici, nec eccleſiaſticus quidquam attentare in præjudicium judicis ſæcularis; ſive dein ſit judex ordinarius ſive tantum delegatus.

5. Non eſt judicis, ſed ſolius legislatoris interpretari leges: in caſibus tamen, de quibus legislator nihil ſtatuit, judex ſervata æquitate ſemper ſequi debet partem mitiorem & benigniorem; & id præcipue in materia criminali, ubi agitur, de infligenda pœna, juxta regulam juris: *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda.*

6. Nunquam licet judicibus recipere honoraria a partibus litigantibus; & ſi ea receperint, ad reſtitutionem tenentur.

7. Qui judex eſt in aliqua cauſa, & coram eo lis fuit inchoata, non poteſt amplius agere arbitrum in ea cauſa juxta legem: *Si quis vero judex ſit, arbitrium recipere ejus rei, de qua judex eſt, & in ſe compromitti jubere prohibetur lege Julia.*

8. Si judex eſt *ſubalternus*, parti condemnatæ licet appellare pro reformatione ſententiæ tam quoad ſubſtantiam quam quoad modum, formam & ordinem judicii. Verum ſi intra præſcriptum tempus non fuerit interpoſita appellatio, judex inferior *a quo* redit de jure in ſuam jurisdictionem.

9. Regulariter loquendo judex non poteſt judicialem pronunciare ſententiam diebus feſtis.

CASUS I. Cum Hamburgi generalis oriretur ſeditio, ac populus ignem Palatio urbis ſubiicere, ibique congregatum Magiſtratum interficere minaretur, niſi quemdam hominem, qui ad dictum Palatium confugerat, ad mortem condemnaret vel ad perpetuas triremes, Magiſtratus præcavendi malum, ſedandæque ſeditionis gratia memoratum hominem ad mortem condemnavit, licet de innocentia ipſius certus eſſet, An Magiſtratus id facere potuit?

R. Nun-

℟. Nunquam licet condemnare innocentem ad pœnam corporalem, qualis eſt mors, mutilatio, verberatio & triremes. Ita S. Thomas 2. 2. q. 108. art. 4. ad 2. Poteſt tamen puniri jactura bonorum ſuorum, quando juſta & gravis cauſa ſubeſt, ut in hoc caſu. *Pœna autem damni punitur aliquis*, proſequitur S. Doctor, *etiam ſecundum humanum judicium, etiam ſine culpa, ſed non ſine cauſa.* Rationem allegat; quia juxta S. Auguſtinum judices in ſuis judiciis imitari debent judicia, quibus Deus manifeſte peccatores condemnat; Magiſtratus itaque tuta conſcientia non potuit ſententiam mortis ferre in innocentem. *Pontas.*

CASUS II. Albertus furti reus condemnatur ocyus a judice criminali ad ſolam depoſitionem quatuor aut quinque teſtium, qui eum in flagranti deprehenderunt, nullo comparente accuſatore. Num id fieri potuit legitime?

℟. Sententia hujus judicis eſt injuſta, & eo ipſo nulla: judex enim eſt interpres juſtitiæ; juſtitia autem importat relationem neceſſariam inter actorem & reum, ſeu inter accuſatorem & accuſatum, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 3. C. Probat id S. Doctor ex illo Act. 25. v. 16. *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*, quæ ei obiiciuntur. *Pontas.*

Nota. Jus naturale & bonum publicum has formalitates non requirit, ubi notorietas criminis loco accuſatoris nomine populi clamat ad judicem.

CASUS III. Sylvius coram Theophilo judice accuſatur de aſſaſſinio, & tres aut quatuor teſtes, contra quos accuſatus legitime excipere non poterat, deponunt contra ipſum, ac teſtes oculares occiſionis ſe eſſe aſſerunt. Theophilus autem certus eſt de falſitate harum depoſitionum; cum ipſus viderit in loco valde remoto a loco homicidii, & in ipſa hora occiſionis eum ex alto delabentem, & ex lapſu occubuiſſe, quem Sylvius interfeciſſe inſimulatur. Poteſtne judex, poſtquam omnem conatum adhibuit ad infirmandas depoſitiones teſtium, licet incaſſum, judicare in conſcientia *ſecundum allegata & probata*, & condemnare Sylvium ad pœnam in aſſaſſinium ſtatutam?

℟. Plurimi Theologorum & Canoniſtarum hanc quæſtionem diſcuſſerunt: quidam eorum tenent affirmativam, & alii negativam. Hæc poſterior opinio videtur evidenter verior; & hinc dicendum, quod Theophilus, & quiscumque

demum alius judex, ſi in ſimili caſu ad ſupplicium condemnat accuſatum, quem certo novit innocentem, reum ſe conſtituat ſanguinis ac mortis ipſius: nec enim Scriptura, nec Patres, nec leges ullo in loco formaliter declarant, ejusmodi accuſatum condemnari poſſe. Imo jus naturale vetat occidi innocentem; nec ulla lex poſitiva in hoc diſpenſare poteſt. Deus ipſemet Exodi 23. ait: *Non ſuſcipies vocem mendacii, nec in judicio plurimorum aquieſces ſententiæ, ut a vero devies. . . inſontem & juſtum non occides.* Denique judex non habet poteſtatem condemnandi innocentem a lege naturali, quæ id prohibet; nec a lege divina, quæ, ut mox dictum eſt, repugnat; nec a lege humana, cujus mens ac intentio nunquam poteſt eſſe promovendi bonum publicum per mortem innocentis *Pontas.*

CASUS IV. Juſtinianus judex in proceſſu criminali Petrum inter & Paulum dubius hæret de juſtitia cauſæ Pauli; cum ipſius jus videatur probabile, Petri autem probabilius. Hinc quærit, an teneatur in conſcientia pronunciare pœnam corporalem contra Paulum in favorem Petri; & num idem dicendum in cauſa civili, ita ut pariter teneatur judicare juxta opinionem probabiliorem.

℞. In cauſa criminali non tenetur ferre ſententiam contra reum juxtra opinionem probabiliorem; quando enim agitur de pœna infligenda, poteſt in favorem rei ſequi illam opinionem, quam ſcit vere probabilem. Ratio eſt; quia in cauſis criminalibus judex debet potius favere accuſato quam accuſatori juxta regulas juris: *Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius quam actori.* Et: *in obſcuris minimum eſt ſequendum.* Item: *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* In cauſis civilibus autem judicandum eſt juxta opinionem probabiliorem. *Pontas.*

NOTA. In cauſis civilibus jus dubium juxta majorem vel minorem partium probabilitatem ex æquo dividendum eſſe videtur.

CASUS Tribonianus judex in civilibus & criminalibus exiſtimat, ſe non univerſim obligari ad obſervandam in judiciis ſuis literam legis, ſed ſibi ratione officii quandoque competere facultatem interpretandi legem, ſi juſta ſubſit cauſa dubitandi de vero ſenſu legis. An non erronee ſic exiſtimat?

℞. Optime ſentit Tribonianus juxta S. Gregorium Can. *Humanæ.* 11. Cauſ. 22. q. 5. ubi ait: *Noverit ille, qui intentionem & voluntatem alterius variis explicat verbis; quia non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem & intentionem; quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni.* Et Leg. *Neque.* 10. ff. Lib. 1. Tit. 3. dicitur: *Neque*

que leges neque Senatusconſulta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur. S. Thomas manifeſto id exemplo confirmat 1. 2. q. 96. art. 6. C. *Si emergat caſus*, inquit, *in quo obſervatio talis legis ſit damnoſa communi ſaluti, non eſt obſervanda: ſicut ſi in civitate obſeſſa ſtatuatur lex, quod portæ civitatis maneant clauſæ, hoc eſt utile, ut in pluribus. Si tamen contingat caſus, quod hoſtes inſequantur aliquos cives, per quos civitas conſervatur, damnoſiſſimum eſſet civitati, niſi eis portæ aperirentur; & ideo in tali caſu eſſent portæ aperiendæ contra verba legis, ut ſervaretur utilitas communis, quam legislator intendit.* Extra caſum tamen urgentis neceſſitatis judex tenetur ſemper ſe conformare ipſis verbis legis. *Pontas.*

Nota. Ubi æquitas, ibi etiam neceſſitas exigit, ſequendam eſſe potius mentem legislatoris non expreſſam, quam Judaicum corticem, ſeu literam legis.

CASUS VI. Duodecim judices ejusdem Curiæ habentes authoritatem ab ipſo Principe reum quemdam condemnarunt ad mitiorem pœnam, ac a legibus ſtatuta erat; idque ex ſolo affectu commiſerationis. An non peccarunt?

℟. Peccarunt utique: Princeps enim illos authoritate donavit in eum finem, ut ea utantur juxta formam ac tenorem legum ſtabilitarum, & fideliter exequantur, quæ Princeps legislator ſtatuit. *Lex Superioris*, inquit Clemens V. Clement. *Ne Romani*. 2. Lib. 1. Tit. 3 *per inferiorem tolli non poteſt*; & hoc maxime, cum inferior ab illo Superiore recipit poteſtatem. Dein intereſt boni communis ac publici, ut delinquentibus contra legem infligatur pœna a lege determinata; imo quandoque etiam bonum privatum accuſatoris exigit, ut reus ſubeat pœnam, vi legis ipſi debitam propter injuriam illatam, ut advertit S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 4. C. Princeps ipſe tamen ex plenitudine ſummæ poteſtatis, reo pœnam a lege præſcriptam vel mitigare vel penitus condonare poteſt, compenſatione accuſatori aliunde præſtita. *Pontas.*

CASUS VII. Manilius & Leander litigant de proprietate cujusdam fundi, cujus valor 1000. florenis æſtimatur. Feſtus autem judex non ex malitia, ſed ex mera imprudentia injuſtam tulit ſententiam contra Leandrum. Num judex tenetur propriis impenſis Leandro reparare damnum illatum?

℟. Quamvis non ex malitia injuſtam tulerit ſententiam, tenetur tamen ad integram reparationem damni Leandro il-

 lati;

lati; ſuppoſito quod a Manilio reparationem damni non obtineat, qui primus ac principaliter ad eam tenetur. Ratio eſt; quia, ſi non habuit neceſſariam juris ſcientiam, non potuit acceptare officium judicis; ſi vero habuit debitam ſcientiam, debuiſſet adhibere omnem diligentiam in inquirenda juſtitia. Ita S. Raymundus in Sum. Lib. 2. Tit. 5. *De raptoribus.* §. 35. *Pontas.*

CASUS VIII. In quadam provincia leges præcipiunt aut ſaltem approbant res injuſtas, quas inter eſt uſura. An judex ſine peccato ſe legibus hiſce conformare poterit?

℟. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 60. art. 5. ad 1. totum genus humanum non habet poteſtatem introducendi legem aut conſuetudinem contrariam aut præjudicantem juri naturali. Hinc omnis lex præcipiens aut approbans quidpiam, quod quocumque demum modo juri naturali adverſatur, eſt injuſta, ac neminem obligat; & conſequenter etiam judex non poteſt ſe ejuſmodi legi conformare in ferendis ſententiis. *Pontas.*

CASUS IX. David a Principe conſtitutus judex cujusdam civitatis in politicis cum ſalario 1000. florenorum dimidium temporis, quod deberet impendere ſuo officio, inſumit in negotiis privatis domeſticis, venatione aut aliis recreationibus. An peccat? Num etiam tenetur ad aliquam reſtitutionem faciendam Principi vel Publico?

℟. Peccat abſque dubio contra juſtitiam, & ſe furti reum conſtituit. Catechiſmus Tridentini part. 3. De præcept. n. 17. ait: *Illi quoque in furum numero reponendi ſunt, qui, cum ad privatum aliquod vel publicum officium conducti ſunt, nullam vel parvam operam navantes, munus negligunt, mercede tamen ac pretio fruuntur.* Unde evidens eſt, Davidem obligari ad reſtitutionem ſalarii Principi faciendam, ſaltem pro rata ſuæ negligentiæ ac omiſſionis. Ad hæc tenetur etiam reparare omnia damna per ſuam malitiam, ignorantiam ac notabilem negligentiam quibuscumque demum illata, ut docet S. Bernardinus Serm. 34. in Dom. 4. Quadrag. *Pontas.*

Nota. Reſtitutio ſalarii facienda eſt Principi juxta ratum temporis, ſportularum vero & taxarum Publico, & damnificationum particularium privatis.

CASUS X. Fredulphus in cauſis civilibus ac criminalibus judex cujusdam civitatis tolerat in ea meretrices. Tempore paſchali jam confitetur, & acriter reprehenditur a parocho, ut jam alias factum eſt, ob tolerantiam harum mulie-

rum

r m in urbe; confitens autem pro excuſatione reponit, quod ſua quidem opinione non detur abſoluta obligatio eas eiici-endi. Poteſtne parochus Fredulpho denegare abſolutionem, niſi ſpondeat, ſe meretrices urbe ejecturum?

℟. Si Fredulpho perſuaſum ſit, ſe dictas meretrires ex urbe proſcribere haud poſſe, quin majora exinde orian-tur mala, non tenetur juxta D. Thomam 2. 2. q. 10. art. 11. C. eas eiicere, & parochus ſalva conſcientia non po-teſt illi denegare abſolutionem ex eo; quod hac in re mo-rem non gerat. Antiquus Author apud S. Thomam Opuſc. 20, de regimine Princip. refert hæc verba S. Auguſtini: *Hoc facit meretrix in mundo, quod ſentina in navi, vel cloaca in palatio. Tolle cloacam, & replebis fœtore palatium; & ſi-militer de ſentina. Tolle meretrices de mundo, & replebis ip-ſum ſodomia. Pontas.*

Nota. Iſta majoritas malorum debet eſſe in eadem genere malorum; debet etiam eſſe eminenter & evidenter major; ac denique debet eſſe æque immedicabile. Meretrices forte tolerari poſſunt in ma-ximis urbibus, ubi reperiuntur v. g. quinquaginta millia homi-num exterorum, exemptorum a jurisdictione Magiſtratus, de qui-bus timetur, ne corrumpant filias civium, in quorum morantur domibus.

CASUS XI. Thucidides cauſæ ſuæ apud judicem hæ-renti valde diffidens Edmundo judici, ut ab eo favorabi-lem obtineat ſententiam, donationem facit viginti aureo-rum. Edmundus in ipſius favorem tulit ſententiam, & quidem obſervatis ad ultimum uſque apicem juſtitiæ legibus. Cum igitur lata ſententia juſta ſit, an non poteſt judex tuta conſcientia oblatam ſibi ſummam retinere?

℟. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. judex indubitato tenetur ad reſtitutionem accepti: ſemper enim datur obligatio reſtituendi, dum quis accipit pecuniam ob actionem illicitam, quotieſcumque hoc fit contra intentio-nem legis prohibentis; prohibet autem lex juſtitiam vende-re pretio. Non excuſatur Edmundus per hoc, quod ejus ſententia fuerit juſta; quia juſtitia cuilibet gratis impenden-da; & licet enormius crimen ſit munera recipere pro ſen-tentia injuſta, non deſinit tamen grave peccatum eſſe ven-ditio ſententiæ etiam juſtæ. En terribilem maledictionem, quam Propheta Micheas cap. 3. v. 11. & 12. nomine Dei an-nunciat judicibus avaris & proprio lucro inhiantibus: *Prin-cipes ejus in muneribus judicabant, & ſacerdotes ejus in mer-cede docebant, & prophetæ ejus in pecunia divinabant... Pro-pter hoc cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur, & Jeruſalem quaſi*

quaſi acervus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſilvarum. Juſtinianus Authent. *Novo jure.* Cod. Tit. 49. ejusmodi judicem obligat ad reſtitutionem tripli. *Pontas.*

CASUS XII. Edmundus judex in cauſa Julianum inter & Juſtinum in favorem prioris, utpote amici ſui, diſtulit ſententiam, quamvis cauſam Juſtini certe juſtam eſſe agnoverit; & ex hac ſententiæ ſuſpenſione factum, ut Juſtinus jus ſuum amitteret. An tenetur Juſtino compenſare damnum exinde ſecutum?

℟. Juxta S. Raymundum in Sum. Lib. 2. Tit. 5. §. 36. judex tenetur ratione doli & craſſæ negligentiæ integrum damnum, quantumcumque ſit, Juſtino reſarcire. *Pontas.*

CASUS XIII. Si utraque litigantium pars æqualem prorſus cauſæ ſuæ probabilitatem habeat, an non judex poteſt ab alterutra parte recipere munuſculum, quo donans favorem judicis ſibi conciliare cupit?

℟. Juxta dicta ad caſum 11. judex neque in hac hypotheſi poteſt absque graviſſimo peccato recipere munuſcula. Arg. Leg. *Si veſtimenta*, fin. Lib. 12. Tit. 5. Alexander VII. propoſitionem oppoſitam n. 27. expreſſe damnavit, eamque doceri aut in praxin deduci prohibuit ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & extra articulum mortis Sedi Apoſtolicæ reſervatæ. Eſt autem hæc propoſitio: *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio. Pontas.*

CASUS XIV. Caſimirus judex in cauſa inter Dominum territorialem parœciæ & quosdam Minorennes & pauperes pupillos loci, libenter vellet his favere juxta conſilium Sapientis, qui ait: *in judicando eſto pupillis miſericors ut pater.* An non ſe reum facit acceptionis perſonarum?

℟. Si ſententia in favorem pupillorum ferenda adverſatur juſtitiæ, absque gravi peccato Caſimirus non poteſt favere pupillis in præjudicium Domini territorialis: juſtitia enim adminiſtranda eſt absque omni acceptione perſonarum, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 4. ad 3. Certiſſimum tamen eſt, quod judex pupillis, egenis, & aliorum auxilio deſtitutis teneatur omnem commiſerationem & aſſiſtentiam exhibere, quæ autem potiſſimum conſiſtit in eo, ut eos omni data occaſione protegat, ne aliorum fraudibus, potentia ac injuſtis litibus opprimantur; ut eos non reſpuat, patienterque ac ſine tergiverſatione audiat; eorum cauſas ante pronunciationem ſententiæ ſtudioſe ac diligenter examinet; ut denique eorum lites non protrahat in longum

gum tempus, ſed prompte expediat, ac per accumulatas expenſas non patiatur eos conſumi a ditioribus ac potentioribus. Et in hoc ſenſu textus Scripturæ in caſu allegatus intelligendus eſt. S. Iſidorus Can. *Quatuor.* 78. Cauſ. 11. q. 3. quatuor enumerat ſcopulos, ad quos judices allidunt & pereunt, ac humana judicia pervertuntur, dum ait: *Quatuor modis pervertitur humanum judicium: timore, dum metu poteſtatis alicujus veritatem loqui pertimeſcimus: cupiditate, dum præmio animum alicujus corrumpimus: odio, dum contra quemlibet adverſarium molimur: amore, dum amico vel propinquo complacere contendimus. Pontas*

CASUS XV. Nicoſtratus judex in cauſis criminalibus, cum a fure obtinere non poſſet, ut veritatem loqueretur, uſus eſt terminis æquivocis ac captioſis interrogationibus, quibus fur inductus faſſus eſt crimen, & propterea ad mortem condemnatus. An judex peccavit?

℞. Judex non poteſt excuſari a peccato: nunquam enim licet judici fraude inducere accuſatum ad confitendum crimen; quia id vix non idem eſt ac partes accuſatoris agere, & ſubſidia conquirere ad condemnationem rei; cum tamen judex potius favere debeat reo, quantum ſalva juſtitia fieri poteſt juxta Honorium III., qui Cap. *Ex parte tua.* fin. Lib. 1. Tit. 36. ait: *In his vero, ſuper quibus jus non invenitur expreſſum, procedas æquitate ſervata ſemper in humaniorem partem declinando. Pontas.*

Nota. *Captioſæ interrogationes ſolum prohibentur, ubi contra reum necdum habetur probatio ſemiplena; fraus autem mendax nunquam eſt licita.*

CASUS XVI. Diogenianus judex in cauſis criminalibus reo homicidii, contra quem violentæ ſolum aderant præſumptiones, aſſeveravit, ſe jam validas habere probationes homicidii, ipſique ſpem fecit ſervandæ vitæ, ſi ultro fateretur crimen. Reus exinde deceptus, ac teſtes jam contra ſe depoſuiſſe ratus, faſſus eſt homicidium. An iſta ſimulatio judici erat licita?

℞. Fraus & mendacium in nullo unquam caſu permitti poſſunt, nec leges judicibus permittunt, ut accuſatos terminis æquivocis decipiant. *Cum enim judices*, inquit Bail p. 3. de exam. pœnit. q. 13. *valde abhorreant reſponſa æquivoca in reis, de quorum vita agitur... quanto magis in ſe ipſis debent æquivoca verba circa reos abominari; ne ipſis præbeant exemplum eludendi per æquivocationes eorum interrogata?* Simplicitas igitur, æquitas ac ſinceritas inſeparabiles juſtitiæ,

tiæ, & omnium actuum judicialium comites eſſe debent, licet quandoque ex earum obſervantia crimen coram hominibus impunitum maneat: judex enim punire non tenetur, niſi crimina cognita per viam & ordinem juris, excludentis omnem fraudem ac mendacium quodcumque tam ex parte judicis quam ex parte judicandi. *Nec poteſt judex*, proſequitur Author laudatus, *aliud crimen punire, quam quod eſt notum ſecundum juris ordinem, qui ordo mendax eſſe non debet. Pontas.*

CASUS XVII. Samſon aggreſſus eſt Antonium, eumque contumeliis oneratum ad ſanguinis effuſionem usque vulneravit, ita tamen, ut vulnus lethale non eſſet. Advocatus judicialis ex officio detulit aggreſſorem ad judicem, qui cum aggreſſore criminaliter proceſſit. Verum paulo poſt partes ſe reconciliarunt invicem, facta compoſitione, ut Samſon ſolveret viginti florenos Antonio. Poteſtne judex tuta conſcientia cauſam derelinquere & deſiſtere a ſententia, maxime cum ſolum agatur de pœna pecuniaria?

℞. Judex tenetur proſequi cauſam, ferre ſententiam, & Samſonem condemnare ad pœnam commeritam: licet enim partes privatam reconciliationem & pacificam compoſitionem inierint, ac a mutuis juribus deſtiterint; bonum tamen commune, & ſecuritas ac tranquillitas publica exigunt a judice tanquam executore legum reparationem culpæ commiſſæ legitimam. *Pontas.*

CASUS XVIII. Darius judex tulit ſententiam contra Ancelinum reum adulterii & uſuræ, eumque condemnavit ad mulctam pecuniariam 200. florenorum & ad infamem cippum, licet ipſus eorundem criminum reum ſe ſciat. Potuitne abſque peccato ſic judicare?

℞. Cum peccata judicis ſint occulta, & ipſe ex officio ſententiam pronunciare teneretur, potuit ſic agere, quin coram Deo novum condemnationis meritum ſibi contraxerit; dummodo id factum fuerit cum humilitate ac timore, ut advertit S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 2. ad 5. *Pontas.*

CASUS XIX. Præſes Conſilii aulici decrevit comprehenſionem cujusdam Clerici propter delictum, quod certe non pertinebat ad hoc forum. Tres conſiliarii non aſſenſetunt cæteris; ſubſcripſerunt tamen decreto, pro quo ſtabat votorum pluralitas. An peccarunt ſubſcribendo?

℞. Potuerunt, imo debuerunt ſubſcribere decreto cum cæteris, licet iis non aſſenſerint: habita enim ſemel pluralitate votorum, ſubſcriptio pauciorum diſſentientium ſolum

eſt

eſt inſtar teſtimonii, quod decretum hoc fuerit judicialiter ac per vota plura concluſum, ut re ipſa erat. *Pontas.*

CASUS XX. Præſes cujusdam tribunalis ob rationes graviſſimas juſſit comprehendi per miniſtros juſtitiæ quemdam presbyterum, qui in judicio comparere recuſaverat, eo quod hoc forum non agnoſceret ut competens in ſua cauſa. Cum paulo poſt unus illorm judicum, qui ſubſcripſerunt decreto Præſidis, confiteretur parocho, hic eum obligabat, ut publice fateretur, ſe majorem ſibi uſurpaſſe authoritatem, quam competeret; quod cum facere detrectaret, parochus eum ſine abſolutione dimiſit. Num ratio ſtat pro parocho publicam ſatisfactionem exigente, vel pro judice eam abnuente?

℞. Vel factum, propter quod bresbyter fuit comprehenſus, pertinebat ad forum judicis laici ut competens, vel non? In priori caſu peſſime egit parochus denegando abſolutionem præfato judici. In ſecundo caſu confeſſarius jure potuit eum obligare ad publicam confeſſionem uſurpationis, & injuſte aſſumptæ authoritatis, ac renuenti denegare abſolutionem: presbyter enim hoc poſito non tenebatur obedire citationi utpote injuſtæ. *Non ſemper obediendum eſt judici*, ait Gloſſa in Cap. *Paſtoralis.* 28. Lib. 1. Tit. 29. v. *Et ſi ſciat. Si evidenter iniquum eſt mandatum ipſius, vel contra jus.* Unde ſequitur, quod ſi dubia fuerit competentia vel incompetentia Præſidis, parochus non habuerit jus dicto judici denegandi abſolutionem: datur enim obligatio obediendi ſententiæ judiciali, quamdiu certum non eſt, eam eſſe injuſtam, dubium licet ſit, ut notat Author Gloſſæ in quemdam Canonem a Gratiano relatum: *Si dubium eſt, an ſit licitum, parendum eſt ei. Pontas.*

CASUS XXI. Udalricus judex exercuit actum jurisdictionis in cœmeterio eccleſiæ parochialis, & condemnavit Philemonem ad mulctam pecuniariam. Philemon autem recuſat ſolvere judicatum; eoquod exiſtimet, ſententiam latam in loco ſacro eſſe nullam. Num ita eſt?

℞. Jure ſeſe opponit ſententiæ Philemon: judex enim non niſi in territorio ſuæ jurisdictionis officium ſuum valide exercere poteſt. Cœmeterium autem uti & eccleſia exempta ſunt ab omni jurisdictione laica, ut Concilium generale Lugdunenſe anno 1274. ſtatuit his verbis: *Omnes in eccleſiis earumque cœmeteriis ſæcularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat... Nulla inibi cauſa per laicos, criminalis maxime, agitetur. Sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. Ordinarii locorum hæc faciant obſervari... Proceſſus judicum*

ſæcu-

ſæcularium, *ac ſpecialiter ſententiæ prolatæ in eiſdem locis omni careant robore firmitatis. Pontas.*

CASUS XXII. Joannes de homicidio præmeditate perpetrato accuſatur, licet abſens; cumque accuſator ſufficientes probationes afferre non poſſet, tres teſtes contra accuſatum depoſuerunt. Horum nixus teſtimonio judex Joannem ad mortem condemnavit, quin prius ad ſui defenſionem citatus fuerit. Eſtne hæc condemnatio legitima?

℟. Tantum abeſt, ut judex ſuæ ſatisfecerit obligationi, ut ipſius ſententia in Joannem lata ne quidem ſit valida, ſed injuſta ac nulla: depoſitio enim teſtium nullius eſt valoris, ſi accuſatus authoritate judicis non fuerit citatus, ut præſens ad teſtium depoſitiones reſpondere poſſit. Ita Gregorius IX. in Cap. *In nomine Domini.* 2. Lib. 2. Tit. 20. *Pontas.*

CASUS XXIII. Philogonus judex in criminalibus Paulum convictum de enormi crimine, in quod tamen leges non ſtatuerunt pœnam capitis, damnavit ad mortem, ut ſtatueret exemplum, memor illius: *Multis delinquentibus pœna unius debet eſſe metus multorum.* Licitene egit?

℟. Salva conſcientia non potuit judex mortis ſententiam ferre: judex enim eſt tantum executor legum, nullumque in vitas hominum exercere poteſt dominium, niſi in caſu, quo leges pœnam mortis ſtatuunt. *Bonus judex*, inquit S. Ambroſius Can. *Judicet.* 4. cauſ. 3. q. 7. *nihil ex arbitrio ſuo facit*, *& domeſticæ propoſito voluntatis*; *ſed juxta leges & jura pronunciat*, *ſtatutis juris obtemperat*, *non indulget propriæ voluntati... Qui judicat*, *non voluntati ſuæ obtemperare debet*, *ſed tenere*, *quod legum eſt.* Hinc & leges Romanæ ſtatuunt, illum infamiam non incurrere, qui contra tenorem legis damnatus eſt. *In perſonis*, ait lex *in favorem.* 10. §. 2. ff. Lib. 48. Tit. 19. *tam plebejorum quam decurionum illud conſtitutum eſt*, *ut*, *qui majori pœna afficitur*, *quam legibus ſtatuta eſt*, *infamis non fiat. Pontas.*

CASUS XXIV. Neratius cum de quodam atroci crimine fuiſſet accuſatus, judex valida ſatis habens indicia de patrato crimine, mox terminis generalibus pronunciavit, Neratium eſſe torturæ ſubiiciendum. Eſtne judici liberum genus torturæ reo adhibere, quodcumque placuerit, conſiderata enormitate criminis?

℟. Cum judex non ſit Dominus legum, ſed tantum executor, non poteſt aliud reo torturæ genus applicare, niſi quod a lege determinatum eſt, ut habetur ex S. Auguſtino. Can. *in iſtis.* 3. diſt. 4. Fagnanus in Cap. *Audivimus.* 1. Lib.

3. Tit.

3. Tit. 45. n. 46. ait : *Quamvis adſint legitima contra reum indicia, non tamen ſine gravi peccato uti licet hoc inuſitato tormenti genere, ſed ſolito tantum & conſueto.* Profert hæc Fagnanus refutando opinionem eorum, qui dicunt, judicem poſſe accuſatum inebriare ad eliciendam facilius veritatem. *Pontas.*

CASUS XXV. Guericus diaconus reus aſſaſſinii in via regia commiſſi absque ulla dilatione judicatus & condemnatus eſt a judice ad mortem, non obſtante, quod appellaverit ad ſupremum Tribunal. Num juſte?

℟. Judex evidenter peccavit contra juſtitiam Guerico viam appellationis obſtruendo : Licet enim im ejusmodi caſu appellatio non concedatur laicis, concedi tamen debet Clericis, quibus id ex privilegio competit, ut probat Du Caſſe Tract. de Jurisd. eccleſ. c. 11. *Pontas.*

CASUS XXVI. Antonius Henrico mutuos dedit 100. florenos, quin chirographum ab eo receperit ; hos vero Henricus accepiſſe ſe negat. Antonius igitur judicem rogat, ut Henrico deſuper juramentum deferat. Aſt judex ſciens, Henricum hominem eſſe nullius conſcientiæ, timet, ne in judicio pejeret, quod jam ſæpius eum feciſſe conſtat. Poteſtne judex Henrico juramentum deferre?

℟. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 98. art. 4. C. poteſt deferre absque peccato, ſi id altera pars exigat ; quamvis judex certo ſciat, eum etiam hac occaſione pejeraturum. *Si autem aliquis*, inquit, *exigat juramentum tanquam perſona publica, ſecundum quod exigit ordo juris, ad petitionem alterius, non videtur eſſe in culpa, ſi ipſe juramentum exigat ; ſive ſciat eum falſum jurare, ſive verum ; quia non videtur ille exigere, ſed ille, ad cujus inſtantiam exigit. Pontas.*

CASUS XXVII. Roſcius in jus vocavit Balduinum, ut a judice condemnaretur ad ſolutionem 200. florenorum, quos ipſi mutuos dederat absque chirographo. Cum vero Balduinus debitum negaret interpoſito juramento, quod ipſi ad petitionem Roſcii judex detulerat, judex ſciens, Roſcium eſſe virum notiſſimæ probitatis, Balduinum vero communiter haberi pro homine exiguæ religionis, quem ipſemet jam pejeraſſe crederet, juramentum quoque defert Roſcio, ut ſic juramentum Balduini infirmari, & ipſe facilius ad ſolutionem condemnari poſſit ; maxime cum Roſcius inſuper pro ſe teſtem habeat, contra quem excipi non poteſt, quique paratus eſt ad deponendum juramentum in favorem Roſcii. An id judici licuit?

℟. Nunquam licet utrique litigantium parti deferre juramentum. Hinc judex tuta conſcientia non potuit ſic procedere. Concilium Valentinum anno 855. ſub Leone IV. habitum Can. 11. hujusmodi agendi modum ut deteſtabilem, impiam, ac religioni contrariam damnat. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Guido presbyter cum a Rogerio diacono atrocibus contumeliis laceſſitus fuiſſet, actione injuriarum illum convenit coram judice criminali laico. An Rogerius tenebatur comparere?

℟. Si Rogerius foret laicus, haud dubie teneretur ſe ſubmittere jurisdictioni judicis ſæcularis; quia ſic daretur actio mixti fori, & actor ſequeretur forum rei: & in hac hypotheſi ſi Rogerius eſſet accuſator, Guidonem non poſſet ad alium provocare judicem, niſi Officialem judicem naturalem. Cum autem in caſu præſenti Rogerius dicatur in ſacris conſtitutus, longe aliud dicendum, & nec tenebatur nec poterat comparere coram judice laico; & Guido non potuit tuta conſcientia ad hunc judicem recurrere. *Si quis Clericus,* inquit Concilium Calcedonenſe can. 9. *habet cum Clerico litem aut negotium, proprium Epiſcopum ne relinquat, & ad ſæcularia judicia ne excurrat. Pontas.*

CASUS XXIX. Coriander judex detrectat in quadam cauſa obire officium judicis; eo quod una litigantium pars ſit valde potens, ab eaque multa ſibi mala metuat. Num bene?

℟. Judex tanquam perſona publica obligatur ex officio cuilibet ad forum ſuum pertinenti dicere jus, & adminiſtrare juſtitiam. Inanis metus, ne eminentia ac potentia perſonæ collitigantis ſuum pervertat judicium, nullatenus eum eximit ab obligatione fungendi officio ſuo. *Noli quærere fieri judex,* dicitur Eccleſiaſtici 7. v. 6. *niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua. Fromageau.*

CASUS XXX. Leander Judex ſubalternus varia ſibi a partibus litigantibus emolumenta arrogat a Principe non conceſſa, ſicque expenſas in litem auget, etiam ab aliis ſic fieri aſſerens. Num juſte?

℟. Tuta conſcientia non poteſt ultra taxam a ſupremo legislatore conſtitutam quidpiam recipere, nec majus ſibi jus arrogare, ac a judice ſuperiore delegatum eſt. Poteſt quidem lex humana abrogari conſuetudine contraria vidente, ſciente ac legaliter conſentiente Principe in praxin deducta: ſi autem inſcio Principe ejusmodi conſuetudo vigeat, legi per hoc nihil derogatur. *Si adhuc maneat ratio eadem* ait S. Tho-

Thomas 1. 2. q. 97. art. 3. ad 2. *propter quam prima lex utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit.* Judices igitur emolumentis a Principe ſibi conceſſis contenti eſſe debent; & quidquid ulterius exigunt, res aliena eſt, quam reſtituere tenentur. *De Lamet.*

CASUS XXXI. Lyſiander judex, qui in crimen, cujus punitio vel maxime concernit bonum bublicum, inquirere cœpit, cum jam male metueret reo, ex complacentia erga familiam ejusdem ab officio ſuo deſiſtit, ac rem indeciſam relinquit. Rectène ſic agit?

℞. Peccat hic judex non ſolum in Deum, ſed & in Publicum, cujus plurimum intereſt, ut innocentes defendantur, & nocentes puniantur, cuique tanquam Officialis Principis ex vocatione ac officio ſuo tenetur jus dicere. *De Lamet.*

CASUS XXXII. Alexander Dominus cujusdam territorii habet judicem, quem advertit frequenter corrumpi pecunia aut aliis modis, variasque committere injuſtitias. Quid agendum Alexandro?

℞. Si manifeſtas habeat probationes injuſtitiarum a judice commiſſarum, eumque non deponat ab officio, aut ſaltem, ſi ipſe id non poſſit propria authoritate, eum deponendum pro viribus non curet, Alexander coram Deo ſe reum conſtituit omnium injuſtitiarum a judice commiſſarum; teneturque in conſcientia ad compenſationem omnium damnorum vaſallis ſuis illatorum. *De Lamet.*

CASUS XXXIII. Conſtantius judex, cum in cauſa hæreditatis ob æquales utriusque partis rationes dubius eſſet, cuinam hæreditatem adjudicare deberet, adjudicat eam tandem illi parti, quam ſibi in alio negotio magis profuturam ſperat. Num id fieri potuit absque læſione juſtitiæ?

℞. Indubitato Conſtantius peccavit contra juſtitiam: ſi enim id liceret, tunc etiam judici liceret ſtante ex parte utriusque litigantis æquali probabilitate cauſæ judicare in favorem illius, qui pro hoc favore ſolveret pecuniam, in præjudicium illius, qui non ſolveret; quod tamen ab Alexandro VII. damnatum eſt. Si igitur poſt diligentem cauſæ diſcuſſionem, inſpectisque tum juris tum facti momentis pro utraque parte adductis judex adhuc hæreat, cuinam hæreditas adjudicanda ſit, debebit juxta Anacletum de act. hum. diſt. 3. n. 62. aliosque communiter partes adſtringere, ut vel unanimi conſenſu deciſionem cauſæ arbitro relinquant, vel alio modo compoſitionem ineant. C. B.

Nota. Si partes recuſent inire compoſitionem pacificam, judex tenetur dividere jus in partes moraliter æquales.

Vide *Abſolutio* Caſ. 31. *Actor*. Caſ. 6. *Adulterium* Caſ. 16. *Reus* Caſ. 1. 2. & 6.

JURAMENTUM.

1. *Juramentum* definitur a Theologis *; Invocatio divini teſtimonii ad faciendam fidem, promiſſionemque firmandam.* vel *Affirmatio aut negatio alicujus rei factæ vel faciendæ, confirmata per invocationem Dei in teſtem.* Juramentum fit expreſſe, & tacite aut indirecte. *Expreſſe* fit, dum Deus aut divina attributa vocantur in teſtem viva voce, vel ſcripto, aut etiam ſigno, v. g. elevando manum, ut faciunt laici, aut manum pectori admovendo, ut moris eſt apud Clericos, vel tangendo librum Evangeliorum, imaginem Crucifixi vel ſacras Reliquias; quæ omnia authoritate judicis publica, vel cujuslibet privata fieri poſſunt. *Tacite* aut *indirecte* fit juramentum, dum quis jurat per cœlum, per eccleſiam, per evangelium, vel quamcumque creaturam.

2. Juramentum dividitur in *aſſertorium*, *promiſſorium* & *execratorium*. Juramentum de ſe eſt licitum: eſt enim res ex natura ſua bona, imo & actus religionis, cujus multa in ſacris literis habentur exempla. Quandoque eſt etiam neceſſarium ad faciendam fidem, & promiſſi aut propoſiti certitudinem ſtabiliendam.

3. Juramentum non a ſolis Chriſtianis approbatur & adhibetur; ſed & Judæis, imo ante legem Moſaicam jam in uſu erat. Interim tamen conſuetudo ſeu habitus jurandi periculoſus eſt; cum ad perjuria inducat.

4. Peccatur jurando, quoties juramentum deſtitutum eſt iis conditionibus, quæ ſolæ illud bonum ac licitum reddere poſſunt, & hoc peccatum vel eſt mortale vel veniale. Conditiones autem requiſitæ ſunt ſequentes. 1. Ut id, quod affirmatur aut promittitur, ſi res juſta, licita & honeſta. 2. Ut affirmetur non niſi verum, & ut tale a jurante certis ex argumentis cognitum. 3. Ut nunquam juretur, niſi quando id neceſſitas aut prudentia exigit.

5. Qui ad declinandam juramenti obligationem utuntur terminis æquivocis aut reſtrictionibus mentalibus, decipiunt proximum, ac coram Deo perjurii ſe reos conſtituunt. Erronea quoque eſt opinio eorum, qui exiſtimant, eum, qui juramentum profert abſque intentione jurandi aut per

jura-

juramentum ſe obligandi, non committere perjurium aut juramento non obligari.

6. Clerus Gallicanus anno 1700. cenſura perſtrinxit ſequentes propoſitiones: PROPOSITIO LX. *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* PROPOSITIO LXI. *Qui jurandi intentionem non habet, licet falſo juret, non pejerat; etſi aliud peccatum committat, puta mendacii.* PROPOSITIO LXII. *Qui jurat cum intentione non ſe obligandi, non obligatur ex vi juramenti.* CENSURA harum propoſitionum eſt hæc: *Hæ propoſitiones ſunt temerariæ, ſcandaloſæ, pernitioſæ, bonæ fidei illudentes, & Decalogo contrariæ.* PROPOSITIO LXIII. *Si quis vel ſolus, vel coram aliis... quocumque fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam, aliam ab ea, in qua fecit... revera non mentitur, nec eſt perjurus.* PROPOSITIO LXIV. *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas... ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* CENSURA hæc eſt: *Hæ propoſitiones temerariæ ſunt, ſcandaloſæ, pernicioſæ, illuſoriæ, erroneæ, mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperiunt, ſacris Scripturis adverſantur.*

CASUS I. Joſſius quandoque exiſtimat, neceſſario ſibi eſſe jurandum in quibusdam caſibus. An id ſemper licet?

℟. Haud dubie abſque peccato jurare poteſt, quando plurimi intereſt, ut veritati aſſertæ adhibeatur fides, & ea ſine juramento obtineri non poteſt. Notandum hic ex S. Thoma 2. 2. q. 89. art. 2. C. quod juramentum dicatur *aſſertorium*, quando Deus in teſtem aſſumitur ad confirmandam veritatem rei præteritæ aut præſentis; *promiſſorium* vero, quando agitur de re futura. Juramentum eſt licitum, ſi fiat in *veritate*, cum *judicio* & *juſtitia*; imo intervenientibus hisce conditionibus eſt actus Religionis & latriæ; cum ſic jurans ſummum Deo honorem exhibeat, profitendo, eum eſſe authorem omnis veritatis, imo ipſam veritatem infallibilem ac immutabilem, eumque penetrare ac perfectiſſime cognoſcere ſecretiſſima cordium humanorum; & ideo ad teſtimonium ipſius provocari, ut ſupremi omnium rerum Domini. His in præſenti caſu principiis inſiſtat Joſſius, & caveat, ne facile nimis ſibi fingat neceſſitatem jurandi, ubi revera non eſt, memor illius Eccl. 23. v. 12. *Vir multum jurans replebitur iniquitate, non diſcedet a domo illius plaga.* *Pontas.*

CASUS II. Juvenalis habet conſuetudinem jurandi, ſic tamen, ut nunquam juret, niſi certo ſciat, rem eſſe veram. An ſemper peccat graviter?

℟. Non eſt eadem ratio juramenti & perjurii: perjurium enim ſemper eſt peccatum mortale; jurare autem ſine neceſſitate juxta D. Thomam in 3. Sent. diſt. 39. quæſtiunc. 1. ad 3. quandoque non niſi peccatum veniale eſt. Non poteſt ergo dici, Juvenalem ſemper peccare mortaliter.

Nota. Chriſtus Matth. 5. damnat eos, qui ex levitate ſæpe jurant abſque neceſſitate & ſine reverentia, ex quo facile eruitur, juramentum non eſſe bonum ex ſe ipſo, ſed ſolum fieri bonum, quando urget neceſſitas jurandi; & hinc eo eſſe abſtinendum, niſi vera neceſſitas id exigat; multo minus contrahendam eſſe conſuetudinem jurandi propter periculum pejerandi. C. A.

CASUS III. Panſovius ſæpe abſque neceſſitate jurat hoc modo: *per cœlum vera ſunt, quæ dico.* Peccatne?

℟. Haud dubie toties peccat, quoties dicto modo jurat, & tres conditiones, quæ juramentum reddunt licitum, non concurrunt. *Qui jurat in cœlo*, inquit Chriſtus Matth. 23. v. 22. *jurat in throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum. Pontas.*

Nota. Hac verborum formula jurare idem eſt, ac jurare per creaturas inſigniores ac excellentiores, in quibus ſpeciali ac excellentiori modo elucent bonitas, veritas, ſanctitas, potentia, majeſtas, & alia attributa Dei. Si quis juraret per creaturas viles & abjectas, juramentum videretur illuſorium! nemo enim crederet, Deum in teſtem vocari in ejuſmodi creaturis; ut ſi quis juraret per pileum aut equum ſuum. C. A.

CASUS IV. Urſinus ſolet hac verborum formula jurare: *per vitam meam*, aut *per meum Caput.* Eſtne id verum juramentum? Num peccat ſic jurando abſque neceſſitate?

℟. Inter juramenta juxta S. Auguſtinum in pſal. 7. n. 3. graviſſimum eſt juramentum *execratorium.* Hujuſmodi juramentum fit, dum jurans Deum non ſolum ſumit in teſtem rei affirmatæ, ſed ipſum inſuper invocat ut judicem ac vindicem, ſi res affirmata non ſit vera. Juramentum hoc Urſini eſt execratorium, & conſequenter, dum paſſim ſine neceſſitate profertur, peccaminoſum. Hinc & Salvator Matth. 5. iſta juramenta expreſſe prohibet his verbis: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum... neque per terram... neque per caput tuum juraveris; quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Pontas.* CA-

CASUS V. Eudeſius a Superiore ſuo juramentum deponere juſſus eſt ad indagandam veritatem rei magni momenti, cujus ipſe notitiam habuit. Cum vero Eudeſius hujus rei non amplius recordetur, eo quod non ſatis, ut deberet memoriam applicet, jurat, ſe de hac re nihil ſcire. Num peccat coram Deo?

℞. Haud dubie peccat ſic jurando; deeſt enim conditio, quæ juramentum reddit licitum, nimirum judicium & prudentia. *Homines*, ait S. Auguſtinus Serm. 180. alias 28. de verb. Ap. Jacob. c. 2. *falſum jurant, vel cum fallunt vel cum falluntur: aut enim putat homo verum eſſe, quod falſum eſt, & temere jurat.* Ex quo ſequitur, etiam tunc poſſe peccari, dum quis verum jurat, omiſſa tamen prævia conſideratione & attentione ad objectum; eo quod per ejusmodi negligentiam quis ſe exponat periculo æque jurandi falſum ac verum. *Pontas.*

Nota. In hujusmodi circumſtantiis facta proteſtatione de incertitudine memoriæ ſolum poteſt exigi juramentum de *credulitate.*

CASUS VI. Otto non nunquam jurat per ſanctum nomen Dei, quin actualem habeat advertentiam ad malitiam moralem verborum, quibus jurando utitur. An revera peccat?

℞. Citra omne dubium peccatum committitur, quotiescumque agitur contra Dei præceptum vel dictamen conſcientiæ; cum ad peccatum incurrendum ſufficiat, quod malitia ſit voluntaria in ſua cauſa, etſi non ſit voluntaria in in ſe. In hoc caſu Otto certe agit contra legem Dei, nomen Dei in vanum aſſumi prohibentem: licet enim careat actuali advertentia, ad malitiam juramenti prolati; adhuc tamen in cauſa peccat propter contractam jurandi conſuetudinem, quam deponere & extirpare tenetur omnem moralem diligentiam adhibendo. *Pontas.*

Nota. Quamvis Theologi non omnino conveniant circa naturam peccati, quod ille committit, qui contraxit conſuetudinem jurandi; unanimiter tamen docent, quod circumſtantia ſcandali juramentum ex mera conſuetudine abſque neceſſitate prolatum faciat mortaliter peccaminoſum. Concilia & Pontifices plures ediderunt conſtitutiones ad eradicandam abominabilem hanc conſuetudinem. Confeſſarii abſolutionem impertiri non poſſunt pœnitentibus hac temere jurandi conſuetudine irretitis; niſi ſerium jam conatum adhibuerint ad eam deponendam, & actu firmiſſimum concipiant propoſitum per media efficacia eam penitus extirpandi. C. A.

CASUS VII. Diogenes jurando, ſe quamdam rem ſibi commiſſam ac licite peragendam effectui daturum, aliam habet intentionem, ac ille, cui juravit. An nihilominus juramento ſuo tenetur?

℟. Si Diogenes jurans aliam ſibi interius formavit intentionem animo decipiendi eum, cui juravit, duplicis peccati reus eſt, perjurii ſcilicet ac fraudis, teneturque in conſcientia ſtare juramento. Verum ſi bona fide abſque intentione decipiendi illum, cui juravit, aliam intentionem in juramento habuit, non peccavit, nec tenetur ultra id, quod conformiter ad ſuam intentionem præſtiturum ſe juravit. Ita S. Thomas in 3. Sent. diſt. 19. q. un. art. 3. quæſtiunc. 3. C. *Pontas.*

CASUS VIII. Papirius interrogatus a Reinerio, an compleſſet promiſſum, reſpondit, ſe id compleſſe; & quamvis Reinerius jam videretur fidem adhibere reſponſioni, Papirius tamen juramentum adjecit. An peccavit?

℟. Jurare non licet, niſi id exigat neceſſitas: *Jurabis in judicio* Jer. 4. 2. Cum ergo Papirius abſque neceſſitate juraverit, a peccato juxta S. Auguſtinum L. 1. de Serm. Dom. in monte c. 17. excuſari haud poteſt. *Pontas.*

CASUS IX. Alcimus ſcit quidem conditiones ad licitum juramentum requiſitas. Quærit autem, in quibus caſibus detur ejusmodi neceſſitas jurantem excuſans a peccato.

℟. S. Thomas lect. 4. in Ep. ad Heb. 6. recenſet ſex cauſas ſufficientes ad licite jurandum. 1. pro pace firmanda. 2. pro conſervanda bona fama. 3. pro declaranda fidelitate alteri debita. 4. pro exhibenda Superiori obedientia. 5. pro ſecuritate præſtanda in ſervando promiſſo magni momenti. 6. pro atteſtanda veritate rei, quam alter in dubium vocat, & multum intereſt, ut fides adhibeatur. *Pontas.*

NOTA. Hæc explicatio non eſt adeo exacta. Dicendum potius breviter, tunc dari neceſſitatem jurandi, quando requiritur juramentum ad impediendum grave malum, aut promovendum magnum bonum.

CASUS X. Severus, qui optime ſolvendo eſt, ad ſuum commercium indiget ſumma 15000. florenorum, eamque a Gabinio mutuam petit. Gabinius vir opulentiſſimus ſine ullo proprio incommodo hanc ſummam commodare poteſt, eamque commodaturum ſe juramento promittit; quin tamen intentionem habeat promiſſum adimplendi, imo poſitive juramenti relaxationem petere cogitat. An eo animo jurare potuit, quin perjurii reus ſit?

℟. Cer-

℟. Certiſſime Gabinius hac intentione jurando commiſit perjurium juxta S. Thomam 2. 2. q. 89, art. 7. ad 1. Promiſſio enim ac ipſum juramentum pro objecto habuerunt rem licitam ac honeſtam, quæ facile præſtari potuit a jurante. *Pontas.* Vide *Præjudicium.* Caſ. 13.

CASUS XI. Lucilius jurat Juſtino, ſe facturum, quod petit, ante primum diem Martii. Sed cum eo tempore adimpletio promiſſionis redderetur impoſſibilis, & poſſibilitas adimplendi primum rediret poſt tres menſes, quærit adhuc juramento obligetur elapſo jam termino.

℟. Eadem eſt obligatio juramenti promiſſorii & voti; prout & S. Scriptura in Libro Numerorum ſemper conjungit obligationem voti ac juramenti. Si circumſtantia voto ſuperveniens non fuit motivum principale voti, ita ut non obſtante tali circumſtantia votum tamen factum fuiſſet, juxta D. Thomam in 4. diſt. 38. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 6. non ceſſat obligatio voti. Et hinc, ſi Lucilius ita fuit conſtitutus, ut nollet eſſe obligatus ultra primum diem Martii, non tenebitur promiſſione elapſo termino. Si vero habuit intentionem etiam menſe Majo adhuc implendi, quod promiſerat, ſi menſe Martio fuerit impeditus, obligatur juxta intentionem. Propriam igitur Lucilius tenetur conſulere conſcientiam, propriamque mentis diſpoſitionem diſcutere, quam tempore jurati promiſſi habuit, & ſic juxta dictamen conſcientiæ agere. Notandum hic, obligationem juramenti ceſſare poſſe per condonationem illius, cui promiſſum jurato factum eſt. *Pontas.*

CASUS XII. Paſchalis Officialis bellicus piam peregrinationem vovit ad locum ſacrum valde remotum. Princeps vero id ſciens, cum ipſius ſervitiis indigeret, prohibuit executionem voti, licet juramento confirmati. Poteſtne obedire Principi, quin ſe reum faciat perjurii? aut num poteſt votum exequi contra prohibitionem Principis?

℟. Executio voti & juramenti per prohibitionem Principis fit illicita. Hinc dicendum, Paſchalem non obligari ad executionem voti, usque dum id Princeps permiſerit, peſſimeque eum acturum, ſi contra prohibitionem Principis votum exequeretur, ac peccaturum. Ita S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. C. *Pontas.*

CASUS XIII. Epimenides presbyter doctus ac pius indignum ſe reputans, ut ad Prælaturam aut aliam quamcunque ſuperioritatem evehatur, juramento ſe obſtrinxit nunquam acceptandi hujusmodi officium, quamvis ad id a Superioribus ſuis adigeretur. An tuta conſcientia hoc juramento potuit ſe obſtringere?

 ℟. Li-

℞. Licitum eſt non nunquam fugere Prælaturam & Superioritatem, quando habentur aut haberi creduntur legitimæ rationes. Aſt juramentum emittere nunquam acceptandi ejusmodi officia manifeſtus actus imprudentiæ eſt: tendit enim hoc juramentum contra ordinem divinæ providentiæ, & repugnat obedientiæ Superioribus debitæ. Adeoque Epimenidis juramentum, ut ponitur in caſu, nec eſt licitum, nec implendum. *Quamvis prælationem fugere, poſſit quandoque ex bono procedere*, inquit S. Thomas in 3. diſt. 39. quæſtiunc. 1. ad 3. q. un. art. 3. *tamen pertinaciter reſiſtere, ſemper malum eſt, ſicut in Gloſſa Gregorii Hierem.* 1. *qui hoc probat exemplo Hieremiæ & Moyſis, qui cum primo recuſaſſent prælationis officium, ad ultimum humiliter obedierunt. Unde hujusmodi juramentum incautum reputatur; quia quantum in ſe eſt, divinæ providentiæ præjudicat, & obedientiam ad Superiores excludit, quibus in hoc inferior obedire tenetur Pontas.*

CASUS XIV. Maximinus jurat, ſe facturum aliquam rem, quæ partim bona, partim mala eſt, aut ſaltem dubia. An tenetur, aut num poteſt exequi juramentum?

℞. Exequendum eſt juramentum, ſi ſit de re bona, ſecus autem, ſi de re mala; & ſi ſit de re partim bona, partim mala, juramentum exequendum eſt ſecundum id, quod continet bonum, non autem ſecundum id, quod continet malum; ſuppoſito, quod unum ab alio ſeparari poſſit. Si vero juramentum ſit de re dubia, id eſt, ſi ſit dubium an res ſit bona, vel mala, recurrendum eſt ad Superiorem. S. Thomas 2. 2. *q.* 89. *art.* 9 *ad* 3. *Pontas.*

Nota. Cenſeo, invalidum eſſe juramentum de re partim bona, partim non bona, aut de re dubie bona; quia non decet acceptari tale *mixtum* vel *anceps* in malum.

CASUS XV. Mennas a latronibus cogitur jurato promittere, ſe intra quatuor dierum ſpatium triginta aureos depoſiturum in loco ab ipſis deſignato. Mennas ipſis etiam promittit, ſe id facturum, & in promiſſi ſervandi veritatem Deum in teſtem vocat. Teneturne exequi juratam promiſſionem?

℞. Promiſſum a latronibus injuſte extortum non obligat; obligat autem juramentum a Menna emiſſum; hinc Mennas tenetur exequi illud etiam cum detrimento proprio in bonis temporalibus niſi obtinuerit diſpenſationem legitimam, quam Papa aut Epiſcopus impertiri poteſt. Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. Confirmari poteſt reſponſio ex decretali Innocentii III. qui Cap. *Si vero.* 8. lib. 2. Tit. 24. ait: *Duxi-*

Duximus tibi reſpondendum, quod non eſt tutum, quemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi tale ſit, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ. Pontas.

Nota. Videtur, ejusmodi juramenta metu injuſte extorta, quando injuſtitiam ipſemet extorquens evidenter agnoſcit, poſſe eſſe conjuncta cum æquivocatione aut reſtrictione mentali; & abſolute emiſſa poſſe impoſſibilitari, ſicque indirecte irritari per inhibitionem judicis ſæcularis.

CASUS XVI. Mutius judex Regius coegit Claudium decennem aut duodennem puerum ad ferendum juratum teſtimonium in cauſa, quæ magni momenti videbatur. An id potuit licite facere judex? num etiam juramentum dicti pueri validum eſt?

℞. Non potuit licite puero deferre juramentum, cum nondum habeat annos pubertatis, hinc ipſius juramentum conſiderandum eſt tanquam nullum. S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 10. C. *Pontas.*

CASUS XVII. Quericus Chriſtianus Pekini Regni Sinarum Metropoli habitans, centum Imperiales mutuos dedit cuidam Chinenſi, qui tamen poſtea quidquam accepiſſe negavit. Quericus igitur Chinenſem apud judicem convenit. An etiam juramentum ab ipſo licite exigere poteſt; cum ſciat, eum per falſos Deos juraturum?

℞. Licite ac ſine ſcrupulo Chriſtianus a gentili exigit juramentum. S. Auguſtinus Ep. 47. alias 154. Publicolæ idem interroganti ſic reſpondit: *Cui quæſtioni poſſunt illa teſtimonia ſuffragari, quæ ipſe commemoraſti de Laban & Abimelech; ſi tamen Abimelech per Deos ſuos juravit, ſicut Laban per Deum Nachor.* S. Thomas tamen 2. 2. q. 78. art. 4. obſervat, quod non liceat inducere gentilem ad hoc, ut juret per falſos Deos; recipi tamen abſque peccato poſſit tale juramentum, ſi gentilis ultro ſe offerat ad jurandum. Hinc Quæricus absque peccato conſentire poteſt, ſi Chinenſis ſponte juramentum offerat. *Pontas.*

CASUS XVIII. Hieronymus Canonicus, cum in Cathedralem Eccleſiam reciperetur, juravit, ſe omnia ſtatuta Capituli obſervaturum: aſt poſt aliquod temporis intervallum comperit, aliquod ſtatutum jam a centum annis non amplius eſſe obſervatum. An agit contra ſuum juramentum, ſi ad exemplum aliorum Canonicorum dictum ſtatutum non obſervet?

℞. Lex etiam ſolemniſſima ceſſat obligare in conſcientia, quando per conſuetudinem contrariam generalem legitime intro-

introductam abrogata eſt. *Diuturni mores*, ait Can. *Diuturni.* 6. diſt. 12. *conſenſu utentium approbati legem imitantur.* Et Leg. *De quibus.* 32. §. 1. ff. Lib. 1. Tit. 3. *Inveterata conſuetudo pro lege non immerito cuſtoditur ; & hoc eſt jus, quod dicitur moribus conſtitutum.* Itaque a fortiori ceſſat obligare lex privata & ſtatutum particulare Capituli ; & hinc Hieronymus absque peccato conformare ſe poteſt praxi cæterorum Capitularium ; quin violet votum ſuum, quo ſe tantum obligaſſe cenſetur ad ea ſtatuta, quæ actu ſunt aut debent eſſe in ſuo vigore, non autem ad ea, quæ jam abolita ſunt per non uſum & conſuetudinem contrariam jam centenariam. *Pottas.*

CASUS XIX. Petrus in confeſſione exponit, ſe pluries pejeraſſe, ac interrogatus, qua verborum formula uſus fuiſſet, reſpondit, dixiſſe ſe : *per fidem meam, per conſcientiam meam hoc verum eſt ;* licet ſciret falſum eſſe. Num vere pejeravit, aut ſolum ex conſcientia erronea ; eo quod hunc affirmandi modum veram divini nominis atteſtationem eſſe crederet ?

℟. Confeſſarius non debet hæc juramenta conſiderare ut falſa ex ſe ipſis ; quia præſcindendo ab intentione jurantis per ejusmodi formulas Deus nec mediate nec immediate vocatur in teſtem, quod tamen ad verum juramentum requiritur, ut ex ipſa ejusdem definitione patet. Si tamen Petrus proferendo hæc verba exiſtimaſſet, ſe vere jurare, re ipſa pejeravit ac peccavit. C. B.

Nota. Pœnitens a confeſſario dedocendus eſt errorem, ut ſaltem deinceps non amplius ex conſcientia erronea peccet in genere perjurii, ſi fors habeat conſuetudinem hæc verba proferendi, quam celeriter adeo non depoſiturus eſt.

CASUS XX. Berta per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis a quadam infirmitate liberata juramento ſe obſtrinxit ad recitandam ter quotidie ſalutationem angelicam flexis genibus & expanſis brachiis. Semel cum ex mera deſidia omiſiſſet hanc orationem, & a matre interrogata fuiſſet, num recitaverit, reſpondit cum intentione jurandi : *juro per Deum me perſolviſſe*, licet probe ſciverit contrarium. Peccavitne mortaliter & omittendo has preces ; & jurando, quod recitaverit ?

℟. Peccavit Bertha venialiter omittendo preces, & mortaliter jurando, & quidem falſo, quod ſatisfecerit obligationi ſuæ. Utriusque ratio eſt ; quia juramentum *aſſertorium* emiſſum cum plena advertentia de re falſa qualicumque non

recipit

recipit parvitatem materiæ, ſemperque involvit peccatum grave, quod eſt Deum infinitam ac incommutabilem veritatem vocare in *teſtem* falſi. In juramento autem *promiſſorio* Deus ſolum in vocatur ut *fidejuſſor* vel *ſponſor* circa obligationem implendam, quam jurans in ſe recipit; & hæc obligatio poteſt eſſe gravis vel levis, prout nimirum ipſa res juramento promiſſa magni vel parvi momenti eſt. Et ex hoc principio omiſſio trium ſalutationum angelicarum ſolum videtur eſſe peccatum veniale. C. B.

CASUS XXI. Julia poſt mordaciſſimam altercationem cum Catharina ſerio jurat, ſe nec verbulum deinceps eidem locuturam, nec limen domus ejus ingreſſuram. Poſt aliquot dies Julia invitata a Catharina ad prandium, non obſtante juramento comparet, prandet & loquitur cum ea. Eſtne perjurii rea?

℞. Cum juramentum nequeat eſſe vinculum iniquitatis, & eo ipſo ſit nullum ac invalidum, dum pro objecto habet rem prohibitam & illicitam, ut præſens juramentum Juliæ, quod manifeſte adverſatur Charitati erga proximum, Julia non commiſit perjurium; ſaltem niſi ex conſcientia erronea ad implendum juramentum obligari ſe exiſtimavit. C. B.

CASUS XXII. Parochiani pietate & doctrina cujusdam ſacerdotis in admirationem ac amorem rapti jurant, ſi paſtorem ſuum e vivis excedere contigerit, non alium ipſi daturos ſe ſucceſſorem, quam ſacerdotem hunc. Defuncto autem parocho offert ſe alius ſacerdos illo, in cujus electionem vix non conjuraverant parochiani, dignior & aptior ad animarum regimen & adminiſtrationem parochiæ. An licite poſſunt non obſtante juramento ſecundum hunc ſacerdotem præferre priori?

℞. Poſſunt certe: cum enim finis & ſcopus, quem primi fundatores in inſtitutione Beneficiorum eccleſiaſticorum ſibi præfixere, is fuerit, ut procurarent majorem Dei gloriam, & majus eccleſiæ bonum, certum eſt, quod ad Beneficia, maxime curata, & ad parochiarum regimen ii ſint aſſumendi, qui cæteris videntur aptiores ad eorum adminiſtrationem. Ex hoc principio parochiani, de quibus in caſu ſermo eſt, tenentur eligere ſecundum ſacerdotem, & ſupponere, juramentum ſuum eſſe nullum, nec alicujus roboris; quia ejusdem adimpletio vergeret in detrimentum cultus Dei, utilitatis Eccleſiæ & ſalutis animarum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 63. art. 1. C. B.

CA-

CASUS XXIII. Venantius Clericus recepto ſubdiaconatu jurat, nunquam ſe poſthac ludis comicis ſpectatorem interfuturum. Aſt die quodam, cum converſaretur cum viro illuſtri, cui reverentiam debebat, & ab eo comes expeteretur ad exhibitionem ſcenicam, annuit & cum eo comparet. Eſtne violati juramenti reus?

℟. Violavit plane juramentum ſuum; quia, quando ſupponitur juramentum eſſe validum ſive ex parte perſonæ, quæ illud emiſit, ſive ex parte materiæ, circa quam verſatur juramentum, certo peccat jurans, eſtque perjurus non implendo juramentum, ſi id absque peccato potuiſſet implere. Itaque applicando modo dicta ad præſentem caſum, ſtatim patebit, ſubdiaconum hunc vere eſſe perjurum, C. B.

Nota. Si jurans conſideravit ludos comicos tanquam rem de ſe indifferentem, juramentum eſt nullum; quia vota & propoſita jurata debent eſſe de bono meliori. Si autem eos conſideravit tanquam rem ſibi noxiam, quæ foveat otium & perditionem temporis, absque dubio tenebitur voto. Advertendum tamen, quod jurans in actuali emiſſione juramenti fors ita in mente fuerit diſpoſitus, ut, ſi cogitaſſet de ejusmodi circumſtantia, eam fuiſſet excepturus; & tunc, cum ejusmodi actus bonitatem vel malitiam ſortiantur ex circumſtantiis, videtur formari poſſe dictamen, eam circumſtantiam non comprehendi in propoſito jurato.

CASUS XXIV. Vincentius debitor jurat, debitam creditori ſuo ſummam certo tempore ſe ſoluturum. Contigit autem, ut cum conſenſu creditoris terminus ſolutioni præfixus in alium diem differretur. Eritne perjurus debitor, ſi ſtatuto hoc novo termino non ſolverit?

℟. Non erit perjurus; quia, cum juramentum ſit lex, quam libere ac ultro ſibi imponit jurans, obligatio orta ex juramento non ſe extendit ultra intentionem jurantis. Cum igitur juramentum præſens tantum cadat ſupra primum ſolutionis terminum, ſequitur, quod mutato hoc termino cum conſenſu utriusque ceſſet obligatio juramenti, niſi fuerit ſpecialiter renovata. Et ſic, licet Vincentius fors peccet contra bonam fidem non ſolvendo intra conſtitutum novum terminum, non tamen peccat contra juramentum. C. B.

Nota. Intentio jurantis ſine dubio in hoc caſu ferebatur ad ſubſtantiam ſolutionis, non ad modum accidentalem temporis; alioquin creditor non prorogaſſet tam facile terminum ſolutionis in gratiam debitoris. Videtur ergo ſane perjurus, ſi ſolutionem non præſtet intra terminum ſecundo præfixum; cum principale objectum juramenti certe fuerit ipſa ſolutio.

CA-

CASUS XXV. Titius cum duobus ſociis ingreſſus domum cujusdam aurifabri furto abſtulit thecam auream, nemine id advertente. Sed cum poſtea nihilominus in ſuſpicionem commiſſi furti veniſſet, in præfatam domum ſecreto thecam retulit; vindicandi autem ſui honoris cauſa teſtes implorat ſocios ſuos, eosque juramento affirmare jubet, quod ipſe nihil abſtulerit. Pejeravitne Titius?

℞. Titius perjurii reus eſt. Ratio eſt; quia virtus religionis prohibens juramenta falſa, prohibet etiam, ne alios ad perjuria jubendo vel ſuadendo inducamus. Neque obſtat, quod ſocii exiſtiment, Titium nil ſurripuiſſe, utpote furtum non advertentes: hoc enim ſolum probat, juramentum eorum tantum materialiter eſſe falſum, & formaliter verum ac inculpabile; ſed id non excuſat Titium a malitia perjurii; quia ſciens ſe furti reum petit a ſociis atteſtationem juratam falſi, quod ſcilicet non ſit reus, licet hæc falſitas ſocios lateat: eo fere modo, quo blaſphemia ab amente prolata eſt ſolum materialiter mala; illi tamen, qui amentem inducit ad blaſphemandum, eſt formaliter mala & peccaminoſa. C. B.

Nota. Judicialiter ſocii nunquam poſſent admitti ad juratam atteſtationem, quod Titius nil abſtulerit, ſed ſolum quod non viderint eum abſtuliſſe: praxis enim furandi eſt multiplex, & ſemper horret lucem, nec quivis in ea exercitatus,

CASUS XXVI. Confeſſarius timens, ne pœnitens relabatur in ea peccata, quæ confeſſus eſt, exigit ab eo juratam promiſſionem, qua proximam occaſionem voluntariam declinaturum, & in eadem peccata non amplius relapſurum ſe ſpondeat. Num bene agit confeſſarius?

℞. Peſſime agit & contra omnes prudentiæ regulas: ſi enim confeſſarius habet rationabile fundamentum dubitandi, utrum pœnitens dimiſſurus ſit proximam occaſionem peccandi, differenda ipſi eſt abſolutio, non ab eo exigendum juramentum de dimittenda occaſione. Conſtat, quod etiam bene diſpoſiti quandoque non ſtatim dimittant occaſionem peccandi, obſiſtentibus difficultatibus moraliter inſuperabilibus; & cavere relapſum ſit vel maxime aut unice opus gratiæ divinæ, quæ, licet eam ſperare debeamus, ob noſtra tamen demerita, ac congruæ diſpoſitionis defectum non ſemper in promptu eſt; cum a liberrima Dei voluntate pendeat. His jam poſitis ſequitur, quod confeſſarius exigens a pœnitente juramentum de vitanda occaſione peccandi in du-

plici

plici eum periculo peccandi conſtituat, relabendi ſcilicet in priora peccata & pejerandi. C. B.

JURISDICTIO.

1. *Juriſdictio* dicitur legitima Superiorum Authoritas circa regimen eorum, qui ab ipſorum dependent poteſtate, ſive eos dirigendo juxta juſtitiæ & æquitatis normam prout neceſſitas exigit, ſive Decreta, Edicta aut Leges condendo, queis ſubditos a malo retrahant, aut transgreſſores puniant, aut tranquilitatem ac pacem conſervent.

2. Datur juriſdictio Eccleſiaſtica, & Sæcularis. Hic præcipue agetur de priori, quæ diſtinguitur in *gratioſam* ſeu voluntariam, & *contentioſam.*

3. Juriſdictio *gratioſa* exercetur extrajudicialiter absque formalitatibus judicii juxta arbitrium Prælati, qui tali juriſdictione gaudet. *Contentioſa* autem exercetur judicialiter, exacte obſervatis formalitatibus in jure præſcriptis, in Prætorio ad juſtitiam adminiſtrandam deſtinato, ac certis determinatis diebus, & locis fixis: objecta enim juriſdictionis contentioſæ, ut advertit Cuiacius, exigunt plenam judicialem ac ordinatam cognitionem, quæ haberi non poſſet, ſi ad arbitrium judicis mutari poſſent dies, hæræ, & loca judicii. Hæc juriſdictio nec licite nec valide exerceri poteſt extra limites territorii a judice eccleſiaſtico vel ſæculari dependentis; *juriſdictio* autem *gratioſa* exerceri ubique poteſt. *Juriſdictio* Sacramentum Pœnitentiæ concernens confeſſario eſt ita neceſſaria, ut absque ea valide abſolvere non poſſit, excepto tamen caſu evidentis periculi mortis.

4. Poteſtas juriſdictionis eſt vel *ordinaria*, vel *delegata*, vel *ſubdelegata*: *Ordinaria* eſt illa, quæ poteſt vocari juriſdictio *a Lege*; talis eſt juriſdictio Epiſcopi, & parochi. Juriſdictio *delegata* exercetur ex commiſſione illius, qui habet juriſdictionem ordinariam, qualis eſt ſimplicis *presbyteri* approbati ab Epiſcopo, & a parocho ad excipiendas confeſſiones in ſua parochia conſtituti. Juriſdictio vero *ſubdelegata* eſt illa, quam quis habet a delegato habente poteſtatem ſuam delegatam ſibi juriſdictionem alteri ſubdelegandi.

5. Juriſdictio, quam *Officialis* habet, *ordinaria* eſt, uti juriſdictio Epiſcopi; utriusque enim authoritas eadem eſt: at authoritas Officialis, & Vicarii Generalis ceſſat per privationem aut revocationem poteſtatis ab Epiſcopo factam, item per translationem Prælati ab una Diœceſi in aliam, & etiam per obitum Epiſcopi, aut reſignationem Epiſcopatus a Papa acceptatam.

6. Ma-

6. Magnum datur diſcrimen inter jurisdictionem *Officialium*, *Vicariorum Generalium*, & *Delegatorum*, Delegati enim inchoato examine cauſæ, cujus deciſio ipſis fuit commiſſa, poſſunt eam continuare & decidere, licet delegans aut cauſam committens obierit interea. Jurisdictio vero *Officialium*, & *Vicariorum Generalium* ceſſat Epiſcopo defuncto, excepto tamen caſu, quo mors Epiſcopi contingat in remotis regionibus, aut in loco, unde de ipſius morte legitime non conſtet. Ad hæc notandum, *Officialem* non cenſeri ſua jurisdictione privatum, aut ſua dignitate deſtitutum ipſo jure per obitum Epiſcopi; nam ſi Capitulum Cathedrale non gaudet jure deponendi Officialem, ac alium ipſius loco conſtituendi, Officialis ſuam poterit exercere jurisdictionem ut antea.

CASUS I. Quoddam monaſterium Ordinis reformati, olim Epiſcopo Diœceſano ſubjectum, cum jam per octoginta annos jure exemptionis a jurisdictione Epiſcopali pacifice gaudeat, & deinceps ea jure præſcriprionis gaudere cupit. Verum Prudentius recens electus Epiſcopus præeminentia natalium ſuorum & authoritate confiſus tentat recuperare poſſeſſionem juris ex mera negligentia anteceſſorum ſuorum a monaſterio præſcripti, & actu ſe confert ad viſitationem monaſterii. Superior autem aſſiſtentibus cæteris Religioſis fortiter ſeſe opponit conatibus Epiſcopi, ac etiam viſitationem amovet. An dicti Religioſi perſiſtere poſſunt in ſua oppoſitione, quin contra debitam Epiſcopo obedientiam peccent? Num etiam defendere ſeſe poſſunt contra Epiſcopum cauſam ſuam jam inchoatam judicialiter proſequentem?

℟. Tuta conſcientia, & quin contra leges canonicas peccent, non poſſunt in ſua oppoſitione perſiſtere, utpote omni deſtituti fundamento. Ratio eſt; quia amplum diſcrimen eſt inter Epiſcopi & exemptorum jurisdictionem: nam cum in ſolo Epiſcopo poteſtatis eccleſiaſticæ & ſpiritualis plenitudo reſideat, ipſius jurisdictio eſſentialiter eſt annexa dignitati Epiſcopali, adeo ut nunquam ab ea ſeparari poſſit quacumque demum præſcriptione longiſſimi etiam temporis; dum econtra privilegium exemptionis etiam in induito Pontificio ac conſenſu Epiſcopi fundatum ab alio Epiſcopo per poſſeſſionem quadraginta annorum contra exemptos præſcribi poſſit, qui per tanti temporis non uſum privilegii eidem penitus renunciaſſe videntur, ut patet ex C. *Accedentibus*, 15, Lib. 5. Tit. 33. Exemptiones in genere legitimo titulo deſtitutæ, & in ſolo uſu fundatæ numerandæ

randæ ſunt inter abuſus non tolerabiles ; quia contra omnem juſtitiam , ut S. Bernardus advertit , partem ovium Eccleſiæ ſurripiunt, *Pontas*.

CASUS II. Capitulum ſede vacante quædam ſibi jura reſervat , quæ non communicat Vicario Generali a ſe conſtituto. Num bene ?

℟. Cum Capitulum vi juris communis non teneatur conſtituere Vicarium , poteſt juriſdictionem ad ſe devolutam per ſe ipſum exercere ; & hinc multo magis partem jurium ſibi reſervare. Cavendum tamen , ne ſic diverſitas votorum potius tendet ad deſtructionem quam ad ædificationem , eccleſiæ ac diſciplinæ. *De Lamet.*

CASUS III. In quo conſiſtit juriſdictio Decani Cathedralis vel Collegialis ?

℟. Juriſdictio , quæ certe competit Decanis eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum , in jure definita non eſt ; hinc unice ex praxi , conſuetudine , tranſactionibus & ſtatutis particularibus locorum deſumenda eſt. Hinc & Gloſſa in Cap. *Ex parte , de Cler. non reſ.* v. *officio* ait : *Quod ſit officium Decani , ex conſuetudine potius colligitur. Fromageau,*

Vide *Abſolutio. Approbatio. Confeſſarius. Confeſſio. Epiſcopus. Judex.*

L.

LABOR SERVILIS.

CASUS I. Poſſuntne puellæ delinquentes , & ea propter in domo caſtigatoria detentæ diebus Dominicis & Feſtis adſtringi ad labores ab aliis domeſticis hiſce diebus fieri ſolitos ?

℟. Poſſunt adſtringi ; imo ad evitandum otium conſtanter ad laborem adigi poſſunt diebus Feſtis & Dominicis extra tempus divini Officii. Pro majori tamen ſecuritate requirendus eſt Epiſcopus ab iis , qui ejusmodi labores præcipiunt. *Fromageau.*

Nota. Cenſeo , id ab Epiſcopo , niſi exigente neceſſitate publica , v. g. tempore belli , permitti non poſſe. Occupandi potius ſunt exercitiis piis , oratione , auditione lectionis vel exhortationis ſacræ.

CASUS II. Poteſtne labor ſervilis diebus Feſtis & Dominicis prohibitus , quandoque fieri licitus ?

℟. Labor ejusmodi fit licitus , ſi eum exigat neceſſitas aut pietas. Si labor ex pietate ſuſceptus eſt tantum præparatorius , anticipari debet , niſi cauſa rationabilis ſubſit eum

Digitized by Google

eum differendi in ipſum diem Dominicum aut Feſtum. *Fromageau.*

Nota. Si cauſa illa rationabilis non ſit extraordinaria, ſed ſæpius redeat, ſubjicienda eſt judicio Parochi, vel ſi eſt occultus domi, Confeſſarii.

CASUS III. Num violatur præceptum ſanctificandi dies Dominicos & Feſtos, ſi vera datur neceſſitas laborem ſervilem peragendi hiſce diebus?

℞. In hoc caſu non violatur præceptum. Cavendum tamen, ne quis facile ſibi blandiatur ſub inani prætextu neceſſitatis: ſola enim vera neceſſitas & utilitas proximi ejuſmodi laborem a peccato excuſant. Nihilominus quilibet quoad hoc ſe conformet conſuetudini notoriæ loci, in quo moratur. *Fromageau.*

Vide *Dominicæ* & *Feſta. Sanctificatio Feſtorum.*

LARVATUS.

1. Nomine *larvæ* venit quodvis fictitium integumentum faciei vel corporis, quo quis alium ſe ſimulat, ac reipſa eſt. In ſenſu figurato ſumitur pro quavis ſimulatione, fictione aut hypocriſi.

2. Larvæ ac veſtes quæcumque larvales, maxime alienum ſexum exhibentes non ſolum in Scriptura, ſed etiam a legibus eccleſiaſticis ac civilibus reprobantur. In Gallia maxime omni rigore in larvatos animadvertitur. Sic non ſolum quoad bona, ſed etiam conſiſcatio quoad corpus in eos ſtatuta eſt; cuique licet larvatum comprehendere ac judicibus tradere; & qui occiderit larvatum, non indiget literis, quibus ei delicti condonatio ac gratia fiat. Hinc & omnis venditio ac emptio larvarum ac veſtium ad ſimulandum alienum ſexum idonearum, ut ſunt ementiti naſi ac fictitiæ barbæ, ſeveriſſime prohibetur.

CASUS I. Valerianus tempore Bacchanaliorum genio indulſurus induit perſonam puellæ paſtoritiæ, & Lydia ejus ſoror perſonam ſenis; ſicque obducto larvis vultu inviſerunt ad amicos ſuos. Peccaruntne graviter?

℞. Procul dubio graviter peccarunt. Lex antiqua ſevere prohibuit, ne quis induat veſtem alterius ſexus; & lex iſta, cum ſit moralis, non minus Chriſtianos obligat juxta S. Thomam 1. 2. q. 102. art. 6. ad 6. quam olim obligaverat Judæos. *Credo jure infames inteſtabileſque haberi*, inquit S. Auguſtinus l. 1. Soliloq. c. 16., *qui muliebri habi-*

tu ſe oſtentant; quos neſcio utrum falſas mulieres an falſos viros melius vocem; veros tamen hiſtriones, veroſque infames ſine dubitatione poſſumus vocare. Mala, quæ ex hujusmodi diſſimulatione ſexus plerumque oriuntur, ut ſunt luſus prohibiti, choreæ, ac propudioſa converſandi licentia, adhuc majorem addunt malitiam. *Pontas.*

CASUS II. Claudius & Juliana, ambo in ſervitio Eduardi, tempore Bacchanaliorum larvati ſuos inviſunt amicos, Claudius ſub perſona ruſtici, & Juliana ſub veſte nobilis matronæ. Eduardus huic evagationi non ſolum ſe non opponebat, ſed omnium maxime ea delectabatur. Peccavitne Eduardus, etſi Claudius & Juliana veſtes alterius ſexus non induerint?

℞. Non poteſt excuſari a peccato; etſi enim veſtitus hic ſexui non adverſaretur, adverſabatur tamen eorum ſtatui ac conditioni; & hinc Eduardus non impediendo hanc deordinationem participem ſe reddit omnium peccatorum a domeſticis ſuis hac occaſione committendorum. *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet*, ait S. Paulus 1. Tim. 5., *fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Ejusmodi aſſumptiones veſtium proprio ſtatui ac conditioni non convenientium facilem præbent occaſionem ea loquendi & agendi, quæ repugnant pudicitiæ ac honeſtati Chriſtianæ, maxime in famulis ac ancillis ſæpius non bene educatis, & quidem eo tempore, quo ſolutior viget vivendi licentia. *Pontas.*

CASUS III. Ædipus victum ſuum quærit conficiendo larvas tempore hilariorum geſtari ſolitas. Confeſſarius abſolute vult, ut huic arti renunciet; ipſe vero legibus civilibus eam haud prohiberi, nec ſe conſentire aſſerit peccatis eorum, qui larvati incedunt; addit, ſe aliam artem non callere, qua familiam ſuam ſuſtentare poſſet. Confeſſarius autem his rationibus parum motus abſolutionem illi denegat.

℞. Bene egit confeſſarius: nunquam enim licet exercere artem, quæ de ſe mala eſt, & proximo peccandi occaſionem præbet; qualis eſt ars Ædipi. Rationes, quibus negotiationem ſuam excuſare nitebatur, jam pridem a Tertulliano L. de Idolol. c. 5. refutatæ ſunt. Et ſane, ſi id absque peccato fieri poſſet, etiam ſculptor aut ſtatuarius apud Mogoles aut Sinenſes commorans absque peccato ſculpere ac vendere idola poſſet; quod tamen Patres Eccleſiæ unamini calculo condemnant, nulla prorſus admiſſa ratione, quam ejusmodi artifices ac venditores allegant, prout allegavit & Ædipus ſuo confeſſario. *Pontas.*

NOTA.

NOTA. Cum hic verſemur in materia juris naturalis ac divini, non excuſantur parochi aut confeſſarii ſequendo meram conſuetudinem, aut erroneam ſententiam probabiliſtæ.

Vide *Sartor.* *Veſtitus laicalis.*

LAUDEMIUM.

1. *Laudemium* eſt jus illud, quod Dominus directus exigere poteſt a novo emphyteuta, quoties emphyteuſis tranſit de uno ad alium, propter inveſtituram, quam ei impertitur; & vocatur etiam *honorarium.*

2. De jure communi laudemium eſt quinquageſima pars pretii, quo fundus emphyteuticus æſtimatur. De conſuetudine tamen alicubi trigeſima, vigeſima aut etiam decima pars pro laudemio dari ſolet; unde ſervanda eſt in hoc cujuslibet loci conſuetudo.

3. Laudemium autem non eſt menſurandum ſecundum valorem, quam res habebat, quando primo tradita eſt in emphyteuſin; ſed ſecundum eum, quem res habet pro illo tempore, quo in alium transfertur.

CASUS I. Fortunatus civis Pariſienſis emit domum ante tres menſes, quin ulla ſimulatio aut fraus intervenerit. Dominus directus, cui debentur laudemia & jura annexa, eorum ſolutionem non exegit, de venditione non edoctus. An Fortunatus in conſcientia ad eorum ſolutionem, antequam petantur, tenetur?

℞. Tenetur: agitur enim hic de jure certo, quod debetur Domino directo ex eo momento, quo contractus cenſetur eſſe perfectus; quodque contrahentes in controverſiam vocare non poſſunt, quin ordo juſtitiæ penitus pervertatur. In dubio juris & quidem fundato nemo tenetur contra ſe ipſum producere titulum; datur autem hæc obligatio circa jura certa, ut in hoc caſu. *Pontas.*

CASUS II. Hermogenes emit prædium quoddam clientelare a Simone, cui pro hoc Solvit 20000. libras; cum vero timeret, ne Dominus Clientelaris illud pro eodem pretio retrahere vellet, aut aliquis conſanguineorum Simonis jure retractus uteretur, pactum permutationis ſimulavit. Teneturne ab quicquam reſtituendum?

℞. Quod attinet jus retrahendi, quo Dominus Clientelaris gaudet, dicendum eſt, Hermogenem, ſi bona fide proceſſerit, ſibique perſuaſum habuerit, hujusmodi permutationes licere, ad quicquam reſtituendum obligari haud debere. Quodſi mala fide egerit, ad Domino Clientelari reſtituendum quid obligandus haud eſt, ſed de peccato quod commiſit, monen-

monendus, ut pænitentiam agat. *De Ste Beuve Tom. 2. Caſ. 152. Pontas.*

CASUS III. Tremerius, cum emiſſet a Gilberto fundum ſiccum in Regione, ubi domini directi nullum laudemium ex permutationibus percipiunt, hanc emptionem ſimulato permutationis fuco coloravit, ne laudemium ſolvere teneretur. Dein octo poſt diebus obiit. Quatuor hæredes partiti ſunt hæreditatem, & Hieronymo tanquam hæreditaria portio fundus hic obtigit. Dominus directus de fraude Tremerii edoctus, reſtitutionem laudemiorum & annexorum jurium ab eo exigit, qui ipſi offert ſolutionem partis ſuæ, habita ratione partis, quam ex hæreditate defuncti obtinuit. An cohæredibus partem ſuam ſolvere recuſantibus, Hieronymus ad ſolutionem totius ſummæ tenetur?

℟. Conſtat, Hieronymum ad ſolutionem totius teneri, cum obligatio ſolvendi laudemia & annexa jura non ſolum ſit perſonalis, ſed etiam realis, & fundus domino directo oppignoratus ſit. Habet tamen actionem Subſidiariam adverſus tres ſuos cohæredes jure. *St. Beuve. Tom. 2. Caſ. 151, Pontas.*

CASUS IV. Quidam emit quoddam prædium clandeſtine, nec pactum venditionis Domino directo ſignificavit. An id Domino ſignificare ejus hæres tenetur, & ſolvere quoque laudemia & jura alienationi annexa?

℟. Tenetur; nec amplius venditori revendere prædium a longo jam tempore poſſeſſum poteſt; mulctam tamen nonniſi interveniente ſententia ſolvere tenetur. *Fromageau.*

LAUS.

1. Perſonam *laudare* idem eſt, ac de illa cum elogio & in illius commodum loqui. *Laus eſt locutio de aliquo cum approbatione, ſive eſt excellentiæ bonorificæ enunciatio.*

2. Proprie dici laus non poteſt, quam quis ipſe ſibi tribuit: *laudet te alienus*, inquit Sapſens, *& non os tuum.* Regulariter non niſi inſipientes ſibimet ipſis laudem dicunt: Ne te collaudes, nec te culpaveris ipſe: hoc faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis. Dantur tamen caſus, in quibus ſincere in Domino gloriari licet.

3. Laudandus non eſt niſi dignus, quem omnes laude dignum ſuſpiciunt: ſecus enim non laudat quis hominem, ſed ei blanditur & indigne adulatur. Imo & dignos laudare quandoque non convenit, maxime in eorum præ-
ſentia,

ſentia, ne temere periculo exponantur vanæ complacentiæ; cum laudes hominum deberent contemnere, & bona, quæ per Dei gratiam habent, in ipſum Deum ut authorem refundere.

CASUS I. Siricius vir magnæ doctrinæ ac vitæ exemplaris frequenter ob talenta & doctrinam ac prudentiam ſuam ſe ipſum laudat. An ſemper peccat.

℟. Tanta eſt humana fragilitas, ut rariſſime laus propria peccato vanæ gloriæ careat. Sunt tamen juxta S. Thomam in 2. Cor. 2. lect. 3. occaſiones, in quibus ſemet ipſum laudare licet. Si ergo Siricius exiſtimet, hic & nunc laudem propriæ virtutis multum conducere ad promovendam Dei gloriam & ſalutem proximi, non peccat laudando ſemet ipſum; ſecus autem ejusmodi laus propria ſine peccato nunquam eſt. *Pontas.*

CASUS II. Conſtantia matrona nobilis & aulica ſæpe alias fœminas nobiles in faciem laudat. Peccatne?

℟. Abſolute dici non poteſt, quod peccet: id enim unice ab ipſius intentione deſumi debet; quæ ſi bona eſt, non ſolum non peccat, ſed & meritorie agit; ut ſi v. g. eas laudat, ut ipſis inſpiret amorem virtutis, ac in bono roboret. Peccat autem, qui alium laudat ex mero adulandi ſtudio; vel ſi laudat rem malam, aut ſaltem laude indignam; vel ſi laudat prævidens, perſonam laudatam vane extolli, & ſpiritu vanæ gloriolæ abripi; vel ſi laudat, ut ipſemet ſibi viciſſim conciliet laudes reciprocas a perſona laudata; vel denique ſi laudat alium ex motivo temporali illicito quocumque demum. Ita S. Thomas 2. 2. q. 115. art. 1. ad 1. *Pontas.*

LEGATUM.

1. *Legatum* juxta Juſtinianum eſt *donatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præſtanda.*

2. Legatum validum facere non poſſunt 1. Qui non habent jus teſtandi, ut impubes, amens, ſurdus & mutus, Religioſus profeſſus, criminoſus civiliter mortuus, aut a judice interdictus. Si impuber conderet teſtamentum, id ſemper foret nullum, etiam poſtquam pubertatem attigit; *quod* enim juxta regulam juris *initio vitioſum eſt, tractu temporis non poteſt convaleſcere.* Teſtamentum tamen, quod amens condidit, antequam incidit in amentiam, eſt validum. Legatum eſt invalidum 2. Si ille, cui fit, eo uti non poteſt. 3. Si res legata legari non poteſt, id eſt, ſi extra commer-

cium humanum eſt poſita, ſive ſit mobilis ſive immobilis. Sic legari non poteſt res ſacra aut publica, ut eccleſia aut cœmeterium. Legari tamen poteſt domus habens capellam domeſticam, quæ ſolum relate ad domum per modum acceſſorii conſideratur; ſicut jus patronatus habet rationem acceſſorii ad fundum prædiumve legatum vel venditum.

3. Si res in communi legatur pluribus perſonis, & non ſit diſtincta in portiones, poſſunt inter ſe partiri aut rem, aut ejusdem pretium.

4. Legatarius, in cujus favorem plura legata fiunt, poteſt pro ſuo libitu quædam acceptare & quædam repudiare; niſi quibusdam ſit obligatio aut onus annexum: tunc enim non permittitur legata onere gravata repudiare, & alia non gravata acceptare.

5. Legata tradenda non ſunt niſi deducto prius ære alieno teſtatoris. Idem dicendum de omni alia donatione mortis cauſa. Hinc ſi debita paſſiva ſuperent bona teſtatoris, legata fiunt caduca.

6. Ex quo quis indignus hæreditate ſit, ex eo quoque incapax legati efficitur. Et quidem circa legata id peculiare eſt, quod legatarius, ſi teſtamentum falſi arguat, illudque ab hærede fabricatum criminetur, & in probatione deficiat, legato etſi jam accepto jure ſpolietur in pœnam injuriæ adverſus hæredem commiſſæ. Legata alimentaria fieri poſſunt omnibus indiſcriminatim, etiam civiliter mortuis: cum enim ea abſolute neceſſaria ſint ad vitæ ſuſtentationem, æquitas naturalis poſtulat, ut nemo prorſus ab hoc beneficio excludatur.

7. Teſtator legare poteſt perſonæ ſibi prorſus incognitæ; dummodo ex circumſtantia particulari deprehendi poſſit intentio legantis & motivum legati: v. g. legatum fieri poteſt illi, qui inſtituto hæredi operam ſuam contulerit ad rite expediendum ſucceſſionis negotium; quin teſtator ſciat, quisnam ille futurus ſit. Idem legari poteſt urbi vel communitati eccleſiaſticæ aut ſæculari, non ſecus ac homini privato.

8. Teſtator ſi legaret rem jam prius pertinentem ad legatarium, legatum foret nullum: non enim rationabiliter præſumi poteſt, teſtatorem legaturum fuiſſe, ſi ſciviſſet, rem eſſe legatarii; ex quo infertur, nec æſtimationem rei legatario deberi. Si teſtator legat rem alteri pignori datam, hæres tenetur præſtita creditori ſolutione redimere pignus, idque tradere legatario, aut compenſare ejusdem pretium,

ſi

ſi res fuiſſet vendita; *niſi contraria defuncti voluntas ab hærede oſtendatur*, ut ait lex.

9. Legari poteſt res nondum exiſtens, ut fructus & grana tempore meſſis colligenda. Si tamen teſtator determinaret quantitatem fructuum, granorum aut vini ex certo agro, & ager tantum non proferret, hæres non teneretur legatario ſupplere defectum. Si teſtator quid legat nominatim, ut hunc equum, hoc horologium, eoque mortuo res nominatim legata non reperitur inter bona hæreditaria, legatum fit caducum; ſecus, ſi legaſſet in terminis generalibus. Quando legatur principale, legari quoque cenſetur acceſſorium naturaliter ſub principali comprehenſum, ut capſula ſub horologio manuali, inſtructus & apparatus equorum ſub equis legatis &c. Attamen pereunte principali, legatario in acceſſoria jus nullum competit. Sunt autem acceſſoria, quæ principale non ſequuntur, ut mobilia domus, quæ legata domo non cenſentur legari; & hinc in ea legatario nulla prætenſio, niſi teſtator in diſpoſitione teſtamentaria terminis formalibus id expreſſerit. Verum claves domus, area, adjacens hortus & alia ad domum pertinentia habentur pro naturali acceſſorio; & conſequenter ſunt legatarii, quamvis teſtator expreſſam de hoc mentionem non fecerit.

10. Additamenta ad fundum legatum v. g. quoad ædificia, coemtionem ſoli djacentis, dilatationem horti, extenſionem areæ &c. a teſtatore facta in commodum legatarii veniunt ut acceſſoria, niſi priorem ſuam diſpoſitionem mutaverit teſtator.

11. Sunt & legata, quæ vocantur, *pia*; eoquod ad opera pietatis & charitatis deſtinentur, veluti ad ſuſtentationem pauperum, ad ædificationem vel reparationem ædis ſacræ aut hoſpitalis. Si teſtator nullum ejuſmodi legatorum piorum executorem conſtituit, juxta Concilium Tridentinum Epiſcopi erit vel exequi piam teſtatoris diſpoſitionem, vel ejuſdem executionem urgere. Quando teſtator legavit ſummam ad conſtruendum hoſpitale vel eccleſiam parochialem, & a condito teſtamento alius benefactor hanc conſtructionem jam perfecit, aut ejuſmodi ædificium nec utile nec neceſſarium judicetur; legatum tamen locum obtinet, & ſumma legata in alia pia opera pro favore hoſpitalis aut eccleſiæ parochialis jam conſtructæ erit expendenda.

12. Quando teſtator habet duas res ejuſdem nominis, diverſi tamen pretii, & alterutram ſine determinatione legat, optio erit penes hæredem. Nihilominus in legato ex pluribus

ribus rebus ejusdem naturæ, ut ex pluribus equis diverſi pretii, hæres non poteſt absque violatione æquitatis naturalis legatario dare rerum legatarum deterrimam; poteſt quidem ſibi retinere meliorem, legatario tamen tenetur tradere aliam mediocris ſaltem pretii.

13. Si teſtator alterum ex duobus equis ſuis legaſſet Joanni data eidem optione, & Joannes intra conſtitutum terminum optionem facere neglexiſſet, legato ſuo fruſtraretur, ſi interea unus equus absque culpa hæredis perierit. Idem dicendum de hærede, ſi eidem relicta fuiſſet optio. Quando ambæ res, quarum una legata eſt, poſt mortem teſtatoris & antequam optio fiat, pereunt, tam legatario quem hæredi pereunt, penes quemcumque demum fuerit electio, ſi culpa neutri imputari poteſt. At ſi una duntaxat rerum legatarum periret, altera legatario deberetur; quod etiam verum eſt in caſu, quo optio fuit penes hæredem.

14. Electione ſemel facta res ad eum pertinet, qui illam elegit; nec cuiquam ultra variare licet. Legatarius valide optionem facere nequit, antequam hæres ſe hæreditatem acceptare declaravit.

15. Si teſtator inter multas res quarumdam ſelectionem dedit ex legatariis uni, relictis cæteris alteri legatario, & prior repudiet legatum, id cedit in commodum alterius. v. g. Cajus legat Titio viginti volumina ex ſua bibliotheca propria optione ſeligenda, & reliquos libros Mævio; ſi Titius reſpuat legatum, tota bibliotheca eſt Mævii.

16. Dantur legata, quæ quandoque cenſum & fructus pariunt, tanquam acceſſorium; ſed cenſus non debetur niſi a die, quo legatarius poſtulat legatum, & hæres non tradit. Fructus fundi legati ante mortem teſtatoris non collecti ad legatarium pertinent, illique debentur a die conteſtatæ litis; ſi autem hæres per fraudem occultaſſet teſtamentum, deberentur a die, quo deceſſit teſtator.

17. Legatum conceptum verbis abſolutis ac ſine conditione a momento obitus teſtatoris legatario aquiritur; ſi eſt conditionatum, primum poſt eventum conditionis effectum ſortitur. Per conditionem frequenter onus intelligitur legatario impoſitum: proprie tamen loquendo conditio eſt id, in cujus complemento aut conventu teſtator validitatem legati ſui conſtituit; v. g. ſi teſtator dicat: *lego Paulo pratum meum ea conditione, ut Petrus per illud tranſitum habeat ad colendam vineam ſuam adjacentem*; en! ſimplex onus & ſervitutem impoſitam Paulo. Si vero diceret: *lego Paulo domum in caſu,*

ſis, quo in die obitus mei conjugatus fuerit, eſſet proprie dicta conditio. Unde ſequitur, quod in priori caſu legatarius legatum ſibi aquirat, illudque ad hæredem ſuum tranſmittat poſt obitum; in poſteriori vero caſu legatario legatum non competat, ſi eo tempore, quo teſtator deceſſit, non ſit conjugatus. Si adjecta legato conditio foret injuſta, impoſſibilis aut bonis moribus adverſans, legatum cenſetur pure ac ſimpliciter factum.

18. Si legatarius moriatur ante teſtatorem, hæredi ipſius nullum ad legatum jus competit. Si ex natura legati aut ex verbis teſtamenti innoteſcat, teſtatoris intentionem tantum fuiſſe, illud ſoli perſonæ legatarii deſtinandi, legatario extincto extingueretur & legatum. Talia legata ſunt uſusfructus rei, penſionis alimentariæ aut vitalitiæ, quæ nunquam tranſeunt ad hæredem legatarii, niſi expreſſe conſtet ex terminis teſtamenti, id voluiſſe teſtatorem.

19. Si teſtator rem legat quotannis legatario ſolvendam, legatum hoc conſiderandum eſt per modum tot legatorum peculiarium, quot annis legatarius vixerit; legatum hoc ipſi aquiritur, quamprimum annus incipit; quodſi legato nondum recepto moriatur, ejusdem dominium ſicut & omnia adhuc reſtantia hæredi ſuo tranſcribit.

20. Hæredis rei legatæ poſſeſſionem habentis eſt eidem invigilare; ita ut ſi ejus culpa aut negligentia pereat, eam legatario compenſare teneatur; quod tamen locum non habet, ſi res legata non eſt in poſſeſſione hæredis.

21. Ad legati cautionem hæres non adſtringitur, ſi judicialiter evincatur. v. g. Julius legat Jacobo ſilvam cæduam, quam exiſtimabat ſuam eſſe. Jacobus adita vix poſſeſſione, eadem deiicitur ab Antonio. Hæres Julii non tenetur Jacobo aliam dare ſilvam aut ejusdem æſtimationem: præſumi enim debet, Julium legaturum non fuiſſe hanc ſilvam, ſi ſcivisſet, non eſſe ſuam. Aliud omnino dicendum foret, ſi Julius dividens bona ſua inter omnes liberos ſuos, uni eorum dediſſet hanc ſilvam, & hæc poſtea evinceretur; ſic dejectus absque dubio recurſum haberet ad reliquos: certum enim eſt, intentionem Julii fuiſſe, ut & hæc proles ſuam, ut cæteri, ex hæreditate portionem obtineret. Quodſi ex ſententia evictionis pretium expenſum in fundum evictum reddendum ſit, id non in hæredis, ſed in legatarii commodum cedit, ut ſit in venditione facta cum facultate reluendi.

22. Le-

22. Legatum conditionale aut ſolvendum ad certum tempus, quod necdum prælerlapſum eſt, ab hærede teſtatoris ſolvi poteſt, dummodo id non præjudicet tertio.

23. Legatum fit caducum morte legatarii, ſive contingat ante ſive poſt diem teſtamento ſubſcriptam; item ſi moriatur ante teſtatorem. Si legato caduco annexum fuiſſet quoddam onus ſeu obligatio, legatum reſpectu hujus oneris adhuc ſubſiſteret, licet ſub diverſa prorſus ratione conſiderandum ſit. Omne legatum vel expreſſe vel tacite a teſtatore revocatum extinguitur; quod & fit per repudiationem legatarii, & dum res legata mutat naturam ſuam, ut ſi jugerum agri legatum convertatur in cœmeterium. Solutio ſummæ legatæ extinguit legatum. Idem dicendum, ſi teſtator rem legatam abalienavit per venditionem aut donationem. Legatum denuo fit caducum, dum res legata mutat formam ac ſtatum ſuum, etſi materia maneat eadem. Sic v. g. ſi Hieronymus determinatum pannum legavit Marcello, & poſtea veſtes ex eo conficiendas curavit, Marcellus nil amplius commodi refert ex legato. Ex eadem ratione diminuitur legatum, dum teſtator partem demit ex eo, v. g. ſi a legato fundo partem ſubtrahit ad amplificandum hortum aut extenſionem ædificii. Denique quando teſtator, qui rem cuipiam legavit, ſecunda diſpoſitione eandem alteri legat, legatum reſpectu primi legatarii omnino fit caducum.

24. Qui pure ac ſimpliciter hæredem ſe profeſſus eſt, tenetur omnia legata ſolvere, etſi valorem hæreditatis excedant.

25. Legatis detrahi poteſt, quando bona hæreditaria tanta non ſunt, ut æs alienum ſolvi, legitimisque hæredum juribus ſatisfieri poſſit. Verum non viget ubique circa hoc conſuetudo uniformis. Vi juris communis ex omnibus bonis defuncti competit hæredi falcidia, expunctis prius debitis teſtatoris, nec iis exceptis, quæ hæredem ut creditorem concernunt. Hæres ſive legitimus ſive teſtamentarius non poteſt exigere falcidiam, niſi poſtquam ſe hæredem declaravit beneficio inventarii. Hæres beneficiarius, qui fundum alienat vel legatum ſupprimit, excidit jure falcidiæ quoad hunc fundum & hoc legatum.

26. Falcidia commenſuranda eſt pro ratione bonorum actu exiſtentium tempore obitus teſtatoris, non comprehenſis fructibus pendentibus, qui hæredis ſunt. Circa uſumfructum, penſionem vitalitiam aut alimentariam æſtimatio facienda eſt, quam ingredi non poſſunt bona ab eventu litis aut incerta conditione pendentia.

27. Si

27. Si deducta falcidia, & ſubtractione a legatis facta detegerentur nova bona ad hæreditatem pertinentia, ab hærede legatariis deſuper ratio reddenda foret.

28. Si contingat, ut cujuſdam legati effectus ſuſpendatur ob conditionem legato appoſitam & necdum adimpletam eo tempore, quo regulanda foret falcidia, æquum non foret, & alia legata pura ac ſimplicia ſupendi. Legatarius nunquam poteſt uti jure falcidiæ. Legata facta in teſtamento militari falcidiæ non ſubjacent. Nihilominus, ſi legata totam aut fere totam exhaurirent hæreditatem, æqui judicis foret mederi.

CASUS I. Theodegildes femina nobilis & ditiſſima, ita ut annui ejusdem redditus ad 15000. florenorum millia aſcenderent, teſtamento octo ante mortem diebus condito legavit confeſſario 500. Advocato 3000. Procuratori 1500. & demum medico vel pharmacopolæ ſuo 2000. florenos. Paulus filius ejus unicus ac ſolus hæres renuit ſolvere hæc legata, tanquam ſuggeſta a perſonis, quæ a legibus inhabiles judicantur recipiendi ejusmodi legata, maxime a femina ægrotante. Num juſte renuit?

℟. Quamvis perſonæ hujusmodi poſſint eſſe ſuſpectæ, eoquod multum valeant ad dirigendam voluntatem ægrotantium, facilisque ipſis ſuggerendi ſit occaſio, non tamen generatim ac ſine ſpeciali ratione privandi ſunt favore omnibus ſanis Reipublicæ membris conceſſo. Hinc concludendum, legata hæc ſolvenda eſſe, niſi adſint argumenta poſſitiva ac certa, ex parte legatariorum interveniſſe dolum, metum aut ſuggeſtionem, quæ neceſſariam teſtatrici libertatem imminuere potuerint. Intentio legum certe non eſt fovendi ingratos, ſed ſolum tuendi libertatem eorum, qui liberales eſſe cupiunt. Legata hæc omnia ſummam 7000. florenorum, & quidem ſemel duntaxat ſolvendorum, non tranſcendunt; quod utique liberalitatem exceſſivam & exorbitantem non arguit in perſona tantorum & quidem annuorum reddituum. Paulus ergo absque injuſtitia ſolutionem horum legatorum denegare non poteſt. *Pontas.*

CASUS II. Cheron pericloſe decumbens legavit nepti ſuæ Leodegundi 1500. florenos hac conditione, ſi Religionem ingrediatur. Leodegundes uno poſt obitum Cheronis menſe Religionem ingreſſa, ſed exactis in ea ſex menſibus ad ſæculum reverſa, legatum petit; id quod hæres, conditionem ab ea haud impletam cauſatus, ſolvere recuſat. Num juſte?

℟. Si

℞. Si Leodegundes Religionem ingreſſa eſt bona fide & animo eam profitendi, nec ex propria culpa eidem nuncium miſit; ſed ob debilitatem virium ferendis auſteritatibus impar, vel ob alium notabilem defectum corporis dimiſſa fuit, hæres abſque injuſtitia legatum ipſi denegare non poteſt, ut cenſet Fagnanus in Cap. *Porrectum.* de Regularibus. n. 57. Si autem ſolum ingreſſa fuit ea intentione, ut ſic lucretur 1500. florenos, legatum ipſi non debetur. *Pontas.*

CASUS III. Horatius teſtamento legavit Dionyſio uni ex hæredibus ſuis quatuor boves & gregem ovium anticipato, & tamen vult, ut æqualem cum reliquis partem habeat in bonis hæreditariis. Cohæredes autem ſe opponunt dicentes, legatum ipſius eſſe inſtar portionis hæreditariæ. Eſtne juſta hæc oppoſitio?

℞. Viget quidem in non nullis locis conſuetudo, vi cujus nemo poteſt eſſe ſimul hæres & legatarius defuncti; ex jure communi tamen juxta L. *Qui filiabus.* 17. ff. Lib. 30. Tit. 1. & L. *Interdictum.* 1. §. 6. ff. Lib. 43. Tit. 3. utrumque omnino compatibile eſt, ita ut hæres ſuam cum cohæredibus portionem, & ſimul prælegatum, ſeu, ut in jure vocatur *legatum per præceptionem* recipere poſſit. Injuſte ergo Dionyſio prælegatario ſimul ac hæredi denegatur portio hæreditaria. *Pontas.*

CASUS IV. Adolphus legans Guſtavo ſummam pecuniariam his uſus eſt verbis: *Rogo Titium hæredem meum, ut det Guſtavo* 500 *florenos.* Teneturne Titius ſolvere hoc legatum, a teſtatore ſolum rogatus?

℞. Procul dubio tenetur: quocumque enim modo teſtator voluntatem ſuam exprimat, ea adimpleri debet. *Omne verbum*, ait L. *Omne verbum.* 2. Cod. Lib. 6. Tit. 43. *ſignificans teſtatoris legitimum ſenſum, legare vel fideicommittere volentis, utile atque validum eſt; ſive directis verbis, quale eſt* jubeo *forte, ſive precariis utatur teſtator, quale eſt*: rogo, volo, mando, fideicommitto. *Pontas.*

CASUS V. Auguſtinus anno ætatis vigeſimo periculoſe decumbens condit teſtamentum, & Paulino tutori ſuo legat 1000. florenos. Fratres tutori a pupillo legari non poſſe rati legatum ſolvere recuſant. An jure?

℞. Ubi diſpoſitiones teſtamentariæ a pupillis in favorem tutorum factæ a legibus irritæ declarantur, ut in Gallia, fratres Auguſtini abſque nota injuſtitiæ ſeſe opponunt huic legato. Cum autem vi juris communis minorennes teſtari poſſint irrequiſito conſenſu curatoris aut tutoris, etiam legare poſſunt, cui voluerint. Valet ergo hoc Auguſtini legatum

tum, idque Paulino denegari non poteſt; licet fatendum, ejuſmodi legata in foro externo facilius impugnari poſſe ob ſuſpicionem ſuggeſtionis, maxime ſi ſint immoderata vel irrationabilia. *Pontas.*

CASUS VI. Petrus teſtamento legavit 1000. florenos ab hærede Iſaaco ad determinatum uſum applicandos; quam tamen ſummam hæres ad alium uſum magis proficuum majoriſque momenti impendit. Peccavitne immutando deſtinationem?

℟. Hæres non habet jus ſuccedendi in bona defuncti, niſi cum onere ultimam ejusdem voluntatem exequendi, anneriſque obligationibus ſatisfaciendi. Hinc propria authoritate deſtinationem hanc mutare nequivit: id enim juxta *Conferentias Condomienſes* Tom. 1. Confer. 13. ſect. 2. judicis civilis eſt quoad profana, & eccleſiaſtici quoad legata pia; licet in non nullis locis controverſiam circa pia etiam legata decidat judex civilis. *Pontas.*

CASUS VII. Omundus teſtamento legavit 2500. florenos ad conſtruendam aulam, quam hoſpitali urbis addi volebat. Cum vero aula hæc interea liberalitate ac munificentia aliorum conſtructa fuiſſet, aut curatores hoſpitalis hoc ædificium inutile judicarent, hæres legatum hoc, eoquod effectu ſuo fruſtratum fuerit, retinere ſtatuit, ſibi aquiſitum ratus. Juſtene curatores hæredem, hoc inſuper habito, ad tradendam ſummam legatam compellunt?

℟. Certum eſt, expreſſam teſtatoris voluntatem fuiſſe hanc ſummam a bonis hæredi relictis demendi, ut in ſolatium pauperum cederet. Jure itaque curatores hæredem ad ſolutionem legati adigunt. *Semper*, inquit L. *Quidam*. 5. Cod. Lib. 6. Tit. 27. *veſtigia voluntatis ſequimur teſtatorum*: conſtat enim, dictam ſummam conſecratam fuiſſe Deo in perſona pauperum; & hinc eam ab hærede ſine nota ſacrilegii retineri haud poſſe. Ex quo ſequitur, eam conformiter ad L. *Legatum*. 16. ff. Lib. 33. Tit. 2. de conſilio curatorum hoſpitali præfectorum in aliud pauperum ibi degentium ſubſidium convertendam eſſe. *Pontas.*

CASUS VIII. Philologus teſtamento legavit cuidam communitati Religioſæ 500. florenos ad ædificandum dormitorium addita declaratione, ſummam hanc ab hærede ſolvendam non eſſe, ſi in hunc uſum non ſit adhibenda. Cum autem memorata communitas a Principe confirmata ac ſtabilita non eſſet, & hinc ad recipiendum legatum inhabilis foret, hæres ſuo illud lucro retinere cogitat. Num ſalva conſcientia?

℟. Le-

℞. Legata pia, quando ad uſum a teſtatore intentum applicari nequeunt, ad aliud pium opus ea deſtinandi jus competit Superiori eccleſiaſtico. *Cum igitur in omnibus piis voluntatibus*, inquit Gregorius IX. Cap. *Tua nobis.* 17. Lib. 3. Tit. 26. *ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum defuncti voluntatem univerſa procedant, licet etiam a teſtatoribus id contingeret interdici, mandamus &c.* Id confirmat Concilium Tridentinum Seſſ. 22. c. 8. de Refor. dum ait: *Epiſcopi in caſibus a jure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, ſint executores.* Ex quo abunde patet, voluntatis teſtatorum defunctorum interpretem eſſe Epiſcopum. *Pontas.*

Nota. Placita hæc ſunt juris eccleſiaſtici, quod certiſſimum eſt; ſed non ſolum Galliæ jam dudum, ſed hisce temporibus jam plerisque Germaniæ Principibus diſplicentia.

CASUS IX. Gentianus teſtamento legavit hoſpitali 25. florenos cenſus annui ea intentione, ut hoc ſubſidio juvenes pauperes poſſint addiſcere congruum opificium, ita tamen, ut, ſi ex ſua familia reperiantur ejusmodi pauperes, ii aliis præferantur. Adminiſtrator hoſpitalis hunc cenſum applicat Antoniæ egenti mulieri teſtatoris conſanguineæ, idque inſtigantibus ac conſentientibus aliis propinquis. Ex hoc cenſu per plures annos Antonia ſuſtentabat ſe, eum tamen obtenta quadam hæreditate denuo hoſpitali reſtituit. Potuitne adminiſtrator uſum hujus cenſus tuta conſcientia concedere Antoniæ? Poſito quod non potuerit, an tenetur reſtituere omne id, quod Antonia percepit, ſi ipſa, quæ prima obligata foret, reſtitutionem non faciat? An Antonia, ſi reſtituere jam haud poſſit, eo quod maximam partem obtentæ hæreditatis hæredibus ſuis præſumptivis donaverit, tenetur infirmare donationem, ut habeat, unde reſtituat? Et deinde ſi annullare donationem nequeat, quid conſilii ad tranquillandam conſcientiam?

℞. Adminiſtrator illæſa conſcientia uſum hujus redditus Antoniæ concedere non potuit, etſi pauperi & propinquæ teſtatoris; cum privata authoritate deſtinationem legati immutare non potuerit, quin teſtatorem ultimæ voluntatis executione defraudaret, & evidentem injuſtitiam committeret in egenos juvenes, quorum commodo Gentianus providere voluerat. Hinc Antonia prima tenetur reſtituere ea omnia, quæ ex annuo cenſu percepit, ut ad uſum a teſtatore intentum applicentur; quocumque demum modo poſſibili reſtitutio fieri poſſit. Quodſi vero Antonia aut ejusdem hære-

re-

redes præſumptivi reſtituere vel non poſſint vel non velint, adminiſtrator eorum loco ad reſtitutionem tenetur. *Pontas.*

Nota. Inſiſtendo principiis juris eccleſiaſtici Epiſcopus poſſet diſponere æqua compoſitione juxta voluntatem defuncti præſumptam pro caſu erroris bona fide commiſſi.

CASUS X. Tertullus legavit Manfredo ſummam pecuniæ ſub hac verborum formula : *lego Manfredo* 1000. *florenos ; eo quod me adjuverit in cauſa criminali a Joanne mihi intentata, & anno præterito vitam mihi ſervaverit, cum in latrones incidiſſem.* Manfredus petit legatum, quod hæres recuſat ; eo quod certa ipſi ſuppetant argumenta, rem haud ita ſe habere. An ſolutionem legati denegare poteſt, ſi motiva legandi in teſtamento allata falſa ſint?

℟. Legatum jure debetur Manfredo, illudque hæres ſolvere tenetur ; cum hæc ſit voluntas teſtatoris, quæ ſola ſufficit. Allegatio motivorum ſolum denotat, teſtatorem vel deceptum fuiſſe, vel id ſtudioſe factum ad conciliandum legatario honorem, aut monſtrandam juſtitiam diſpoſitionis ſuæ. *Falſam cauſam legato non obeſſe verius eſt*, inquit L. *Cum tale.* 72. §. 6. ff. Lib. 35. Tit. 1. *quia ratio legandi legato non cohæret.* Aliud dicendum foret, ſi teſtator motivum legandi expreſſiſſet ea verborum formula, ex qua clare innoteſceret, eum huic motivo tanquam conditione alligaſſe effectum diſpoſitionis ſuæ ; ut ſi dixiſſet v. g. *lego Manfredo* 1000. *florenos in caſu, quod me adjuverit in lite a Joanne mihi ſuſcitata* : ait enim Imperator §. *Longe.* 31. Inſtit. L. 2. Tit. 20. *Sed ſi conditionaliter enunciata fuerit cauſa, aliud juris eſt, veluti hoc modo : Titio, ſi negotia mea curaverit, fundum meum do, lego. Pontas.*

CASUS XI. Pamelius poſtquam Cajo legaverat domum, eandem hypothecat Thierico pro ſumma 300. florenorum addita ſtipulatione, ut ſi intra biennium non ſolveret debitum, domus eſſet Thierici. Mortuo intra annum Pamelio hæres illius recuſat Caio tradere domum ; cum per oppignorationem & ſtipulationem legatum revocatum crederet. Teneturne hæres in conſcientia Cajo tradere domum Thierico obligatam?

℟. Per oppignorationem condito teſtamento ſupervenientem Legatum non cenſetur eſſe revocatum, ut habetur L. *Qui poſt.* 3. Cod. Lib. 6. Tit. 37. Quando res hypothecata pertinet adhuc tempore mortis ad teſtatorem, ejusdem dominium transfertur in legatarium ; conſequenter & memorata domus necdum alienata. Hæres igitur, qui non potuit ac-

acceptare hæreditatem niſi cum onere omnium debitorum eidem annexorum; tenetur redimere domum, eamque absque omni obligatione cedere legatario. Hoc tamen intelligendum eſt pro caſu, quod hæres ex aliis bonis hæreditariis a Pamelio relictis tantum aquirat, ut poſſit Thierico ſolvere debitum, ac redimere domum. *Pontas.*

CASUS XII. Carpophorus periculoſe decumbens fecit teſtamentum, & domum ſuam legavit Theotimo. Reconvaleſcens denuo dimidiam domus partem diruendam & de novo ædificandam curat, id quod poſt ſex menſes factum etiam circa alteram partem; ita ut intra biennium tota domus jam fuerit nova. Mortuo tandem Carpophoro, quin in teſtamento quidpiam immutatum fuerit, Theotimus petit legatum, quod recuſat hæres, id per totalem immutationem infirmatum ratus. Juſtene recuſat?

℞. Hæres tenetur tradere domum: mutatio enim partium non impedit, quo minus domus ſucceſſive refecta cenſeatur eadem domus, quæ fuit ante; etſi nec lapis de priori domo ſuperſit. *Si domus fuerit legata*, ait L. *Si ita.* 65. §. 2. ff. Lib. 30. *de Legatis l. licet particulatim ita refecta ſit, ut nihil ex priſtina materia ſuperſit, tamen dicemus, utile manere legatum.* Idem dicendum de grege ovium, etiamſi mortuo teſtatore nec una ovis ſuperſit ex iis, quæ erant tempore facti legati. *Pontas.*

CASUS XIII. Ariſtobulus legavit Eccleſiæ S. Antonii 2000. florenos, a parocho & curatoribus in annuum cenſum 100. florenorum elocandos ad miſſam quotidie in perpetuum pro requie defuncti in ea Eccleſia legendam. Parochus & curatores nolunt cum tanto onere acceptare legatum. Poteſtne hæres illud retinere in commodum proprium?

℞. Si teſtator non ſpeciatim deſignaverit, aut ſaltem viva voce declararit, legatum fore hæredis, ſi repudiaretur, hæres nequaquam id ſibi retinere poteſt, ſed tenetur, & quidem prompte, illud impendere in alias cauſas pias, ut docet Genettus Th. mor. Tom. 1. Ratio eſt; quia defunctus hoc legatum forte fecit ex obligatione aliqua ad reſtitutionem; ad quam ipſe hæres, utpote eadem cum defuncto perſona, teneretur. Dein poſito etiam, quod hæc ratio non ſubſiſtat, certe præſumi debet, intentionem legantis fuiſſe, ut legatum, ſi finem determinatum conſequi non poſſit, ad aliud ſaltem opus pium pro ſolatio animæ ſuæ applicetur. *Pontas.*

CASUS XIV. Eradius condidit teſtamentum coram parocho in præſentia duorum teſtium, in eoque pauperibus lega-

legavit 150. florenos. Hæres legatum præſtare renuit; eo quod ad valorem hujusmodi teſtamenti juxta leges duo teſtes haud ſufficerent. Num jure renuit?

℞. Jure renueret Eradius, ſi non ageretur de legato pio; verum in hoc caſu tenetur juxta Alexandrum III. Cap. *Cum eſſes.* 10. Lib. 3. Tit. 26. in foro conſcientiæ ſolvere legatum, utpote pium. Legato pio facto per teſtamentum coram parocho ac duobus teſtibus conditum haud minus favoris tribui debet, ac teſtamento militum; ad hoc autem non requiruntur ſeptem teſtes, ſicut ad alia Teſtamenta. Addi hic poteſt, quod obſervat Cabaſſutius, 1. quod legata pia non ſubjaceant Falcidiæ aut Trebellianicæ, ut expreſſe ſtatuitur in Auth. *Similiter.* Cod. Lib. 6. Tit. 50. 2. quod, licet legata juxta jus commune non debeant præſtari, niſi poſtquam hæres declaravit, ſe adire hæreditatem, pia tamen legata ſolvi debeant *etiam non adita hæreditate*; ut docent Bartholus, Baldus, aliique. *Pontas.*

Nota. Leges noviſſimæ plurium Principum Germanorum parochos omnino non admittendos volunt ad negotia teſtamentaria parochianorum; fors quia eos ſuſpectos exiſtimant ſuggeſtionis in favorem Eccleſiarum ſuarum.

CASUS XV. Cœcilius fecit legatum his verbis: *Do Eccleſiæ & pauperibus* 3000. *florenos æqualiter inter ſe partiendos.* Parochus loci hæc verba unice de Eccleſia parochiali & pauperibus parœciæ intelligenda eſſe contendit; hæres autem ſuo ex arbitrio pendere exiſtimat, cuinam Eccleſiæ & quibusnam pauperibus legatum applicare velit.

℞. Hæres nequaquam habet jus ſeligendi Eccleſiam aut pauperes: præſumendum enim eſt, intentionem Cœcilii fuiſſe, ut Eccleſia domicilii ſui & pauperes loci hoc legato fruantur. Id inſignis Juriſperitus ex Novella 131. cap. 9. deducit, ubi habetur: *Si quis in nomine magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti hæreditatem aut legatum reliquerit, jubemus Eccleſiam loci illius, in quo teſtator domicilium habuerit, accipere, quod dimiſſum eſt.* *Pontas.*

CASUS XVI. Probus legavit Thomæ 100. florenos, qui tamen mortuo teſtatori unico quadrante horæ ſuperſtes fuit. An hæredibus Thomæ jus ad hoc legatum?

℞. Ab eo inſtanti, quo legatum aquiritur legatario, hic illud transfert ad hæredes ſuos; niſi fors legato annexa fuiſſet conditio, quæ ante mortem Thomæ necdum impleta fuiſſet. L. *Si poſt diem.* 5. ff. Lib. 36. Tit. 2. Si legatum Thomæ factum fuiſſet ſub conditione, *ſi prolem habue-*

buerit, & poſt teſtatorem moriens uxorem relinqueret gravidam, indubitato legatum deberetur Thomæ, qui illud transmitteret ad prolem ſuam naſcituram. *Pontas.*

CASUS XVII. Fortunatus ſummam 500. florenorum legavit Sebaſtiano; & cum hic ſemihora tantum ante teſtatorem obiiſſet, hæres Sebaſtiani petit legatum.

℟. Legatum legatario non aquiritur niſi a momento, quo teſtator deceſſit. Cum ergo Sebaſtianus ante Fortunatum deceſſit, nullum habuit jus ad legatum; conſequenter & nullum transmittere potuit ad hæredem ſuum, ut habetur L. *Si eo.* 4. ff. Lib. 34. Tit. 8. *Pontas.*

CASUS XVIII. Maceus domum ſuam, & quidquid tempore mortis ſuæ in ea reperiretur, legavit Michaëli. Reperiebantur autem in ea duo ſacculi & in quolibet 500. floreni numeratæ pecuniæ, præter contractum 150. florenorum cenſus annui. Michaël hæc omnia ſibi deberi contendit.

℟. Legatum hoc certe comprehendit omnia mobilia, nec ipſis quidam ſacculis pecuniariis exceptis; non tamen cenſentur ſub eo comprehendi contractus annui cenſus & ſyngrapha debitorum. L. *Generali*, 25. §. 2. ff. Lib. 33. Tit. 2. Ratio eſt; quia jura & debita activa non conſiſtunt in chartis ac ſchedulis obligationum, nec proprie dici poſſunt contineri in loco determinato, ut res corporales. *Pontas.*

CASUS XIX. Atticus domum ſuam cum omni ſuppellectile Leonardo legavit. Reperiebantur autem in quadam arca aulæa Flandrica, quæ teſtator vendere, aut iisdem prædiolum ſuum rurale exornare cogitaverat; quod tamen morte præventus exequi haud potuit. Leonardus adit poſſeſſionem legati exceptis aulæis, quæ hæres ſibi vendicaverat; eo quod ſub nomine ſuppellectilis ea minime venire cenſeret. Tutane id conſcientia?

℟. Certum eſt, teſtatoris intentionem non fuiſſe, aulæa comprehendendi in legato; cum ea non ad inſtructionem domus, ſed arcæ incluſa ad alium finem deſtinaverit. Hinc juxta L. *Si fundus.* 44. ff. Lib. 32. De Legat. III. hæres ea ſibi retinere poteſt. Aliud dicendum foret, ſi aulæa ordinarie ſerviiſſent ad ornatum domus, & tempore obitus teſtatoris fuiſſent extra domum, vel reficienda vel amico commodata; tunc enim vi L. *Si ita.* 86. ibid. eſſent legatarii tanquam pars legati. *Pontas.*

CASUS XX. Sigismundus Bernardo legavit domum ſuam optime inſtructam his verbis: *Domum meam cum mobilibus Bernardo do & lego.* Item: *Eidem Bernardo lego aulæa Flandrica, quæ pendent in aula mea, & acta Apo-*

ſtolo-

ſtolorum exhibent. An alia duo aulæa, quæ in aliis domus cubiculis reperiuntur, comprehendantur ſub nomine mobilium?

℟. Præſumi non poteſt, mentem Sigismundi fuiſſe, etiam illa duo aulæa Bernardo legandi; hinc ea hæredis ſunt. Si teſtator dixiſſet: *lego domum meam cum mobilibus*, & *lego mea aulæa*, altera hæc ſpecifica legandi formula omnino non obeſſet univerſalitati prioris legati, & haberetur ſolum ut ſuperflua. Verum quia teſtator determinavit unam ſpeciem aulæorum, cenſetur a legato excluiſſe reliquas duas ſpecies, & ſolum legaſſe domum cum cæteris mobilibus. *Legata ſupellectili*, ait L. *Legata*. 9. ff. Lib. 33. Tit. 10. *cum ſpecies ex abundanti per imperitiam enumerantur, generali legato non derogatur. Si tamen ſpecies certi numeri demonſtratæ fuerint, modus generi datus in his ſpeciebus intelligitur. Pontas.*

CASUS XXI. Flavius emit hortum vicinum domui ſuæ, eique valde commodum; & paulo poſt moritur, poſtquam Valerio legaverat domum nulla facta mentione horti. Hinc eum legatario cedere renuit hæres. Num tuta conſcientia?

℟. Hæres Flavii non poteſt Valerio denegare hortum; eoquod Flavius eum non ob alterius, ſed ob domus ſuæ ac legatæ utilitatem & commoditatem emerit. Hinc hortus cenſetur acceſſorium, quod ſequitur naturam principalis. *Qui domum poſſidebat*, ait L. *Prædiis*. 91. §. 5. ff. Lib. 32. *hortum vicinum ædibus comparavit, ac poſtea domum legavit: ſi hortum domus cauſa comparavit, ut amœniorem domum ac ſalubriorem poſſideret, aditumque in eum per domum habuit, & ædium hortus additamentum fuit, domus legato continebitur. Pontas.*

CASUS XXII. Romanus aromatarius ampliſſimum exercens commercium Auguſtæ & Herbipoli, teſtamento legavit hæc duo mercimonia Joanni & Jacobo nepotibus ſuis, illi Auguſtanum & huic Herbipolenſe. Uterque adit poſſeſſionem legati; & Joannes ex diario defuncti & literis commercialibus mox advertit, Romanum uno menſe ante obitum 6000. florenos Herbipolim miſiſſe pro coëmendis mercibus ad mercimonium Auguſtanum deſtinatis; pro quibus tamen, cum needum fuiſſent traditæ, ſolutio non fuit præſtita. Joannes convenit deſuper Jacobum, & petit memoratos 6000. florenos detentos Herbipoli; hic autem, cum reperti fuiſſent in ſuo mercimonio, eos ut partem ſui legati conſiderat. An juſte?

℟. Cum Romanus merces Herbipoli comparari juſſerit, ut commercio ſuo Auguſtano addicerentur, vel eæ, vel ſumma 6000. florenorum, cenſendæ ſunt pars mercimonii Auguſtani, quod fuerat Joanni legatum. Hinc Jacobus vel merces, vel 6000. florenos Joanni tradere tenetur. Eadem vix non difficultas propoſita, & eodem modo reſoluta reperitur in L. *ex facto*. 35. init. ff. Lib. 28. Tit. 5. Prima regula in dubiis circa teſtamenta aut legata eſt voluntas teſtatoris, quæ non tantum agnoſcitur ex verbis, quibus uſus eſt, ſed etiam ex aliis indiciis, certis præſumptionibus ac fundatis & rationabilibus conjecturis. *Pontas.*

CASUS XXIII. Hidulphus teſtamento legavit Gabrieli uſumfructum domus ſuæ, omniumque rerum poſt obitum ſuum in ea reperibilium, ſola excepta præſenti pecunia. Reperiebantur autem in domo merces 3000. florenorum ad negotiationem deſtinatæ. Gabriel una cum domo & ſupellectile merces quoque in ea repertas petit, quas hæres recuſat, ut legati partem non conſtituentes. An jure recuſat?

℟. Non debentur hæ merces legatario; quia ſolum detinebantur in domo, ut data opportunitate venderentur. Nec præſumendum eſt, teſtatorem præter uſumfructum domus & mobilium ad eam pertinentium aliud legare voluiſſe. Reſponſio hæc deducitur ex principiis ſupra ſtabilitis & fundatur in L. *Generali*. 32. §. 2. ff. Lib. 33. Tit. 2. *Pontas.*

CASUS XXIV. Marcellinus duas poſſidebat domos contiguas, quarum unam legavit Raymundo, & alteram Mederico. Uterque defuncto Marcellino poſſeſſionem domus ſuæ adit. Cum autem anno inſequente Raymundus domum ſuam altius tollere cogitaret, opponit ſe Medericus, id lumini domus ſuæ officere cauſatus. Præterea cum murus utrique domui communis reparatione indigeret, Medericus dimidiam impenſarum partem ferre renuit. Quid de utroque caſu ſentiendum?

℟. Raymundus non poteſt adeo alte tollere, ut domui contiguæ neceſſarium lumen intercipiatur. L. *Gaurus*. 10. ff. Lib. 8. Tit. 2. Ad hæc præſumendum non eſt, teſtatorem voluiſſe, ut Raymundus domum Mederico legatam reddat inutilem, aut notabiliter incommodam. Poteſt autem, ut habetur L. *Si is*. 4. ff. Lib. 33. Tit. 3. Raymundus Medericum jure compellere ad conferendam medietatem expenſarum pro reparando muro. *Pontas.*

CASUS XXV. Hiparchus legavit Clementi jam a decem annis & amplius tertiam partem annui cenſus ex domo pro

750.

750. florenis elocatæ, ut adeo quotannis Clemens 250, florenos obtineret. Defuncto Hiparcho hæres domum vendit pro 21 00. florenis; & cum cenſus annuus hujus ſummæ conficeret 1050. florenos, Clemens vi legati petit tertiam partem hujus cenſus, ſcilicet 350. florenos. Teneturne hæres ad id in conſcientia?

℟. Hæres ſolummodo tenetur ſolvere 250. florenos annuatim: legatum enim in fundo conſtitutum juxta L. *Liberto*. 21. ff. Lib. 33. Tit. 1. menſurandum eſt ex proventibus fundi annuis, & non ex pretio venditionis. *Pontas.*

CASUS XXVI. Nicander duplex condidit teſtamentum, alterum depoſitum apud Notarium, alterum ſibi ſervatum; utrumque abſque ullo errore ac vitio propria ſua manu ſignatum. In uno horum legavit Renato 100., & in altero 200. florenos. Renatus petit ab hærede 200. florenos. Debenturne illi in conſcientia?

℟. Hæres ſolum tenetur ſolvere 100. florenos: *in obſcuris* enim *minimum eſt ſequendum.* Habetur id clare deciſum in L. *Sempronius*. 47. ff. L. 31. Aliunde jam conditio hæredis naturaliter eſt favorabilior, ita ut hæc varietas declarationis teſtamentariæ valeat per modum enunciationis disjunctivæ, ſcilicet; *hæres Renato dabit centum aut ducentos florenos.* Juxta regulam juris autem *in alternativis debitoris eſt electio*, & *ſufficit alterum adimpleri. Pontas.*

CASUS XXVII. Ferdinandus legavit Rudolpho ad triremes in perpetuum damnato penſionem vitalitiam 75. florenorum. Hæres Ferdinandi legatum irritum eſſe contendit, utpote factum civiliter mortuo; illudque non ſolvit. Num juſte?

℟. Peccat recuſando ſolutionem legati: eſt enim hæc penſio alimentaria; & charitas Chriſtiana non permittit, ut ulli hominum alimenta negentur, multo minus ad triremes aut perpetuum exilium damnato; quod genus hominum ordinarie eſt egentiſſimum & omni ſubſidio deſtitutum, & eo ipſo majori commiſeratione dignum. L. *Is cui*. 11. ff. Lib. 34. Tit. 1. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Falcidius legavit Coſmæ penſionem vitalitiam & alimentariam 100. florenorum, ſolutione præſtanda ad diem primum Aprilis. Duobus poſt annis primo May, percepta jam duorum annorum præcedentium ſolutione, moritur Coſmas. An Sempronius Coſmæ hæres obligare poteſt hæredem Falcidii ad ſolutionem pro tertio anno?

℟. Regula generalis eſt, legatum penſionis alimentariæ legatario aquiri mox ad cujuslibet anni initium. Ita ſtatui-

tur L. *Si competenti.* 1. Cod. Lib. 6. Tit. 53. Si ergo teſtator ſolum in terminis generalibus declaravit voluntatem ſuam, ut ſcilicet hæres quotannis Coſmæ det 100. florenos, Sempronius jure petit legatum pro tertio anno. Verum ſi teſtator manifeſtaſſet aliam intentionem, aut hæredi onus alleviaturus ordinaſſet, ut quolibet trimeſtri pars ſummæ legatæ obveniat legatario, Sempronio juxta L. *Nec ſemel.* 12. §. 4. ff. Lib. 36. Tit. 2. ſolum deberetur pars currenti trimeſtri aſſignata. *Pontas.*

CASUS XXIX. Thiebaldus Roberto legavit penſionem vitalitiam pro alimentis 150. florenos. Contigit autem, ut Roberto omnia neceſſaria ſuppeditarentur a patruo ſuo, & annua penſio conſtitueretur 230. florenorum; ita ut legato Thiebaldi non indigeret amplius. Teneturne hæres Thiebaldi adhuc ipſi ſolvere legatam ſummam?

℞. Indubitato tenetur: licet enim indigentia Roberti principaliter moverit Thiebaldum ad faciendum legatum; hic tamen hæredi impoſuit onus præſtandæ ſolutionis, a quo propria authoritate liberare ſe haud poterit; nec æquum eſt, ut quis beneficio fruatur conceſſo alteri. L. *Pro hæreditariis.* 2 Cod. Lib. 4. Tit. 16. *Pontas.*

CASUS XXX. Papinianus legavit Sulpitio famulo ſuo ad ſex menſes alimentationem & habitationem. Cum autem iis ſex menſibus Sulpitius alimenta & habitationem obtinuerit apud patrem ſuum, petit ab hærede Papiniani æquum horum omnium valorem. Debeturne illi in conſcientia?

℞. Hæres tenetur Sulpitio compenſare juſtum alimentorum ac habitationis pretium; idque deducitur ex L. *Libertis.* 18. §. 1. ff. Lib. 34. Tit. 1. *Pontas.*

CASUS XXXI. Theotimus vir opulentus ſingulis annis pauperi cognato ſuo Barnabæ 150. florenos donare conſueverat. Eidem ante mortem ſuam legat penſionem vitalitiam; quin tamen quantitatem ſummæ determinaſſet. Eritne hæredi Theotimi jam liberum penſionem Barnabæ ſolvendam determinare pro ſuo arbitratu?

℞. Dum verba teſtatoris ambigua ſunt, ejus intentio ex aliis conjecturis deſumenda eſt. Stat autem præſumptio in favorem Barnabæ, & æquitas naturalis exigit, ut non minorem hæres ſummam ſolvat Barnabæ, ac ipſe teſtator quotannis eidem dederat. *Si cui annuum fuerit relictum,* inquit L. *Si cui.* 14. ff. Lib. 33. Tit. 1. *ſine adjectione ſummæ, verior eſt Nervæ ſententia, quod teſtator præſtare ſolitus fuerat, id videri relictum: ſi minus, ex dignitate perſonæ ſtatui oportebit.* *Pontas.*

CA-

CASUS XXXII. Ivo unicum bonorum ſuorum hæredem inſtituit Mævium filium ſuum primogenitum, nulla facta mentione Caſſii filii ſecundo geniti, eo quod ob deordinatam vitæ licentiam indignationem patris incurriſſet; qui tamen oretenus præceperat Mævio, ut notabilem ſummam conferat Caſſio, id quod Mævius executurum ſe ſpoponderat. Biennio poſt moritur Caſſius multis in ſuam intemperantiam ac libidinem contractis debitis. An Mævius, qui hucusque exiguam tantum legati verbalis partem dederat Caſſio, tenetur in omni rigore illud exequi? Et ſi hoc, an tenetur ſolvere debita fratris ſui ex reſiduo legatæ ſummæ?

℟. Mævius exactiſſime tenetur exequi voluntatem patris ſui, & ex reſiduo Caſſii expungere debita, quantum id fieri poterit; niſi pater voluiſſet, ut Caſſio ſumma hæc ſucceſſive & per partes ſolvatur pro ratione indigentiæ: in hoc enim caſu creditoribus juxta S. Beuve tom. 3. caſ. 106. ad reſiduam legati partem jus nullum competeret. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Aurelius legavit Proſpero domum ea conditione, ut, priusquam domus poſſeſſionem caperet, Philemoni per modum legati ſolvat 250. florenos. Philemone autem ante Aurelium mortuo Proſper contendit, ſe ab hærede in domus poſſeſſionem mitti debere, quin cuiquam teneatur ſolvere 250. florenos. An juſte?

℟. Juſte id contendit: conditio namque, ſub qua Aurelius domum legavit, per mortem Philemonis reddita eſt impoſſibilis. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Satyrus jamjam moriturus Barbæ filiæ ſuæ luſtricæ vel ad addiſcendam artem, vel pro dote dedit 100. florenos, eosque apud matrem puellæ Catharinam depoſuit. Satyro poſt biduum mortuo, exacto bimeſtri & puella. An. 100 floreni ad Catharinam Barbæ hæredem pertinent.

℟. Memorati 100. floreni Catharinæ obveniunt ut Barbæ hæredi, & non hæredibus Satyri. Siqua tamen in loco vigeret conſuetudo contraria. Catharina eidem ſe conformare in conſcientia teneretur. *Pontas.*

CASUS XXXV. Nepotianus in teſtamento obligavit hæredem ſuum, ut Lamberto famulo domeſtico tantum conferat pecuniæ, quantum ſufficit & requiritur ad artem quamdam addiſcendam. Eſtne penes hæredem deſignare artem Lamberto addiſcendam, & fors leviſſimis impenſis?

℟. Æquitas naturalis exigit, ut hæres Lambertum ad artem applicet ætati, inclinationi, genio ac ſtatui ipſius congruam, ut habetur in L. *Stichus.* 12. ff. Lib. 32. Si hac ſu-

per re non conveniat hæredem inter & legatarium, lis vel ab arbitro componenda, vel a judice dirimenda erit. *Pontas.*

Nota. Cum legatum hoc referri poſſit inter legata pia, deciſio litis juxta Canones pertineret ad Epiſcopum.

CASUS XXXVI. Meletius legatum fecit ſub hac formula; *Do & lego 200. florenos Suſannæ nepti meæ, usque dum nupſerit.* Suſanna contendit, hoc legatum ſibi ſolvendum eſſe annuatim usque ad nominatum tempus; quod hæres recuſat.

℟. Non minus æquitas naturalis quam leges volunt, ut legatum hoc de penſione annua intelligatur, quam & ſolvere hæres tenetur. L. *Legatum.* 17. ff. Lib. 33. Tit. 1. Ratio eſt; quia rationabiliter præſumi poteſt, quod teſtator voluerit nepti ſuæ providere de neceſſaria ſuſtentatione, usque dum matrimonium initura eſſet, aut hoc ipſo ſubſidio augere dotem ipſius, ut favorabilius reperiret conjugium. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Agnes legavit penſionem annuam 100. florenorum Mariæ hac conditione, ut cum filia ſua Martha moraretur & viveret, quod & executa eſt. Tribus vero poſt menſibus mortua eſt Martha; & Maria contendit penſionem hanc per obitum Marthæ non exſpiraſſe.

℟. Maria jure penſionem hanc ad dies vitæ exigit: ordinarie enim hanc teſtatoris intentionem eſſe circa ejusmodi legata præſumitur; idque deſumitur ex L. *Annua.* 20. ff. Lib. 33. Tit. 1. Æquitatis eſt, ut legatum conditionatum tranſeat in abſolutum, integrumque ſortiatur effectum, quamprimum perſona, cui legatum eſt, impleverit conditionem; eam autem Maria per commorationem ſuam cum Martha implevit. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Ariſtippus duo poſſidens jugera vineæ, quæ ordinarie *Planta* dicebatur, plantavit haud ita pridem alia ſex jugera, quæ eodem nomine compellabat. Legavit hic Julio vineam ſuam *Planta* dictam, non diſtinguendo veterem inter & novam. Julius contendit ſibi deberi novam utpote meliorem; quod hæres recuſat. An merito?

℟. Jure hæres ſibi vendicat jus optionis, & Julio tradendi vineam veterem. L. *Legato.* 37. §. 1. ff. Lib. 30. Si tamen ex circumſtantiis rationabiliter colligi poſſet, teſtatoris mentem fuiſſe, ut optio relinquatur legatario, tunc penes hunc foret electio. Obſervandum hic, cum leges ordinarie optionem adjudicent hæredi, æquitatis rationem non eſſe prætermittendam: ſic v. g. ſi teſtator legat equum, juxta legem cit. nec hæres tenetur dare optimum, nec legatarius acceptare deterrimum. *Pontas.*

CA-

CASUS XXXIX. Nicolaus fecit legatum his verbis: *lego Maglorio executori teſtamenti mei horologium meum aureum & adamantem meum.* Paulo poſt horologium portatile commutat cum pendulo, & adamantem amittit furto, ac moritur; quin in teſtamento quidquam immutaverit. Teneturne hæres ejusdem ſolvere legatum?

℟. Non tenetur: ſi enim teſtator deſignat in individuo res legatas, & eæ non exſtent amplius tempore obitus ſui, juxta L. *Omnia.* 32. §. 5. ff. Lib. 31. legatum caducum eſt. Si vero Nicolaus non determinaſſet horologium, & adamantem in individuo, ſed indefinite dixiſſet: *lego horologium aureum & adamantem Maglorio*, & res ejusmodi adhuc reperiantur inter bona hæreditaria, hæres teneretur præſtare legatum. *Pontas.*

CASUS XL. Fabricius mutuos dedit 125. florenos Philiberto, recepto obligationis chirographo. Dein condito teſtamento legat illi hanc ſummam, jubens, ut reddatur mutuatario chirographum. Verum, cum paulo poſt indigeret pecunia, repetit mutuum, & reſtituto chirographo brevi moritur; quin tamen interea mutaverit teſtamentum. Num hæres Fabricii tenetur Philiberto conſignare legatum?

℟. Ex eo, quod Fabricius repetierit mutuum 125. florenorum, ſatis apparet, quod legatum Philiberto factum revocaverit. Hinc juxta L. *Non ſolum.* §. 4. ff. Lib. 34. Tit. 3. hæres ad nihil tenetur. Idem dicendum 1. dum teſtator vendit aut alienat rem legatam: ſi enim ſemet ipſum privat dominio rei, multo magis privaſſe cenſendus eſt legatarium jure primum aquirendo poſt mortem ſuam. 2. Quando teſtator rem legatam donat alteri: id enim certo argumento eſt, quod mutaverit voluntatem ſuam, & donatarium prætulerit legatario. *Pontas.*

CASUS XLI. Gabriel, cum Rollando legaſſet domum quamdam cum quatuor jugeris terræ arabilis contiguis viridario domus, quam incolebat, poſt annum quatuor hæc jugera adjecit viridario ſuo, ut illud augeret, eaque muro cinxit. Mortuo Gabriele Rollandus capit poſſeſſionem domus legatæ, petitque quatuor jugera ſibi legata; quæ tamen hæres tradere renuit. An jure?

℟. Jure renuit: nam teſtator, licet fundum non alienet, poteſt tamen quidpiam legato detrahere; & eo ipſo, quod detrahat, detractumque jungat alteri fundo, ſatis oſtendit juxta L. *Quod in rerum.* 24 §. 3. ff. Lib. 30. quod mutaverit voluntatem ſuam. *Pontas.*

CA-

CASUS XLII. Apronius cum Titio legaſſet unam ex domibus ſuis campeſtribus cum decem jugeris vineæ circumſeptæ, domum hanc dirui jubet animo ædificandi novam, eamque magnificentiorem ac commodiorem, & coepto vix ædificio moritur. An Titius non habet jus exigendi ab hærede Apronii æſtimationem domus?

℞. Juxta L. *Si ex toto.* 8. ff. Lib. 30. hæres Titio plus non debet, quam materialia domus ibi & in fundo decem jugerum reperibilia: cum enim meliorationes a teſtatore in domo legata factæ ceſſiſſent in commodum legatarii, æquum eſt, ut & ferat deteriorationem rei legatæ. *Pontas.*

CASUS XLIII. Bernardus Joſepho cognato ſuo gratificaturus, quinque prati jugera eidem legavit. Poſt ſex menſes per expreſſum codicillum eadem jugera legat Ambroſio nepoti ſuo, nullam prioris legati mentionem faciendo. Moritur paulo poſt Ambroſius, & quidem ante teſtatorem. Num roboris quidpiam ineſt legato priori in favorem Joſephi facto?

℞. Mortuo ante teſtatorem Ambroſio juxta L. *Et ideo.* 8. ff. Lib. 34. Tit. 4. legatum hoc aquiritur hæredi; nec ad illud jus ullum Joſepho competit. Quando teſtator condit ſecundum teſtamentum aut codicillum, & rem legatam transfert in ſecundum legatarium, legatum prius reſpectu primi legatarii in perpetuum revocatum cenſetur & extinctum. *Pontas.*

CASUS XLIV. Ægidius Sartor legavit Godefrido amico ſuo quatuor volumina panni, quæ ſua in officina ſervabat; quem tamen pannum ante mortem ſuam convertit in veſtes venales. Godefridus petit poſt mortem teſtatoris legatum, & hæres reponit, id eſſe extinctum; eo quod res legata mutaverit naturam ſuam.

℞. Bene ſic reponit hæres, & nihil omnino debet Godefrido. *Lana legata*, ait L. *Lana.* 88. ff. Lib. 32. *veſtem, quæ ex ea facta ſit, deberi non placet. Pontas.*

CASUS XLV. Fabius legavit domum ſuam Sempronio, quæ tamen uno die ante mortem teſtatoris incendio conſumpta eſt. Sempronius prætendit, ſibi deberi aream, hortum contiguum, & ſolum, in quo domus conſtructa fuit, ut acceſſorium legati.

℞. Juxta regulam juris *acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*; ex quo Domatus celebris in Gallia juriſperitus infert, acceſſorium non deberi, niſi cum debetur principale; domo conſequenter non amplius exiſtente, nec aream nec hortum deberi. Sunt tamen Doctores inſignes, qui exiſtimant,

mant, fundum, cui inædificata eſt domus, conſiderandum eſſe per modum principalis, & ædificium per modum acceſſorii; adduntque, cum mens teſtatoris præſumptiva fuerit, ut ſolum, area & adjacens hortus legatarii eſſent, juſtum eſſe, ut in ipſius quoque hæc commodum cedant; id quod & æquitas poſtulare videtur. *Pontas.*

CASUS XLVI. Attalus legavit Symphoriano duo vini dolia, quæ ſola in die obitus habebat in cella ſua vinaria. Cum autem hæres nullam prorſus curam gereret pro conſervatione doliorum, iisdem ruptis vinum periit ante legatarii tunc abſentis adventum. Quis eorum ferre debet jacturam?

℟. Hæres, qui juxta L. *Cum res.* 47. §. 4. & 5. ff. Lib. 30. tenetur curam habere rei legatæ, quamdiu eſt in poſſeſſione ejus. Aliud dicendum foret, ſi vinum ante mortem teſtatoris aut absque culpa hæredis periiſſet, ut habetur L. *Si quis.* 8. ff. Lib. 31. *Pontas.*

CASUS XLVII. Samuel duo vini dolia legavit Michaeli; antequam vero legatario tradita fuiſſent, vinum cœpit aceſcere. Cuinam incumbit damnum, hæredi an legatario?

℟. Si legatarius ab hærede petiit legatum, is vero tradere aut noluit aut neglexit, & interea vinum corruptum eſt, hæredi ſoli damnum ferendum eſt; quia juxta regulam juris mora ſua cuilibet eſt nociva. Quod ſi autem legatarius legatum petere noluiſſet aut neglexiſſet, in ipſum recideret damnum. *Pontas.*

CASUS XLVIII. Genebaldus legavit Ludovico unum ex duobus ſuis equis, relinquendo tamen hæredi optionem dandi, quem vellet. Verum cum unus equus horæ quadrante poſt obitum teſtatoris periiſſet, legatarius petit ſuperſtitem, quem tradere hæres recuſat. Idne jure?

℟. Si equus periit ante factam ab hærede optionem, debetur equus ſuperſtes legatario: conſtat enim, intentionem teſtatoris fuiſſe, ut Ludovicus haberet unum ex equis. Si autem facta jam optione periit ille equus, quem hæres deſignaverat Ludovico, & quidem ſine culpa hæredis, periit legatario. Ita ſtatuitur L. *Hujusmodi.* 84. §. 9. ff. Lib. 30. *Pontas.*

CASUS XLIX. Protogenes habet duos cognatos germanos, quorum utrique nomen Titius. Cum autem in ſuo teſtamento feciſſet legatum his verbis: *Do ac lego Titio meo cognato germano domum, quam incolo*, orta eſt lis, ad quem ex duobus Titiis pertineret domus. Hæres proin, cum certus legatarius aſſignari haud poſſet, retinet domum pro ſe. Quid juris?

℟. Ejus-

℟. Ejusmodi legatum omni deſtituitur effectu; quia dignoſci non poteſt, quem ex duobus Titiis legatarium teſtator deſignare voluerit. *Si duobus Titiis*, inquit L. *Si quis*. 3. §. 7. ff. Lib. 34. Tit. 4. *ſeparatim legaverit, & uni ademerit, nec appareat, cui ademptum ſit, utrique legatum debetur: quemadmodum & in dando, ſi non appareat, cui datum ſit, dicemus neutri legatum.* Ex quo infertur, quod ſi unus duorum horum Titiorum ſcriptus fuiſſet hæres, quin ex ullo indicio deprehendi poſſit, quem determinate deſignare voluerit teſtator, etſi amicabiliter convenirent inter ſe, non poſſint partiri hæreditatem in præjudicium hæredis ab inteſtato; quia unus eorum adepturus eſſet dimidiam partem hæreditatis contra intentionem teſtatoris. *Pontas.*

CASUS L. Nepotiano mortuo repertum eſt teſtamentum, in quo Caſparo legat gregem 200. ovium. Hunc cum hæres tradidiſſet Caſparo, elapſo ſemeſtri detegitur aliud teſtamentum recentius, quo una cum priori teſtamento legatum quoque Caſparo factum revocatur. Cum hæres defuncti peteret reſtitutionem gregis, Caſparus reſpondet, ſerpente lue oves omnes periiſſe, quod & verum erat. An legatarius teneatur reſtituere valorem gregis?

℟. Si hæres non petiit reſtitutionem ovium ante earum interitum; aut ſi quidem petiit, legatarius tamen non fuit in mora reſtitutionis, nec in culpa, non tenetur reſtituere æſtimationem gregis. Ratio eſt; quia juxta D. Thomam 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. bonæ fidei poſſeſſor ſe habet inſtar veri Domini, & ſi res ſic poſſeſſa perit, non tenetur ad ullam reſtitutionem. *Pontas.*

CASUS LI. Valentinianus gregem ovium legavit Chryſologo, quem cum hæres mox tradidiſſet, Chryſologus æris indigus eum ocyus vendidit pro pretio viliſſimo. Tranſacto octiduo profertur codicillus, quo teſtator legatum hoc revocaverat, & hæres a Chryſologo repetit oves aut æquum earum pretium. Teneturne ad id Chryſologus?

℟. Vi legis *Si non ſortem*. 26. §. 12. ff. Lib. 12. Tit. 6. Chryſologus non niſi ad pretium ex venditione ovium redactum reddendum tenetur. Aliud ſane dicendum foret, ſi Chryſologus habuiſſet notitiam de revocatione legati, & eapropter tam feſtinanter vendidiſſet: tunc enim teneretur reſtituere juſtam æſtimationem gregis. *Pontas.*

CASUS. LII. Hyacinthus quinque habebat equos, duos rhedarios, duos ſellarios, & unum ad utrumque uſum. Rhedarios legavit Joanni, & Franciſco ſellarios, non deſignando,

do, ad quem pertineret quintus utrique uſui idoneus. Hinc uterque legatarius eum petit. Cujusnam eſt?

℞. Equus iſte ad utrumque legatarium conjunctim pertinet. Ratio eſt; quia juxta L. *Titiæ.* 36. ff. Lib. 30. & L. *Servis.* 99. ff. Lib. 32., dum teſtator uni legat rem hujus ſpeciei, & alteri rem alterius ſpeciei, ut ſunt equi rhedarii & ſellarii, ac forte res tertia participet de utraque ſpecie, ita ut determinari non poſſit, ad quem ſpeciem proprie pertineat, ea inter duos legatarios dividenda eſt. *Pontas.*

CASUS LIII. Evander Balduino & Maximo domum legavit. Balduinus reſpuit legatum, vel illius captandi eſt incapax. Cuinam accreſcit pars dimidia legatæ domus? Hæredi, an alteri legatario?

℞. Amplum eſt diſcrimen cohæredes inter & collegatarios. Portio, quam hæredum aliquis acceptare vel non vult, vel non poteſt, accreſcit reliquis cohæredibus. Legata autem cum reſtringantur ad res legatas, & dividi poſſint ſaltem per viam æſtimationis, neceſſe non eſt, ut ſemper inter legatarios detur jus accretionis. Nihilominus cum jus hoc conſtitutum reperitur ipſis verbis teſtatoris, res ſe habet cum collegatariis, ut cum hæredibus. Hinc cum in caſu præſente jus hoc Balduinum inter & Maximum conſtitutum ſit ipſa enunciatione teſtatoris, qui ipſis domum conjunctim legavit, non deſignando, quæ cuique domus pars deberetur, Balduino non acceptante legatum domus integra ſoli aquiritur Maximo. Id deducitur ex L. *Conjunctim.* 80. ff. Lib. 32. *Pontas.*

CASUS LIV. Archambaldus Marino & Benedicto legavit ſex jugera vineæ, & quidem cuique tria determinata. Cum autem Marinus ad recipiendum legatum inhabilem ſeſe reddiderit, quæritur, cuinam tria jugera Mari no legata accreſcant, hæredi an Benedicto?

℞. Indubitato accreſcunt hæredi. Ratio eſt; quia cuilibet legatario ſua a teſtatore portio fuit deſignata, quo in caſu juxta L. *Quotiens* 1. ff. Lib. 7. Tit. 2. deficiente uno legatario bona huic legata aquiruntur hæredi. *Pontas.*

CASUS LV. Abel ad confinia mortis deductus fecit legatum his verbis: *lego Gualtero & Gabrieli nepotibus meis ſummam* 1500. *florenorum ſemel ſolvendam.* Gualtero paucis ante teſtatorem diebus mortuo, Gabriel petit integrum legatum, hærede ſolum dimidium offerente. Quid juris?

℞. Juxta L. *Triplici.* 142. ff. Lib. 50. Tit. 16. & L. *Re conjuncti.* 89. ff. Lib. 32. teſtator poteſt jungere legatarios *re* ac ſimpliciter, ut quando legat rem Joanni, & poſtea per

alium

alium ſpecialem articulum teſtamenti Jacobo; vel *re & verbis*, dum conjungit duos legatarios non ſolum reſpectu rei legatæ, ſed etiam expreſſis verbis, ut in præſente caſu fit, ubi Abel Gualterum & Gabrielem in eodem articulo conjunctim declarat legatarios ſummæ 1500. florenorum; aut denique quando legatarios jungit *verbis*, *non re*, ut dum eos quidem junctim nominat, cuilibet tamen determinatam aſſignat portionem, v. g. ſi diceret: *lego Joanni & Jacobo* 1500. *florenos in partes æquales dividendos.* In primo & ſecundo caſu jus accretionis tranſit ab uno legatario ad alterum; non autem in tertio. Ex his facile eruitur reſponſio ad caſum præſentem; quod ſcilicet mortuo Gualtero totum legatum devolvatur ad ſolum collegatarium Gabrielem. *Pontas.*

CASUS LVI. Octavius legavit omnia operâ S. Auguſtini Titio plusquam centum leucis remoto. Teneturne hæres Octavii ſuis impenſis ea mittere Titio?

℞. Si teſtator non expreſſe id oneris impoſuit Titio, non tenetur; ſed ſufficit juxta L. *Cum res.* 47. ff. Lib. 30., ſi hæres legatario legatum tradit in loco, in quo teſtator obiit. *Pontas.*

CASUS LVII. Nicomedes ex triginta diverſorum librorum theologicorum voluminibus, quæ habebat, decem legat Bonaventuræ, data optione eligendi, quæ placuerint; reliqua viginti vult relinqui Bertino. Bonaventura vero legatum recuſante, hæres Nicomedis & Bertinus diſceptant, cuinam hæc decem volumina accreſcant.

℞. Hoc legatum accreſcit Bertino juxta L. *Cum optio.* 17. ff. Lib. 33. Tit. 5. Ratio eſt; quia conſtat, teſtatorem voluiſſe, ut hæres excludatur a legato librorum, & uno legatario recuſante ſuam portionem, ea aquiratur alteri legatario. *Pontas.*

CASUS LVIII. Bonaventura, cui Nicomedes ex triginta voluminibus legavit decem cum poteſtate eligendi, quæ voluerit, moritur, antequam jure ſuo uſus fuerit. Hinc uterque hæres & Bonaventuræ & Nicomedis jus ſuccedendi in hoc legatum ſibi aſſerit.

℞. Hæres Nicomedis nullum prorſus habet jus ſuccedendi: licet enim Bonaventura deceſſerit, antequam uſus eſt jure ſuo ſeligendi ex triginta libris decem, jus tamen hoc indubitato ipſi aquiſitum fuit independenter ab optione, & primo inſtanti, quo teſtator obiit; ac conſequenter juxta L. *Si poſt diem.* 5. ff. Lib. 36. Tit. 2. illud transmittit ad hæredem ſuum. *Pontas,*

CA-

CASUS LIX. Joſephus cum jam eſſet annis gravis, & periculoſe decumberet, Jacobo nepoti ſuo, quem in matrimonium elocaverat, legavit 1500. florenos, ſi prolem ex conjuge ſua ſuſceperit. Joſepho quatuor poſt diebus mortuo, moritur elapſo anno & Jacobus ſine prole, relicta tamen uxore a tribus jam menſibus gravida, quæ poſt ſex a morte mariti menſes filium peperit. Uxor itaque petit legatum pro filio ſuo. An hæres recuſare poteſt?

℞. *Semper veſtigia voluntatis ſequimur teſtatorum*, inquit Lex. Evidens eſt, Joſephi intentionem fuiſſe, nepoti ſuo relinquendi ſummam 1500. florenorum, ſi prolem ex conjuge ſua ſuſciperet, ſive dein vivente ſive mortuo patre in lucem edita fuerit. Hinc hæres juxta L. *Is*, *cui*. 18. ff Lib. 36. Tit. 2. viduæ legatum recuſare non poteſt. *Pontas*.

CASUS LX. Euſtochius viduus jam ſexagenarius, cum absque liberis eſſet, Ildephonſum nominat legatarium ſuum univerſalem ea conditione, ut legata quædam a ſe facta perſolvat aliis tribus perſonis. Poſt annum Euſtochius ex novo conjugio cum Silvina inito prolem ſuſcipit, ac repente moritur, nec revocato nec immutato teſtamento ſuo. Num legatariis univerſali & tribus particularibus quidpiam juris in hæreditatem Euſtochii?

℞. Si proles decedente Euſtochio in vivis adhuc extiterit, nullum omnino in hæreditatem jus legatariis competit; cum juſtam filium exhæredandi cauſam non habuerit, & præſumendum ſit, ideo ſolum non revocatum fuiſſe teſtamentum, quia morte præventus revocare non potuit. *Teſtamentum rumpitur*, ait L. Teſtamentum 1. ff. Lib. 28. Tit. 3. *ex quo hæres exiſtere poterit adgnatione ſui hæredis*. *Pontas*.

CASUS LXI. Fulgoſus legavit Læliæ nepti ſuæ 2000. florenos, ipſi in die nuptiarum per modum dotis numerandos a Cajo hærede. Aſt Lælia mutato nuptiarum propoſito ingreditur Religionem, & emiſſa profeſſione petit ab hærede Fulgoſi legatum. An id hæres ſine injuſtitia recuſare poteſt?

℞. Non poteſt: legatum enim puellæ factum ſub conditione, *ſi nupſerit*, conſiderandum eſt ut abſolutum, & adjecta conditio pro non adjecta, ſi puella ingrediatur Religionem; qui ſtatus utique perfectior eſt ſtatu matrimoniali. Ratio ab Imperatore Juſtiniano Novell. 123. Collat. 9. Tit. 6. c. 37. allegata eſt; quia, dum teſtator legatum fecit in favorem matrimonii contrahendi, præſumendum eſt, quod longe libentius id facturus fuiſſet in favorem Religionis, ſi præ-

videre licuiſſet, Læliam matrimonio antepoſituram ſtatum Religionis. *Pontas.*

CASUS LXII. Euſtatius legavit Damiano rem, cujus hic dominium jam prius aquiſierat, antequam ſibi fuerat legata. Juſtene legatarius rei valorem ab hærede Euſtatii exigit?

℟. Hæres non tenetur præſtare valorem rei legatæ, ſi legatarius ejusdem dominium aquiſivit titulo lucrativo; bene tamen, ſi titulo oneroſo. Inſtit. Lib. 2. Tit. 20. §. 6. En exemplum: Euſtatius legavit Damiano horologium pendulum venale, quod hæres emere debuiſſet, & tradere Damiano ut legatum; Damianus autem legati inſcius jam prius pro eo ſolvit 40. florenos. In hoc caſu hæres Euſtatii teneretur Damiano compenſare expenſos 40. florenos; quia aquiſivit horologium titulo oneroſo. Verum ſi illud aquiſivit titulo gratuito v. g. per donationem, legatum cedit in commodum hæredis, & legatarius non poteſt petere ejusdem æſtimationem. *Pontas.*

CASUS LXIII. Joannes, Paulus & Petrus hæredes Jacobi ſtatim poſt obitum ejus bonorum tam mobilium quam immobilium poſſeſſionem adierunt. Sed ſuperveniunt quatuor legatarii, quibus tot bona a Jacobo legata ſunt, ut illis exſolvendis tota hæreditas non ſufficiat. Tenenturne hæredes in conſcientia defectum ſupplere ex bonis propriis? An non obligationi ſuæ ſatisfaciunt, ſi totam hæreditatem cedant legatariis?

℟. Si hæredes non præcaverint, ut inventarium in forma debita conficeretur, ex bonis propriis in foro interno etiam legata ſolvere tenentur; ſaltem poſtquam judicialiter ad id condemnati ſunt. Ita habetur in L. *Scimus.* fin. Cod. Lib. 6. Tit. 30. quæ etiam hæredes obligat ad ſolvenda omnia debita teſtatoris, & quidem antequam vel pro ſe vel pro legatariis de hæreditate quidpiam detrahant. *Pontas.*

CASUS LXIV. Demetrius 1000. florenos legavit Publio & totidem Mævio. Hæres autem integra legata ſolvere renuit, dimidiamque tantum partem offert; eo quod bona hæreditaria æri alieno ſolvendo vix ſufficiant. Teneturne ſolvere totum, quin poſſit compoſitionem inire cum legatariis?

℟. Si hæres hæreditatem adiit ſub beneficio inventarii, jure poteſt componere cum legatariis; qui ſi nolint, implorandus erit judex, ut authoritate ſua legata minuat: hoc enim privilegium hæredibus conceditur partim a lege partim a conſuetudine, Nov. 1. c. 2. §. 1. *Pontas.*

CA-

CASUS LXV. Lieboldus legavit Hieronymo quatuor cados vini in proximis vindemiis capiendos. Contigit autem, ut grandine vineas devaſtante non niſi duo cadi colligerentur. Teneturne hæres deficientes duos cados ſupplere?

℞. Non tenetur; & ſic ſtatuit L. *Si quis.* 8. §. 2. ff. Lib. 31. Legatum ergo ad duos ſolum cados reduci debet; quia habet tacitam conditionem: ſi vinea quatuor cados ſit productura. Aliud tamen dicendum foret, ſi teſtator abſolute legaſſet quatuor cados, non exprimendo, quod ex proxima vindemia deſumendi ſint: tunc enim juxta L. *Si cui.* 3. ff. Lib. 33. Tit. 6. hæres teneretur duos cados emere, ut quatuor legatario tradere poſſet. *Pontas.*

CASUS LXVI. Amablus legavit Conrado uſumfructum duorum jugerum præſtantiſſimæ vineæ ea conditione, ut annuatim cadum vini inde colligendi daret Cornelio. Conrado autem repudiante legatum hæres contendit, ſe non teneri ad tradendum vini cadum. Juſtene?

℞. Hæres tenetur præſtare legatum: licet enim legatum per repudiationem fiat caducum, perſeverat tamen adhuc conditio, quæ jam ab hærede implenda eſt, qui ſuccedere non poteſt in bona & jura defuncti, niſi ſimul ſuccedat in debita contracta & onera bonis ſeu per teſtamentum ſeu alio modo impoſita, ut habetur L. *Si ab eo* 9. ff. Lib. 83. Tit. 2. Quod ſi duo vineæ jugera quodam anno nihil producerent, vini cadus juxta L. *Ex eo.* 13. ff. Lib. 33. Tit. 6. tamen deberetur Cornelio; ſi anni prioris fœcunditas compenſaret ſterilitatem hujus anni. *Pontas.*

CASUS LXVII. Riquierus domum legavit Lamberto cum onere, ut 250. florenos ſolvat Romano. Verum cum iſtud legatum per mortem Lamberti ante obitum teſtatoris fieret caducum, Romanus petit legatum 250. florenorum ab hærede Riquieri. An ad iſtud perſolvendum hæres obligatur in conſcientia?

℞. Licet legatum cedere debeat in commodum hæredis, eo quod domus legata per mortem legatarii redierit ad Requierum; onus tamen per mortem legatarii ſublatum non eſt. Hinc hæres tenetur Romano ſolvere 250. florenos. Ita habetur L. *Et nomen.* unic. §. 4. Cod. Lib. 6. Tit. 51. Ratio eſt; quia hoc onus non niſi legatum ſecundarium eſt, quod ſubſiſtit independenter a legato primario. Æquitati inſuper conſentaneum videtur, ut, ſi teſtator legatum fecit cuidam jam mortuo, quem tamen adhuc vivere exiſtimabat, impoſito ſimul onere certam ſummam ſolvendi perſonæ tertiæ, hæres aut alius, in cujus commodum res legata ceſſerit,

teneatur ſatisfacere huic oneri, quod ex mente teſtatoris eſt legatum quaſi ſecundum ac diſtinctum, cujus valor eſt independens a legato principali. Nihilominus leges Romanæ hac in re non omnino concordant. *Pontas.*

CASUS LXVIII. Ariſtander legavit Cæſari 5000. florenos ea conditione, ut ad uſum cujuſdam ex conſanguineis ſuis pretio 400. circiter florenorum in pago quodam emat domum. Cum autem Cæſar domum emere non poſſet, eo quod venalem non reperiret, hæres Ariſtandri recuſat Cæſari ſolutionem legati. Num juſte?

℞. Præſupponendum non eſt, teſtatoris legatum facientis intentionem fuiſſe legatarium obligandi ad aliquid impoſſibile. Itaque hæres Ariſtandri tenetur Cæſari ſolvere legatum 5000. florenorum, ſed ea conditione, ut conſanguineo teſtatoris tradat 400. florenos, pretium deſignatum pro domo emenda. Ita ſtatuitur L. *Non dubium.* 14. §. 2. ff. Lib. 32. *Pontas.*

CASUS LXIX. Epiphanes condidit teſtamentum holographum, in quo unicum tantum legatum continebatur, his conceptum verbis: *Germano* 500. *florenos*, quin addiderit verba, *do* aut *lego.* An irritum eſt hoc legatum?

℞. Hæres Epiphanis tenetur Germano ſolvere legatum; quia de intentione teſtatoris ſatis conſtat, cum ea verba: *Germano* 500. *florenos*, alium rationabilem ſenſum habere non poſſint, niſi ſubintelligatur *lego* vel *dono*, quæ haud dubie ex oblivione aut imperitia ſcribentis omiſſa ſunt. Ita ſtatuitur L. *Unum.* 67. §. 9. ff. Lib. 31. & L. *Verbum.* 10. Cod. Lib. 6. Tit. 42. Teſtamentum non nihil obſcure, & ad ultimos legum apices minus accurate ſcriptum ex præcedentibus & ſubſequentibus elucidari, & ex iis voluntas teſtatoris dignoſci poteſt; & ex hac ratione Lex *Errore.* 7. Cod. Lib. 6. Tit 23. ſtatuit, ut, ſi teſtator in teſtamento ſolum dicat: *inſtituo* v. g. *Petrum,* omittendo verbum *hæredem*, teſtamentum tamen ſit validum. *Pontas.*

CASUS LXX. Julius Hildeberto legatum fecit 2000. florenorum; & hæres Julii legatum eſſe legitimum ratus, & defuncti memoriæ honorem conciliaturus, ſcripta conventione ad ſolutionem hujus legati ſe obſtrinxit. Verum octiduo poſt comperit, teſtamentariam Julii diſpoſitionem in gratiam Hildeberti factam repugnare legibus, ac dimidio plus fuiſſe legatum, ac per legem licuiſſet. Hinc hæres reſcindere vult conventionem ex errore initam. Num a ſolutione 2000. florenorum eximi poterit?

℞. Er-

℞. Error hæredis eſt error juris ; & ſi hic error fuit cauſa initæ conventionis , ea eſt nulla cum cauſa fuerit falſa : ait enim L. *Error*. 8. ff. Lib. 22. Tit. 6. *Omnibus juris error in damnis amittendæ rei ſuæ non nocet*. Sed cum in caſu præſente error non fuerit ſola cauſa conventionis , & adjunctum fuerit aliud motivum , aucupandi ſcilicet & ſibi & teſtatori honoris , quod Hildebertus advertere potuit , dicendum eſt conformiter ad L. *Error*. 9. Cod. Lib. 6. Tit. 50. quod hæres Julii Hildeberto tenatur ſolvere 2000. florenos *Pontas*.

CASUS LXXI. Eleonora nobilis vidua Beatrici nepti ſuæ legavit collare ex margaritis confectum , quod pro 100. florenis oppignoraverat Mævio. Hæres Eleonoræ contendit , collare redimendum eſſe a Beatrice. Num jure ?

℞. Hoc pignus redimendum eſt ab hærede , & ſic ab omni onere liberum Beatrici tradendum ; niſi teſtatrix aliud expreſſe requiſiviſſet. *Prædia obligata* , inquit L. Prædia. 6. Cod. Lib. 6. Tit. 42. *per legatum vel fideicommiſſum relicta hæres luere debet... Si vero a creditore diſtracta ſunt , pretium hæres exſolvere cogitur , niſi contraria defuncti voluntas ab hærede oſtendatur*. *Pontas*.

CASUS LXXII. Eleazarus liti cum Georgio implicitus duo legata fecit in favorem Gaſtonis. Primum conceptum erat his verbis : *do & lego Gaſtoni horologium meum aureum propter arctam amicitiam , quæ mihi cum eo eſt*. Secundum erat legatum 250. florenorum ea conditione factum , ut litem , quæ ipſum inter & Georgium agitaretur , dijudicandam curet. Gaſto declaravit , ſe acceptare primum legatum ; alterum vero repudiat propter labores & incommoda , quibus ex litis proſecutione involvendum ſe cerneret. An hæres tenetur illi tradere primum legatum , niſi acceptare velit etiam ſecundum cum annexo onere ?

℞. Non tenetur : licet enim legatarius ex pluribus legatis ſibi factis poſſit acceptare , quæ placent , & reſpuere , quæ non placent , dum ea ſub eadem ratione , mere gratuito ac ſine ullo onere facta ſunt ; aliud tamen dicendum eſt , quando uni legato onus eſt annexum : tunc enim acceptanto legatum pure ac ſimpliciter factum tenetur etiam ad onus alterius , ut clare exprimitur L. *Sed duobus*. 5. ff. Lib. 31. Ad hæc æquitati vel maxime conforme eſt , ut quis accepto beneficio indignum ſe non reddat per defectum gratitudinis erga benefactorem ſuum , qui , ut rationabiliter præſumi poteſt , primum legatum facturus non fuiſſet , ſi prævidiſſet , conditionem alterius non fore adimplendam. *Pontas*.

CASUS LXXIII. Duo jam anni abiere, ex quo Uladislaus & Honorina matrimonio ſe junxerant, cum Honorinæ ex hæreditate obtigerunt bona notabilia, conſtantia potiſſimum ex mobilibus, ut vaſis aureis ac argenteis, & chirographis obligationum &c. Uladislaus ut adminiſtrator bonorum communium de bonis hiſce liberrime diſpoſuit contra voluntatem uxoris ſuæ, etiam per teſtamentum ea legando propriis ſuis conſanguineis ac amicis. Suntne hujusmodi legata juſta ac valida?

℟. Sunt injuſta ac invalida; quia, ut Sylvius docet, Uladislaus non potuit pro ſuo arbitrio diſponere de bonis hiſce, quæ *conſtante matrimonio* uxori ſuæ obtigerant. Ratio eſt; quia maritus non eſt dominus, ſed ſolum adminiſtrator bonorum jure ſucceſſionis ad uxorem devolutorum. Hinc & Honorius III. condemnat conſuetudinem ut abuſivam & injuſtam, vi cujus in non nullis provinciis maritus pro ſuo libitu diſponit de bonis tam mobilibus quam immobilibus ſuæ uxoris, etiam ſine ejusdem conſenſu. *Pontas.*

CASUS LXXIV. Ariſtarchus domum ſuam legavit Paſchaſio ea conditione, ut hoſpitali 100. florenos ſolvat. Paſchaſius ex mera liberalitate æqualem ſummam jam prius donaverat eidem hoſpitali, inſcius legati ſibi ab Ariſtarcho facti; quod & hæredi indicans petit legatum. Aſt hæres omnino vult, ut ſolvat alios 100. florenos dicto hoſpitali. Teneturne?

℟. Paſchaſius de novo tenetur dare 100. florenos hoſpitali: prior enim donatio pro ultronea eleemoſyna habenda, & proprio motui adſcribenda eſt; nec dici poteſt, quod in hoc adimpleverit voluntatem teſtatoris, quam tunc temporis necdum noverat. Teſtator volebat, ut hoſpitali ex ſuis beneficium exhiberetur, non ex alienis. Ita ſtatuitur *L. Conditionum.* 2. ff. Lib. 35. Tit. 1. ubi dicitur: *Ut paruiſſe quis conditioni videatur, etiam ſcire debet hanc conditionem inſertam: nam ſi fato fecerit, non videtur obtemperaſſe voluntati. Pontas.*

Vide *Donatio. Hæres. Teſtamentum.*

LEGITIMUS.

Vide *Adulterium* Caſ. 24. *Illegitimus.*

LEX.

1. Omnes mundi Status gubernantur legibus, quarum aliæ ad ſtabiliendam unionem inter ſubditos tendunt, & aliæ

ad

ad tutandam vitam, conſervationem hominum & firmitatem Status ordinantur. Leges vel immediate feruntur a ſupremo Principe, vel a Magiſtratibus ac judicibus authoritate Principis ſuffultis, ut adeo omnem reverentiam mereantur non ſolum ex relatione ad ſupremam poteſtatem legislativam, ſed etiam ex objecto & fine, quem præſeferunt; & hinc, quamdiu ſuo in vigore perſiſtunt, debitam a ſubditis obedientiam exigunt.

2. *Lex* in genere juxta S. Thomam eſt regula ac menſura actionum humanarum, ſecundum quam hoc debet fieri & illud omitti. *Lex*, inquit S. Doctor 1. 2. q. 90. art. 1. C. *quædam regula eſt & menſura actuum, ſecundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.* Omnis lex in ſe ipſa juſta eſſe debet ac utilis illis, quos obligat.

3. Primus legislator fuit Moyſes, cujus leges, utpote ab ipſomet Deo dictatæ, ſunt perfectiſſimæ. Solon dedit leges Athenienſibus, Lycurgus Lacedemoniis, Romulus & Numa Romanis. Juſtinianus & Theodoſius Imperatores Chriſtiani leges tam ſuas quam antiquiores Romanorum in codices congeſſerunt, ex quibus complures etiam ſummi Pontifices ſuis in decretalibus adoptarunt.

4. Obſervationi legum inimiciſſima eſt cupiditas & avaritia, experimento non ſolum a privatis ſumpto, ſed ab integris quoque ſtatibus: *pecuniæ obediunt omnia.*

5. Objectum legum eſt præcipere juſta, neceſſaria & utilia; prohibere injuſta & bono communi adverſantia; permittere quandoque, quæ non ſunt eſſentialiter mala; ac tolerare quædam mala, quando iis tollendis, ac malis puniendis remedia non ſuppetunt. Legum authoritas valde debilis eſt, niſi ſint communes, & omnes ſubditos obligent.

6. Omnes leges Principum concernunt vel perſonas vel res vel actiones. Naturalis legum prærogativa eſt claritas, omnis obſcuritatis ac confuſionis inimica. Quando lex plures recipit ſenſus, minus rigoroſus præferri debet.

7. Dantur infiniti propemodum caſus, circa quos leges nihil ſtatuant; eoquod legislatores de iis non cogitaverint.

8. Varia diſtinguuntur genera legum, quarum ſingulis propria ſua competit definitio; ſcilicet lex æterna Dei, naturalis, poſitiva, quæ aut divina eſt, aut humana, aut eccleſiaſtica aut civilis; & denique antiqua ſeu Moſaica, & nova ſeu Evangelica.

9. Lex *æterna* juxta S. Auguſtinum eſt ſuprema ratio, juxta quam Deus omnes res creatas gubernat, cui omnia creata ſubjici debent tanquam legi incommutabili ac æternæ.

10. Lex *naturalis* juxta S. Ambroſium eſt ea, quæ, licet ſcripta non ſit, nobiſcum tamen naſcitur, utpote omnibus hominibus inſpirata a Deo, & cujusque animæ impreſſa, qua manifeſtatur omnis veritatis origo, quæ eſt ipſe Deus. Præcipua hujus legis præcepta his Salvatoris verbis comprehunduntur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum ſicut te ipſum.* Lex hæc omnes homines obligat ab eo momento, quo ſufficiens ratio eam ipſis manifeſtat; nec ulla ſub quocumque demum prætextu diſpenſatio hic locum habet.

11. Lex *poſitiva divina* ea eſt, quam Deus hominibus dedit in tempore, ut lex *Moſaica*, quæ quoad ea, quæ præcepta ceremonialia concernunt, ad ſolum populum Judaicum dirigebatur; & lex, quam Chriſtus nobis dedit, omnesque Chriſtianos obligat ad agendum in omnibus eo conſilio, ut ultimum ſuum finem conſequantur. Diſcrimen inter legem Moſaicam & Evangelicam maxime conſiſtit in eo, quod 1. prior non niſi figura fuerit & adumbratio poſterioris; poſterior autem ipſum figuratum, qua Deus velum myſticum detraxit figuris, ceremoniis ac prophetiis, quæ Chriſti Domini adventum ſignificabant. 2. Quod lex Moſaica non ita clare, diſtincte ac particulariter interiora ac motus cordis animique attingeret, ut lex nova. 3. Quod lex data Judæis fuerit lex *timoris*; cum Evangelica ſit lex *gratiæ* & *amoris*.

12. Lex *Evangelica* ad tria præceptorum genera adimplenda nos adſtringit. Primum eſt, ut credamus omnia myſteria & fidei articulos, quos Deus Eccleſiæ ſuæ revelavit. Secundum SS. Eccleſiæ Sacramenta reſpicit, debitam iisdem reverentiam, neceſſariam ad ea recipienda diſpoſitionem, & tempus, quo ea recipienda datur obligatio. Tertium continet præcepta moralia, quibus obtemperare debemus, ſuntque eadem cum præceptis moralibus legis Moſaicæ, hoc ſolo diſcrimine, quod Chriſtus ea enucleatius dilucidaverit in ſermone, quem in monte habuit.

13. Lex poſitiva humana *eccleſiaſtica* eſt: *Jus canonicum, quod civium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit.* Jus iſtud complectitur fidem, mores & diſciplinam. Quod ad fidem & mores attinet, immutari nequit; nullaque in terris poteſtas reperitur, quæ quoad fidem & mores quidquam derogare poſſit. Leges circa diſciplinam verſantes, certum eſt, quod poſſint, imo quandoque debeant immutari, prout

ut ſcilicet pro varietate circumſtantiarum, locorum & temporum bonum Eccleſiæ id exigit. Leges iſtæ diſciplinares etiam per conſuetudinem contrariam legitime præſcriptam abrogari poſſunt. Denique omnes fideles ad obſervantiam harum legum in conſcientia obligantur juxta illud Chriſti Matth. 18. v. 27. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* & juxta Canones *Violatores.* 5. ac *Hac conſona.* 13. cauſ. 25. q. 1. & Can. *Si quis.* 18. ibid. q. 2.

14. Lex poſitiva humana *Civilis* eſt, quæ a Principe fertur. Ut ſit valida & obligatoria, requiruntur hæ conditiones. 1. ut ſit conformis legi naturali, nihilque manifeſte injuſtum contineat. 2. ut pro objecto habeat bonum commune. 3. ut ſit legitime promulgata. Hæc ſi concurrunt, omnis lex civilis obligat in conſcientia.

15. Leges Principum abſolute neceſſariæ ſunt ad providam ac prudentem gubernationem ſubditorum & conſervationem Statuum.

16. Legislator majorem legibus ſuis vigorem & authoritatem conciliare non poteſt, quam ſi ipſemet iis ſeſe ſubiiciat, & populis ſuis illuſtre ſic exemplum præbeat: bona enim exempla multo melius quam verba ſuadent. Hanc agendi rationem ſecuti ſunt Licurgus, Seleucus, Ageſilaus, Theopompus, Themiſtocles, Alexander, Auguſtus, multique alii ſupremi Principes.

CASUS I. Complures inter Eccleſiaſticos quæſtio agitatur, utrum inter præcepta legis veteris ſint quædam, quæ & Chriſtiani poſſint ac debeant obſervare. Alii affirmativam, negativam alii tenent; tam hi quam illi S. Thomæ authoritati innituntur.

℟. Tria cum S. Doctore ſunt diſtinguenda præceptorum legis antiquæ genera; alia enim præcepta ſunt *Moralia*, alia *Ceremonialia*, alia ſunt *judicialia.* Præcepta *Moralia*, utpote in lege naturali fundata, aut determinativa legis naturalis dubiæ, ſicut obligabant in antiqua, ſic æqualiter in nova lege obligant, quæ itaque qui transgreditur peccat. *Ceremonialia* non ſi Judæos tangebant, quorum aliqua obſervare quis non poſſet, quin præjudicaret fidei Chriſtianæ, & conſequenter peccaret. Ad *Judicialia* quod attinet, eorum obligatio perpetua non erat, utpote adveniente Meſſia ceſſans. Verum ſicut hæ leges judiciales non erant introductæ principaliter ad ſignificandum Meſſiam venturum, ita quoque non adeo ceſſarunt per adventum Meſſiæ, ut jam in præſens ſine peccato obſervari non poſſent, ſi Princeps iis

vim legis tribueret ; dummodo id non fiat ea intentione, ut authoritatem ſuam & vim obligandi ſortiantur ex antiqua lege : ſic enim non ſolum Princeps peccaret mortaliter leges has ſub hac authoritate ſtabiliens, ſed & omnes, qui eas eo animo obſervarent. En doctrinam Doctoris angelici, quam tradit 1. 2. q. 104. art. 3. C. *Pontas.*

CASUS II. Papa vi Conſtitutionis promulgatæ, & Romæ affixæ legem tulit, quæ tangit punctum quoddam diſciplinæ reſpectu omnis generis Canonicorum, qui in majori Europæ ſtatuum parte morantur. Hujus exemplar etiam Roma miſſum ad Canonicos Burdigalenſes, cui tamen ſeſe ſubmittere renuunt. Peccantne ?

℟. Vi conſuetudinis in Gallia receptæ ejusmodi conſtitutio pro lege obligatoria non agnoſcitur, niſi ſit acceptata, & authoritate Regis in regno promulgata ; idque ratione nititur ; quia frequenter poteſt contingere, ut ejusmodi lex non conveniat cuidam eccleſiæ particulari vel provinciæ ; dum ea habet conſuetudines, jura & privilegia contraria. Si Conſtitutio, de qua hic agitur, non fuerit acceptata, Canonicos Burdigalenſes ſub pœna peccati non obligat, adeoque antiquæ ſuæ conſuetudini inſiſtere poſſunt, niſi ſit juſtitiæ & bonis moribus contraria. *Pontas.*

NOTA. Hæc reviſio Curiæ Regiæ circa leges pontificias ſolum requiritur ideo, ut examinetur, an ea Lex nihil diſponat circa jura temporalia Regum, & utrum non mutet diſciplinam veterem eccleſiaſticam a multis Sæculis laudabiliter uſu receptam. Hæc tamen regula ſolum locum habet in foro interno conſcientiæ ; in foro enim externo Romæ ſemper judicatur juxta decreta Romana. Et eatenus verum eſt, quod ad valorem legis ſufficiat promulgatio facta Romæ.

CASUS III. Rex legem tulit, eamque juſtam, de qua plebs plene eſt informata. *Hubertus* illis, quæ ordinat, aut prohibet ſub pœnis ſeveriſſimis, contraria facere pergit, in conſcientia ſe haud obligari cauſatus, quoadusque juxta formam ordinariam fuerit promulgata.

℟. *Hubertus* in hoc non errat ; lex enim obligare in conſcientia non poteſt, niſi iis, pro quibus lata eſt, ſit cognita ; cognita autem eſſe non cenſetur, niſi juxta formam ordinariam fuerit promulgata. *S. Thomas* 2. 2. *q.* 90. *art.* 4. *in corp.* Sed juxta eundem S. Doctorem non eſt neceſſe, ut omnes particulares per ſe audiant legem promulgari ; ſufficit, ut per alios, coram quibus promulgata eſt, veniant in notitiam legis. Obſervandum hic 1. Quod, ſi lex contingat Statum valde extenſum & in plures provincias diſtinctum,

ſatis

ſatis non ſit, ſi publicatio ſolum fiat in urbe capitali; ſed ea fieri etiam debeat in ſingulis provinciis remotioribus. 2. Si eſt dubium, & quidem fundatum, utrum lex ſit utilis reipublicæ, juxta S. Thomam 1. 2. q. 97. art. 1. C. præter promulgationem requiritur etiam, ut acceptetur ab iis, pro quibus lata eſt, *Pontas*.

Nota. Imprimis hoc judicium de utilitate legis privatorum diſcretioni relinqui nequit: dein ad valorem legis non requiritur alia utilitas, quam major uniformitas ac decentia. Sufficit, quod non ſit nociva.

CASUS IV. Victorem Supremum Principem non latet, ingentem in regno ſuo malorum, ſcandalorumque numerum regnare & dominari. Teneturne in conſcientia leges condere, vi quarum hæc prohibeantur, reique puniantur?

℟. In foro interno non tenetur ejusmodi leges condere, per quas omnia Status mala tollerentur: earumdem enim executio foret impoſſibilis. Princeps tolerare debet quædam minora, ut impediantur graviora mala. In ſummam mox deſolationem coniiceret omnes ſuos ſubditos, ſi omnes deordinationes eorum punire vellet. Satis ergo Principi eſt, ſi adhibeat leges ad coercenda flagitia majora & ſocietati civili ſummopere noxia; ut ſunt homicidia, furta, ſacrilegia, aliaque ſimilia, Ita S. Thomas 1. 2. q. 96. art. 2. C. *Pontas*.

Nota. Hoc principium eſt diabolicum: Princeps enim lege naturali & divina tenetur obviare omnibus malis, quantum poteſt. Hæc eſt mens D. Thomæ.

CASUS V. Narciſſus ſæpe numero legi Principis, quæ non niſi pœnalis dicitur, contravenit. Peccatne mortaliter, ſi ex terminis legis conſtet, quod intentio Legislatoris ſit, ſubditos ad ejusdem obſervationem ſub peccato mortali obligandi?

℟. Ut innoteſcat, an lex obliget ſub peccato gravi vel levi, non attendendum eſt ad intentionem Legislatoris humani. Si lex reſpectu Reipublicæ ſit gravis momenti, ſemper obligat ſub peccato mortali, etiamſi non hæc fuerit intentio legislatoris; ſi vero non eſt tanti momenti, nonniſi ſub peccato levi obligat; etiamſi intentio Legislatoris fuerit obligandi ſub gravi. Ratio eſt; quia omnis lex, ut vere habeat rationem legis, debet eſſe juſta; non foret autem juſta, ſi obligaret ſub pœna peccati mortalis, etſi parum tantum conducat ad bonum commune; aut ſi tantum

ſub

ſub peccato levi aliquid præciperet vel prohiberet, quod tamen eſt ſummi momenti, & plurimum promovet bonum commune. Addendum hic, quod vere peccet, qui transgreditur legem prohibentem aliquid ſub pœna ſolvendæ mulctæ, etſi paratus ſit ad ſolvendam mulctam; ſaltem niſi Legislator condendo legem tendat *disjunctive*, quaſi dicendo: *vel fiat hoc, vel ſolvatur mulcta*: in hoc enim caſu foret lex mere pœnalis, & non peccaret, qui eam transgreditur. Si vero Legislator tendit *conjunctive* v. g. dicendo: *fiat hæc res ſub pœna mulctæ ſolvendæ*, non eſt lex pure pœnalis, & qui eam transgreditur, peccat; neque excuſat prompta voluntas ad ſolvendam mulctam. Ita S. Beuve Tom. I. Caſ. 105. *Pontas.*

Nota. Sunt quædam leges, quæ de ſe non ſunt pœnales, poſſunt tamen fieri tantum pœnales per conſuetudinem.

CASUS VI. Amadeus Supremus Dominus legem pro communi bono ſui Regni condidit. An huic & ipſe ſubditur?

℟. Legi ſubjectus eſſe quis poteſt I. quoad vim *coactivam* legis; & cum ſupremus Dominus ſe ſuperiorem non habeat, ad cuſtodiendam legem cogi non poteſt. *S. Thomas* I. 2. *q.* 96. *art.* 5. *ad* 3. 2. Legi ſubjectus eſſe quis poteſt quoad vim *directivam* legis, ſeu quoad ea, quæ tanquam bona præcipit, aut ut mala prohibet; & in hoc ſenſu omnis Princeps in foro interno ex propria voluntate legi ſubditur. Hoc intelligendum eſt de legibus verſantibus circa bona Reipublicæ neceſſaria: circa alias enim leges adiaphoras facilius ſecum diſpenſat. *Idem.* Quando dicitur, quod Princeps ſit ſupra legem, id de poteſtate diſpenſandi aut immutandi legem ad bonum & utilitatem publicam, qua gaudet, intelligendum eſt. *Pontas.*

CASUS VII. Juvenalis, cum legem juſtam a Principe latam & promulgatam a majori ſubditorum parte non obſervari videret, neque ſe in conſcientia eadem teneri, adeoque eandem ſine peccato ſe transgredi poſſe arbitratur. Num ita?

℟. Lex per conſuetudinem contrariam abrogata ultra non obligat; & quamvis legislator jus habeat ſubditos ad obſervationem legis adſtringendi, eo tamen ſi non utatur, & ſi major, ſaniorque ſubditorum pars eandem non obſervat, præſumendum eſt, quod non habeat intentionem obligandi; ex quo concludendum, Juvenalis judicium non fuiſſe erroneum. *Rectiſſime etiam illud receptum eſt*, inquit lex, *ut leges*

ges non ſolum ſuffragio Legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur. *Pontac.*

Nota. Circa leges declarativas legis naturalis vel divinæ, vel bono communi Eccleſiæ aut ſtatus neceſſarias quilibet tenetur usque ad ultimum virum ſtare in obſervantia.

CASUS VIII. *Edmundus* occultum commiſit parricidium. Lege Regionis, quam incolit, cautum eſt, ut ejusmodi criminis reus ipſo facto omnibus bonis in favorem defuncti hæredum ſpolietur. Poteſtne non obſtante hac lege in poſſeſſione bonorum ſuorum perſeverare?

℞. Regulariter loquendo leges pænales nonniſi minitantur reis pœnas, quas tamen ſubire in conſcientia ante ſententiam Judicis non tenentur. Sic *Edmundus* non tenetur huic ſe pœnæ ante ſententiam judicis ſubmittere; cum juxta legem 42. ff. Lib. 48. Tit. 19. *interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potius, quam aſperandæ.* Id autem dici non poſſet, ſi lex in terminis formalibus ac evidentibus contrarium exprimat; prout lex eccleſiaſtica omnes Beneficiatos non recitantes Divinum officium obligat ad reſtituendos fructus Beneficii, etiamſi non interveniat ſententia condemnatoria judicis. *Pontas.*

Vide *Judex.*

LIBERI.

Lex divina, qua *liberi* jubentur honorare parentes, non ſolum comprehendit reverentiam debitam eis exhibendam, ſed etiam obligationem aſſiſtendi illis in eorum neceſſitatibus. Quousque ſe extendat hæc obligatio, caſus ſequentes docebunt.

CASUS I. Pater in captivitate tenetur ob debitum 5000. florenorum. Jam creditor promittit filiæ debitoris, ſe patri libertatem procuraturum, ſi cedat hæreditatem, quam adeundi certam ſpem haberet. Filia majorennitatem jam attigit quidem, ſed omnis artis aut opificii imperita, nec ad ancillandum idonea præter dictam hæreditatem non aliud vitæ ſubſidium poſſidet. Moratur in domo fratris ſui, qui fungitur officio, quod ceſſit pater ea conditione, ut ſibi reliquo vitæ tempore alimenta præſtet, & partem debitorum ſolvat.

℞. Filia non tenetur pro libertate patris omnes ſuas facultates cedere creditori: certiſſime enim ſemetipſam neceſſariis vitæ ſubſidiis privaret; primas autem curas meretur conſervatio ſui. Nihilominus, ſi filia ſua omnia pro liberatione

patris

patris offerret, exemplum foret actionis ſumme heroicæ, quæ ſolum de conſilio eſt, non de præcepto. *Fromageau.*

CASUS II. Mater in articulo mortis conſtituta filiæ ſuæ declarat, quod ſit ex adulterio progenita. Teneturne filia ſe matremque ſuam diffamare, detegendo hoc ſecretum?

℟. Non tenetur; imo nec obliganda eſt ad reſtitutionem bonorum conſumptorum a patre putatitio, cujus hucusque filia credebatur, quovis demum titulo, etiam hæreditatis acceptorum; quia ea bona fide acceperat. Si bona adhuc exſtantia filiæ ſunt neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ, ea ſibi ſervare poterit, adhibita tamen cautela, ut reſidua poſt mortem ſuam redeant ad conſanguineos patris putatitii. Si ea bona tanto tempore bona fide poſſedit, quantum ad legitimam præſcriptionem requiritur, de iis tanquam propriis diſponere poteſt pro ſuo arbitrio. *Fromageau.*

Nota. Alii melius cenſent, quod proles non teneatur credere matri. Si enim maritus potuit credere, prolem eſſe ſuam, haud dubie circa tempus conceptionis adulterinæ etiam ſe commiſcuerit cum uxore. Itaque non poterit uxor eſſe certa certitudine phyſica, ſe ex ſolo adulterio concepiſſe, aut embrionem unius vel alterius diei informem ſpecificativum corporis humani & ſexus potius a ſemine adulteri quam mariti proceſſiſſe. Sola autem major propabilitas matris, aut ejus moralis certitudo late dicta non debet prolem privare titulo tot annis jam præſcripto.

CASUS III. Poteſtne conſuli matri, ut exponat prolem ſuam?

℟. Leges tam eccleſiaſticæ quam civiles ſeveriſſimis pœnis animadvertunt in fœminas, quæ exponunt infantes ſuos; easque ut homicidas reputant, ita ut nulla excuſatio iis patrocinari poſſit. Hinc nullatenus poteſt conſuli ejusmodi expoſitio infantum. *Fromageau.*

CASUS IV. Filiusfamilias militiæ nomen dedit, petitque a patre ſummam pecuniæ novo ſuo ſtatui competentem.

℟. Generaliter loquendo pater in conſcientia tenetur petito filii annuere; quia ex una parte filius habet libertatem eligendi vitæ ſtatum, dummodo ſibi & familiæ convenientem; ex altera parte patris eſt providere liberis de ſuſtentatione ſtatui ac conditioni congrua. Hinc pater absque injuſtitia non poteſt denegare petitam ſummam, ſaltem niſi hæc ſtatus militaris electio in grave aut filio aut familiæ cedat præjudicium. C. B.

Nota. In filio nobili, cui conditio ſtatus nobilis ordinarie honeſtatem quamdam ingenitam ſtabilem annectit, hæc admitti poſſunt.

In plebeis hæc non admitterem, in quibus ordinarie nil aliud expectandum, niſi perditio hæreditariæ ſubſtantiæ.

CASUS V. Filiusfamilias aufert patri identidem pecunias, ut honeſtis cum amicis recreationibus indulgere poſſet.

℟. Si ſumma pecuniæ ablatæ tam exigua eſt, ut pater nullo modo graviter ferre, aut ejusdem uſum ad honeſtam recreationem improbare poſſit,filius ſecurus eſt in conſcientia. Si vero præſumere poſſit, patrem ægre laturum vel ipſam ablationem, vel modum agendi furtivum, vel uſum pecuniæ, filius ſemper peccat, ſaltem venialiter; quia aufert invito patre. C. B.

Nota. Si pater ſit graviter & rationabiliter invitus circa ablationem vel circa talem uſum, ſemper erit peccatum mortale. Dicitur Prov. 28. *Qui ſubtrahit aliquid a patre ſuo & a matre; & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt.* Si ſumma ablata notabilis eſt, prout & furta etſi minuta, frequentata tamen, facile in ſummam gravem coaleſcere poterunt, graviter peccant liberi. Peccatum adhuc majus erit, ſi parentes ſint pauperes; quia ſic non ſolum agunt contra juſtitiam, ſed etiam contra pietatem parentibus indigentibus debitam.

CASUS VI. Mater filias ſuas, ne diebus feſtis per urbem vagentur aut otio indulgeant, ſerviliter laborare jubet. Tenenturne obedire matri?

℟. Tenentur; quia liberi vi quarti præcepti debent obedientiam parentibus ſuis in rebus licitis; licite autem etiam feſtis diebus, maxime cum rei ſacræ ſua in parochia vacaverint, quasdam horas pomeridianas labori ſervili domi ſuæ impendunt eum in finem, ut arceantur a periculis ſeductionis in caſu poſitis. Cavendum tamen, ne mater ex labore filiarum hiſce diebus ſordidum lucrum quærat, easque avertat ab operibus pietatis, quibus ſe utilius ac ſanctius applicarent. C. B.

Nota. Labor ejusmodi admittendus non eſt in locis, ubi vigent varia exercitia pietatis pomeridiana, aut ubi filiæ tempore pomeridiano refocillationes non niſi pias ac honeſtas amant, v. g. conſalutationes puellarum honeſtas, inviſiones propinquarum &c. in quibus nec profanatio diei feſti, nec periculum animæ reperiuntur.

CASUS VII. Ariſtobulus moriturus relinquit dominium directum bonorum ſuorum unicæ filiæ; uſumfructum vero vult dividi inter filiam & uxorem ſuam, hac conditione, ut utraque caſte vivat. Jam quæritur, ſi filia matrimonium ineat, & uxor ad ſecundas nuptias tranſeat,

rum

ſtianus abſtinere debet; cum effectus ſint plerumque pernicioſi, quos gignit horum lectio in ſpiritu & corde legentium, ſuſcepta ex motivo voluptatis aut curioſitatis, aut ſine juſta neceſſitate fundata in intentione ex bonis, quæ ibi quandoque etiam reperiuntur, fructum capiendi, aut perverſa quæ invenerint, reprobandi, ac refutandi.

3. Et hinc, cum juſta hæc neceſſitas ſemper fuerit, neceſſariaque eorum ad deſtruendam pernicioſam, quam continent, doctrinam lectio, per tria aut quatuor Sæcula Eccleſiæ Canonem reperire non eſt, vi cujus librorum gentilium & hæreticorum lectio fuiſſet prohibita.

4. Omnium primo librorum gentilium lectionem interdicit Concilium Carthaginenſe, cum ageretur annus 490. Libros hæreticorum quod attinet, eorum lectionem non prohibuit Eccleſia; ſed cuilibet liberum erat eoſdem legere, vel a lectione abſtinere, prout cuique Chriſtiana dictabat prudentia.

5. Octavo ſæculo omnes hæreticorum libros comburendos eſſe ordinarunt Pontifices Romani. Dein vero catalogus editus eſt omnium librorum ab inquiſitione Hiſpaniæ prohibitorum 1558. quod exemplum de expreſſo mandato Pauli IV. anno 1559. ſecuta eſt Congregatio S. Officii, & ejuſmodi indicem librorum prohibitorum edidit, quem Pontifices ſucceſſores identidem plurimum auxerunt, in eum referendo non ſolum libros fidei ac bonis moribus adverſantes, ſed & principiis Ultramontanorum circa mera diſciplinaria inſiſtentes: unde factum, ut plures libri alias inſignes nigro calculo notati, & in tenebras conjecti fuerint, ex quibus nulla jam redemptio.

6. De tribus librorum prohibitorum generibus hic tantum nobis ſermo erit. 1. De iis, qui ſunt hæreticorum. 2 De iis, qui tractant de arte divinandi, variiſque modis, quibus utuntur arioli. 3. De iis, qui ad corrumpenda corda & puritatem mentium tendunt, quorum lectio fidelibus interdicenda eſt, utpote non minus, ac imagines & picturæ inhoneſtæ, periculoſa.

CASUS I. Thomas eruditus Doctor, & parochus in oppido, ubi multi adhuc ſunt Calviniſtæ, quibuscum ſæpe conferre de materiis Religionis tenetur, a multo jam tempore legit libros Calvini, & Miniſtrorum hæreticorum, majorem de eorum religione notitiam aquiſiturus,& eorum poſtea converſioni conſulturus. An eos tuta conſcientia legere poteſt: non obtenta prius a Pontifice vel Epiſcopo legendi facultate?

℟. Videtur, licite ipſum libros hoſce legere poſſe: prærogativa enim Doctoris, munus paſtoris, & circumſtantiæ loci ac mixtæ religionis id ſatis permittunt, ſi non exigunt. Advertendum tamen 1. Quod Doctores Theologiæ quoad hoc teneantur ſe ſubiicere decretis primorum Paſtorum, niſi habeant privilegium ſpeciale indubitatum. 2. Quod facultas docendi Theologiam, &, quod exinde ſequitur, neceſſitas doctrinam ſuam circa libros & propoſitiones religionem concernentes in unum corpus & ſyſtema congerendi, idque frequenter ad requiſitionem Epiſcoporum, hoc privilegium ſupponere videatur. Ita Alphonſus de Caſtro *L.* 2. *de juſt. hæret. punit.* c. 17. & Author *Conferentiarum Andegavenſium* 1713. Mens. Majo. *Pontas.*

Nota. Hinc graviter peccant, qui tam facile Doctores creant, & Doctores Theologiæ, qui prælectionibus ſuis theologicis non immiſcent polemica.

CASUS II. Firminus ſimplex presbyter, in eccleſia quadam parochiali reſidens, legit libros hæreticos animo aquirendi ex iis notitiam de controverſiis fidei, habita ſolum ad id licentia Epiſcopi. Sufficitne hæc ſola, ut ſalva conſcientia poſſit legere ejusmodi libros?

℟. Epiſcopi Galliæ in poſſeſſione permanſerunt concedendi licentiam legendi libros prohibitos. Et hinc Firminus tuta conſcientia poteſt eos legere; nec indiget licentia Papali.

Nota. In Germania requiritur ad libros hæreticos legendos conceſſio Epiſcopi a Papa delegata, quæ tamen concedenda non eſt, niſi inſtructis Bibliotheca valde bona.

CASUS III. Carolus quosdam libros poſſidet agentes de chiromantia & pyromantia, eosque ſolummodo ſervat ex pruritu ſciendi, quidnam in iis contineatur, aut ex mera curioſitate; eo quod ſint rariſſimi; quin ullum iis abutendi propoſitum habeat. Num eos illæſa conſcientia ſervare poteſt?

℟. Non poteſt eos ſervare, etſi nullam prorſus intentionem pravam habeat ijs ad actus ſuperſtitioſos abutendi; quia lectio eorum vana eſt & periculoſa. Hinc tenetur eos flammis tradere ad exemplum fidelium Epheſi Act. 19. v. 19. & conformiter ad decreta plurium Conciliorum, maxime Turonenſis 1583. Burdigalenſis ejusdem anni & Avenionenſis 1594. Nihilominus ſi Carolus ratione ſtatus, conditionis ac profeſſionis ſuæ in occaſione verſaretur ea confutandi, quæ in dæmoniacis hiſce libris continentur, v. g. in concionibus vel ſacro tribunali, vel alia quavis occaſione, & inſuper neceſ-

ſaria

ſaria ad id capacitate, ingenio ac judicio polleret, eos retinere & licite legere poſſet; ſed ſolum tamdiu, quamdiu & occaſio & pia voluntas optimo huic uſui locum & tempus ſubminiſtrant. *Pontas.*

CASUS IV. Caſtorius bibliopola a pluribus jam annis diſtrahit, & aliis legendos præbet varios libros fabulis, hiſtoriis amatoriis, narratiunculis ludicris ac obſcœnis & comediis refertos, quibus juventus ad impudicitiam pertrahitur; quin tamen mortaliter peccare ſe exiſtimet. Confeſſario obliganti, ut ejusmodi libros combureret, reſpondit: integram librorum horum editionem aut collectionem ſine graviſſimo damno ſe comburere haud poſſe; nec ab aliis confeſſariis, viris doctis & de hoc commercio optime informatis ad tam ardua præſtanda ſe unquam obligatum fuiſſe; ad hæc & alios collegas ſuos hujusmodi commercium exercere. Suntne hæ rationes coram Deo legitimæ?

℞. Certum eſt, quod Caſtorius ejusmodi libros nec diſtrahere, nec aliis legendos dare poſſit, quin omnium peccatorum ex eorum lectione committendorum coram Deo ſe reum conſtituat. Hinc eos comburere aut deſtruere in conſcientia tenetur, ita, ut nunquam in ullius manus venire poſſint. Id quod Concilium Tridentinum *de Lib. prohib.* reg. 7. docet, dum ait: *Libri, qui res laſcivas ſeu obſcœnas ex profeſſo tractant, narrant aut docent, cum non ſolum fidei, ſed & morum, qui hujusmodi librorum lectione corrumpi ſolent ratio habenda ſit, omnino prohibentur; & qui eos habuerit, ſevere ab Epiſcopis puniantur.* Caſtorius de ſua ſalute ſecurus eſſe non poteſt, niſi hos libros comburat aut deſtruat; nec confeſſarius ipſi abſolutionem impertiri poteſt aut alia Sacramenta miniſtrare, niſi fors ipſius inobedientia foret occulta, & Sacrementa publice petat; quo in caſu tamen ſemper Sacramenta profanaret, & adhuc coram Deo damnabilis exiſteret. Videtur hic, parochum aut confeſſarium Caſtorii ad obtinendam majorem ſecuritatem de pœnitentia & propoſito ipſius optime acturum, ſi ab eo exigat, ut, quemadmodum pravum ipſius commercium fuit publicum, publice etiam damnabili ſuæ negotiationi renunciet, id eſt, ut coram pluribus perſonis fide dignis ſe id facturum declaret. *Pontas.*

NOTA. Poſſet Caſtorio permitti, ut ejusmodi libros interea in cuſtodiam ab Epiſcopo deſignandam tradat, donec occurrat occaſio eos vendendi ad bibliothecas recte ordinatas, vel habentibus licentiam legendi libros prohibitos.

CASUS V. Iphigenia frequenter legit libros facta & dicta amantium continentes; quæ tamen, utpote ſatis caſtæ, cor non afficiunt, ſed ſolummodo ſpiritui ac ingenio arrident. Confeſſarius nihilominus præcipit, ut omnes hos libros, licet plurimos, in ignem coniiciat; quæ tamen ex eo ſe purgat, quod lectio horum librorum nullum hactenus caſtitati detrimentum attulerit. An hoc non obſtante ſub pœna peccati confeſſario ſuo obedire tenetur?

℞. Cum ejusmodi libri caſtitati adverſentur, Iphigenia omnes, quotquot habet, dilacerare aut comburere tenetur. Ratio excuſans, quam affert, illuſio eſt & periculoſa adulatio ad ineſcandam & magis roborandam paſſionem idonea. Virtus caſtimoniæ haud diu in ſalvo erit, ubi ejusmodi pericula proxima & haud neceſſaria non declinantur, quæ ſenſim cor afficiunt, delectationemque ingerunt. Ad hæc dilapidatur tempus, quod precibus aliisque pietatis exercitiis, aut laboribus ſtatui congruis conſecrare oporteret. Lectio hujusmodi librorum expreſſe a Concilio Medio'anenſi 1565. damnata eſt; eamque celebris Gerſonius Serm. 3. *de adventu* adeo pernicioſam judicat, ut legentes a peccato mortali haud excuſari poſſe exiſtimet. Unde concludit, confeſſarios graviter obligari, ut poſſeſſores talium librorum ad eos lacerandos aut comburendos adſtringant. *Pontas.*

LIS.

1. *Lis* eſt diſſidium inter duas vel plures perſonas judiciali ſententia dirimendum. Lites oriuntur vel ex cauſis civilibus, & vocantur *civiles* & ordinariæ; vel ex cauſis criminalibus, & dicuntur *criminales* aut extraordinariæ.

2. Quilibet homo Chriſtianus ſummo, quo poteſt, ſtudio lites declinet, nec unquam ſine urgenti neceſſitate turbido judiciorum labyrintho ſe committat. *Nihil bono viro ac quieto magis convenit*, ait Cicero ad Atticum, *quam abeſſe a civilibus controverſiis.*

3. Datur quidem quandoque dira neceſſitas ſeſe litibus involvendi; ſed quotiescumque etiam arripiendum eſt anceps judicii remedium, id nunquam fiat, niſi ſervatis omnibus erga partem adverſam Chriſtianæ charitatis officiis.

CASUS I. Toxotius in colloquio habito cum Bertino parocho ſuo defendit, quod quis innoxie & ſine peccato poſſit judicio contendere. Negat id parochus; eo quod moraliter impoſſibile ſit apud judicem adverſus alium agere, quin

quin amittatur, vel ſaltem graviter vulneretur charitas proximi. Cujusnam ſententia firmiori nititur fundamento?

℟. Loquendo de litibus in genere, prout ordinarie inſtituuntur, plerumque oriuntur ex fonte corrupto ac venenato, nimirum ex habendi cupidine. Argumento ſat luculento eſt illud Gloſſæ in §. *ſequitur*. v. eod. diſt. 46. de litigioſis loquentis: *Conſueverunt tales diſtemperati eſſe in moribus; ſolent enim eſſe adulatores, proditores, & detractores, maledici, invidi, ſcurriles, ad ulciſcendum injurias ſuas prompti &c.* Dantur tamen lites juſtæ; ſed & in his, maxime in earum proſecutione obſervantur leges Chriſtianæ charitatis. *Pontas*.

Nota. Inculcandum omnibus, quod teneantur vi mandati maximi jacturam bonorum vel jurium reſpective levium poſtponere ingenti bono pacis & charitatis.

CASUS II. Cæſarius vir nobilis ac potens frequenter ſollicitat judices in favorem eorum, quos ab amicis ſibi commendatos habet; idque tam in cauſis civilibus quam criminalibus. An non peccat?

℟. In cauſis criminalibus licet quandoque intercedere pro reo; dummodo id non fiat contra mentem legis, & in præjudicium actoris. In cauſis autem civilibus id nunquam licet, niſi quis certus ſit de juſtitia cauſæ illius, pro quo interceditur. *Pontas*.

LOCATIO.

1. *Locatio* eſt contractus, quo ad certum tempus fructus aut uſus rei cujusdam conceditur pro ſolvenda pecuniæ ſumma, aut alio commodo exinde percipiendo. Dicitur 1. *ad certum tempus*; quia contractus hic non eſt perpetuus, & in hoc differt a contractu venditionis. Dicitur 2. *aut uſus*, ad denotandum diſcrimen inter locationem & venditionem, in qua dominium cum uſu conceditur, ut etiam fit in mutuo. Dicitur 3. *rei cujusdam*; nam præter bona tam mobilia quam immobilia locari poteſt etiam equus, bos, imo & perſona, & propter operam ab eis præſtitam recipi pecuniæ ſumma cum locatario conventa. Dicitur 4. *aut alio commodo exinde percipiendo*, per quod denuo dignoſcitur differentia inter locationem & venditionem, quæ ſolum fit mediante pecunia; cum locatio fiat vel mediante pecunia, vel alia re æquivalente.

2. Contractus hic per ſolum conſenſum perficitur, ſicut contractus venditionis. Locari vero non poteſt, niſi quod locatarius denuo poteſt reddere; hinc locari non poſſunt, quæ ſunt uſu conſumptibilia. Poſſunt autem locari omnia, quæ vendi poſſunt, exceptis iis, quæ leges eccleſiaſticæ vel civiles locari ſpecialiter prohibent; ut v. g. non licet domum locare publico uſurario, aut proſtituentibus puellarum pudicitiam.

3. Ut locatio ſit juſta ac legitima, requiritur 1. Ut locator in ſe ſuſcipiat omne periculum rei locatæ, niſi ea periret culpa lata locatarii, aut ex conventione locatarius deberet ſuſtinere periculum. 2. Ut locator teneatur reparare, quæ in re locata reparatione indigent, niſi ad id locatarius ſe obligaſſet. 3. Ut locator locatarium moneat de vitiis rei locatæ, ut ſi v. g. equus eſt valde meticuloſus aut claudus: ſecus locatori ferendum eſt damnum locatario illatum; ſive dein ſciverit defectum, ſive ſcire neglexerit: *in hoc enim contractu*, ut dicit S. Antoninus, *venit culpa levis, cum gratia utriusque celebretur*. Dantur etiam caſus, in quibus contractus iſte culpam etiam leviſſimam admittit. 4. Ut locator locatarium a fruitione & uſu rei locatæ tempore convento non impediat. Circa hoc tamen dantur exceptiones, ut *primo* ſi locatarius non ſolveret pretium locationis, in quo caſu obſervanda eſt conſuetudo locorum. *Secundo* ſi res locata neceſſaria eſſet ipſi locatori, ut ſi v. g. domus locatoris corruiſſet, & aliam non haberet, quam incolere poſſet. *Tertio* ſi res locata, ut domus, minitetur ruinam. In hoc & proxime memorato caſu locator teneretur locatario compenſare damnum. *Quarto* ſi locatarius re locata male utatur.

4. Obligationes locatarii erga locatorem ſunt 1. ut rem locatam in alium uſum non convertat, niſi de quo conventum eſt. 2. Ut rem locatam non deſerat ante finitum locationis tempus, niſi juſta cauſa coactus, quo caſu tenetur monere locatorem. 3. Ut re locata utatur in bonum patrisfamilias, & reddat eam locatori bene conſtitutam, nec ex culpa ſua deterioratam. 4. Ut exacte & tempore convento ſolvat pretium locationis. Hæc omnia concordant cum doctrina S. Antonini part. 2. Tit. 1. §. 6.

5. Locatarius non ſolum tenetur de propriis factis, ſed etiam de factis ſuorum, ut ſublocatariorum, domeſticorum, liberorum & ejusmodi.

6. Si res fuit locata ſeparatim, & diverſo tempore diverſis perſonis, tunc ea, quæ prior poſſeſſionem adiit, præferen-

ferenda eſt alteri; quæ tamen habet actionem adverſus locatorem.

7. Poteſt quis locare rem, cujus dominium non habet; ſemper tamen manet obligatio erga locatorem primarium rei dominum.

8. Qui ſemet ipſum aut operam ſuam locat, tenetur præſtare operam & laborem, usque dum impleverit ea, ad quæ ſe obligavit, niſi id impediat interveniens caſus fortuitus.

9. Locatio adhuc ſubſiſtit poſt mortem locatoris, ſicut & locatarii, tenenturque utriusque hæredes conditiones & leges locationis adimplere. Hactenus dicta concernunt locationem rerum non fructificantium.

10. Eſt autem & alia locatio rerum fructificantium; & inter has aliæ fructificant per cultionem, ut agri, vineæ &c. aliæ ſine cultione, ut ſilvæ cæduæ, prata, ſtagna &c. Quia fructus fundi locati ſunt incerti, in contractu locationis ratio habenda eſt tam ſpei multos percipiendi fructus, quam periculi exiguos colligendi. Et hanc ob cauſam locator & conductor convenire poſſunt, ut hic ab illo nullam diminutionem pretii in contractu taxati petere poſſit, ſi in anno ſterili nullos aut exiguos tantum fructus percipiat.

11. Locator obligatur, ſicut in omni alia locatione, liberam rei locatæ poſſeſſionem conductori procurare ſub pœna ſolvendi id, quod in conventione taxatum, aut alias pro lucro ceſſante & damno emergente determinatum fuerit. Ad idem tenetur, ſi evicta poſſeſſione locatarius eiiciatur. Si locator fundum locatum vendat, locatio ſublata eſt propter mutationem domini; & ſi emptor expellat conductorem, huic competit regreſſus ad locatorem pro compenſatione lucri ceſſantis & damni emergentis. Elapſo locationis termino ſi conductor cum conſenſu locatoris continuat uſum rei locatæ, locatio renovata cenſetur ad certum tempus, & vocatur *tacita reconductio*; tempus autem iſtud ad minimum extenditur ad annum, vel amplius, pro arbitrio ſcilicet contrahentium, aut juxta conſuetudinem communiter receptam. Verum in hoc caſu nec cenſetur renovari ac prorogari cautio, quam fors præſtitit conductor locatori pro ſecuritate pretii annuatim ex conventione ſolvendi, nec hypotheca locatoris in bonis locatarii, ita ut locatori nil ſuperſit niſi hypotheca naturalis in fructibus ex fundo ſuo provenientibus.

12. Quod attinet ad obligationes conductoris erga locatorem, 1o. tenetur ille fundo locato frui tanquam bonus

œconomus, omnem præcavere deteriorationem, & omnia in contractu conventa exacte adimplere. Sic non poteſt conferere agros, quibus ſecundum leges œconomicas quies indulgenda, nec ſeminare frumentum, ubi non niſi grana minuta ſpargenda ſunt. 2°. Quando in locatione ad plures annos inita vi contractus locatori pecuniæ loco certa fructuum portio perſolvenda, conductor omnes prorſus ſumptus ferre debet neceſſarios ad hoc, ut locatori ſatisfiat; & cum ejusmodi locatio participet de natura ſocietatis, in quo contractu utrinque fortunæ quidpiam committitur, locatarius quoad ea, quæ locatori præſtanda ſunt, etiam caſus fortuitos præſtare tenetur, quin a locatore compenſationem damni petere poteſt, etſi fundus nullos omnino fructus protulerit. Sed cum locatio ſolum ſit ad annum, & quidem pro ſumma pecuniæ, conductor ab obligatione ſolvendi taxatum pretium eximitur, ſi nullos prorſus fructus percipit caſu fortuito, v. g. ob enorme frigus, gradinem, inundationem aut irruptionem hoſtium; niſi conductor in contractu locationis ad hoſce caſus ferendos ſe ſe obſtrinxiſſet. 3°. Cum fundi conductor in locatione ſolum ad annum facta modicam tantum jacturam patitur, ſive ea ex parte quantitatis ſive ex parte qualitatis fructuum ſe teneat, non poteſt petere diminutionem pretii, quod locatori perſolvere tenetur. Si autem damnum eſſet notabile, juſtitia & æquitas poſtulat, ut locator quamdam locatario diminutionem concedat, quæ vel per mutuam utriusque conventionem, vel a judice, vel ab indifferente arbitro determinari poterit, etſi locatio ad plures annos perſiſteret. Si conductor cultionem fundi locati negligat, locator eum perſequendi jus habet pro reparatione lucri ceſſantis & damni emergentis.

13. Locator tenetur locatario compenſare meliorationes in fundo factas, ad quas aliunde vi contractus non obligabatur, v. g. ſi plantavit ſilvam cæduam, aut vineam in loco quodam ſterili, aut ædificavit horreum vel ſtabulum, aut alia præſtitit, ex quibus conſtantes fundi redditus augeantur.

14. Locatio pecorum denique eſt contractus, quo certus pecorum numerus villico alendus traditur cum dimidia lucri parte. In hoc contractu villicus ſe obligat ad reddendum finito locationis termino eundem pecorum numerum, ejusdemque pretii, quo accepit, aut pretium æquivalens, ſi locator compenſet periculum, quod conductor in ſe recepit.

CA-

CASUS I. Laurentius locavit Januario viginti agrorum jugera ad quinque annos. Anno tertio agri penitus vaſtati ſunt extraordinaria inundatione, vel grandine ſata deſtruente, aut magna ſterilitate facti ſunt infrugiferi. Teneturne Laurentius ferre damnum, aut poteſt illud transferre in Januarium?

℞. Cenſeo, Laurentium in conſcientia obligari ad ferendum damnum, caſu mere fortuito illatum, niſi illud Januario jam antea magna annorum præcedentium fertilitas compenſaſſet, aut ſubſequentium duorum annorum abundantia poſſet compenſare *Greg. IX. in c. Propter* 3. de locato & conducto *l.* 3 *t.* 18. Concedendum tamen cum Paponio *Tom.* 1. *Lib.* 2. quod ordinarie conductori non permittatur diminutio, quando contractus ad tres annos, & multo magis, quando ad quinque annos fuit initus, quam ſententiam etiam ſequitur *Author conferentiarum Condomenſium. Tom. Conf.* 9. *ſect* 2. Obſervandum quoque eſt, quod potuerit locatarius & locator de contrario convenire: Hucusque dicta ſolum intelligenda ſint de locatione pro pretio pecuniario facta: ſi enim locator & locatarius conveniſſent de fructuum partitione, aut de commodi & damni communione, locatarius juxta Leg. *Si merces.* 15. §. 6. nullam haberet jus exigendi a locatore indemnitatem *Pontas.*

CASUS II. Euſtaſius locavit Bernardo prædium ad ſex annos, & vi contractus cum illo convenit de ſolvenda integra ſumma, non obſtantibus caſibus fortuitis, qui evenire poſſent. Poſt quatuor annos bellum ſupervenit, omnesque fructus duorum dierum ſpatio conſumpti ſunt a militibus. Bernardus non obligari ſe ad ſolvendam ſummam annuam prætendit. An jure?

℞. Clauſulæ conventioni appoſitæ non nimium extendendæ, ſed quoad ſenſum limitandæ ſunt. Inter caſus fortuitos in contractu comprehenſos connaturaliter intelligi non niſi illi debent, qui temporum injuria eveniunt, non vero illi, qui evenire poſſunt facto aut malitia hominum. Bernardus igitur juſte petit indemniſationem de caſu fortuito; cum præſupponendum non ſit, eum habuiſſe intentionem ſe obligandi ad talem eventum, de quo in propoſito caſu agitur, & de quo ipſe non cogitabat; nec etiam præſumendum, quod Euſtaſius voluerit comprehendere illum caſum fortuitum. *Domat, Leges Civiles in ordine ſuo naturali. l.* 1. *c.* 4. *Sect.* 4. *n.* 6. *Pontas.*

CASUS III. Vandelbertus locavit Aquidano prædium ad quinque annos, Poſteaquam meſſis horreo illata fuit, ignis de

de cœlo eam in horreo abſumpſit. Aquidanus exigit à Vandelberto, ut ſibi remittat medietatem annui pretii in contractu promiſſi. Teneturne in conſcientia Vandelbertus Aquidani petitis aquieſcere?

℞. *Res perit Domino*, ut habet regula juris. Dum fructus adhuc inhærent agro, Dominus fundi ferre debet partem damni; quia tunc fructus cenſentur aliquo modo eſſe pars fundi; & quia locatarius in contractu ſe non obligavit ad ſolvendum pretium, de quo cum Domino fundi convenerat, niſi ob perceptionem fructuum. Aſt quando frumentum jam eſt meſſum, ab agro abductum & horreis invectum, ejusdem Dominus eſt ſolus locatarius cum obligatione ſolvendi pretii, quod Domino fundi ſoluturum ſe promiſerat. Unde ſequitur, in rigore juris totum damnum ferendum eſſe Aquidano: charitas tamen & æquitas exigunt, ut Vandelbertus ſubeat partem jacturæ; cum alias ex hoc graviſſimo damno fortuna Aquidani fors penitus collaberetur. Specialiter obſervandum hic venit, quod lex & conſuetudo conductori non concedant jus ac privilegium exigendi diminutionem emergente caſu fortuito, niſi relate ad fructus induſtriales, ſeu illos, qui cultione, opera ac labore hominum producuntur; non autem relate ad fructus naturales, qui ſine cultione producuntur, ut ſunt v. g. fœnum & arbores ſilveſtres. *Pontas.*

Nota. Si horreum jure proprietatis pertinet ad locatarium, nulla illi debetur compenſatio, ne quidem ex parte.

CASUS IV. Odo locavit Landrico prædium ad quinque annos pro ſumma 200. florenorum ſingulis annis perſolvenda. Landricum tamen in prædii poſſeſſione Godefridus turbavit, eumque, quo minus re locata frui poſſet, impedivit. Poteſtne Landricus convenire Odonem de remittendo locationis pretio, ac de damno & intereſſe?

℞. Si Odo ad impediendam turbationem & violentiam Godefridi non omnia confert, cum tamen poſſet, damnum pretii in ipſum recidit, teneturque omne damnum & intereſſe Landrico reſarcire, quod per quinque locationis annos percipere potuiſſet. Si vero Odo violentiam hanc impedire aut non poteſt, aut non tenetur, ad nihil amplius quam ad remittendum locatario pretium locationis pro ratione temporis, quo in poſſeſſione turbatus eſt, non vero ad reſarcienda emolumenta obligatur, quæ Landricus percipere potuiſſet, ſi in poſſeſſione turbatus non fuiſſet. Ita Domat ibid. Sect. 9. n. 6. *Pontas.*

CA-

CASUS V. Patroclus locavit domum ſuam Sylvano, quem inter & ejus vicinum liti implicitos rixæ oriebantur. Vicinus ulturus ſeſe injecit ignem horreo domus Sylvano locatæ, quæ & una cum frumentis conſumpta eſt. Patroclus jam vult Sylvanum obligare ad reædificandam domum. Cui ferendum damnum ?

℟. Conductor tenetur reſarcire damnum ex culpa ſua in re locata ortum ; inimicitia autem Sylvani cauſa eſt damni illati. Ita decidit hunc caſum, nullo amplius relicto deſuper dubio, Lex *Si merces.* 25. §. 4. ff. Lib. 19. Tit. 2. dum ait : *Culpæ autem ipſius* (conductoris) & *illud adnumeratur, ſi propter inimicitias ejus vicinus arbores exciderit. Pontas*, Vide Caſ. 19.

Nota. Si cauſa litis ex parte Sylvani non eſt injuſta, aut ne quidem ulla veroſimili ſuſpicione connexa cum periculo aut timore tam extraordinariæ vindictæ, locatarius non tenetur ad compenſandam domum.

CASUS VI. Proſper locavit Benigno viginti quatuor jugera ad novem annos hac conditione, ut locatori ex re locata ſolvantur frumenti centum viginti modii. Anno ultimo tanta erat ſterilitas, ut Benignus pene nihil collegerit. Quare a Proſpero ſaltem aliquam compenſationem petit tam pro ſemente quam pro labore ; Proſper vero eam denegat. Num jure denegat ?

℟. Non videtur, Proſperum obligari poſſe ad præſtandam Benigno aliquam indemniſationem ; quia, dum locatio inita fuit ad tempus tam longum, & quidem non pro pecunia, ſed pro certa fructuum portione, & intra quosdam hos annos damna etiam notabilia per caſus fortuitos ordinarios, in re locata contigerint, illa locatarius, non locator ferre debet. Id genus locationis habet quamdam ſpeciem ſocietatis locatorem inter & locatarium. Benignus igitur vi contractus tenetur Proſpero ſolvere quantitatem frumenti, de qua conventum eſt. *Pontas.*

Nota. Eo ipſo, quod locatio referat quamdam ſpeciem ſocietatis, lucra & damna æqua proportione dividenda ſunt.

CASUS VII. Geofredus locavit Vincentio ad ſeptem annos quadraginta quinque jugera terræ arabilis. Cum autem conductor ſingulis annis hos agros frumento conſerere vellet, Geofredus ſe opponit. Poteſtne absque injuſtitia hunc Vincentio obicem ponere ?

℟. Si

℟. Si in contractu locationis conventum, vel generalis loci conſuetudo eſt, ut agri datis per duos annos fructibus tertio anno quieſcant, Vincentius non poteſt agros locatos ſingulis annis conſerere, & Geofredus huic ipſius conſilio juſte obnititur. *Conductor omnia ſecundum legem conductionis facere debet; & ante omnia colonus curare debet, ut opera ruſtica ſuo quoque tempore faciat, ne intempeſtiva cultura deteriorem fundum faceret.* Leg. *Si merces.* 25. §. 3. ff. Lib. 19. Tit. 2. Et Juſtinianus Lib. 1. Inſtit. Tit. 2. §. 9. ait: *Diuturni mores conſenſu utentium comprobati legem imitantur. Pontas.*

CASUS VIII. Gratianus locavit Bertino prædium ad quinque annos pro ſumma 300. florenorum quotannis ſolvenda. Bertinus abſque juſſu Gratiani proprio ex arbitrio notabiles fecit meliorationes. Finito autem locationis termino Gratianus eam prorogare renuit; imo & ſumptus in meliorationes factos locatario compenſare recuſat. Num jure?

℟. Si Bertinus vi contractus ad faciendas has meliorationes tenebatur, Gratianus jure recuſat compenſationem ſumptuum. Si vero vi contractus non tenebatur Bertinus meliorare prædium, & ex factis meliorationibus annui redditus prædii aucti fuerint, Gratianus ad compenſandas meliorationes obligatur. *In conducto fundo*, ait Lex *Dominus.* 55. §. 1. ff. Lib. 19. Tit. 2. *ſi conductor ſua opera aliquid neceſſario vel utiliter auxerit, vel ædificaverit, vel inſtituerit, cum id non conveniſſet; ad recipienda ea, quæ impendit, ex conducto cum domino fundi experiri poteſt.* Ita etiam docet Domatus Lib. 1. Tit. 2. Sect. 10. n. 17. *Pontas.*

CASUS IX. Cœleſtinus locavit domum ſuam Martino ad quinque annos pro annuo pretio 500. florenorum; & Martinus ſublocavit eam Januario pro 600. florenis. Elapſo anno Cœleſtinus domum ſuam reparaturus & amplificaturus repetit eam a Martino; qui autem compenſationem damni exigit. Jurene?

℟. Si urget gravis neceſſitas reparandi domum, locatarius eam cedere tenetur locatori, quin ullam prætendere poſſit indemniſationem. Si autem raparatio non fuit abſolute neceſſaria, locator tenetur locatarium indemnem reddere juxta leg. *Qui inſulam.* 30. ff. Lib. 19. Tit. 2. Si tamen reparatio domus fieri poſſet abſque gravi locatarii incommodo, nec propterea diſcedere cogeretur, æquitas poſtulat, ut locatarius nullam petat indemniſationem. *Pontas.*

Nota. Sublocationes non ſunt licitæ ſine conſenſu locatoris.

CA-

CASUS X. Ariſtomenes locavit Baſilio domum ſuam ad quinque annos. Paulo poſt menſem vicinus exſtruit murum tantæ altitudinis; ut domui locatæ omnis præriperetur proſpectus, & influentia lucis notabiliter præpediretur. Baſilius igitur petit reſciſſionem contractus, vel compenſationem ferendo incommodo æquivalentem, quod utrumque recuſat locator. An cum fundamento recuſat?

℟. Locator ſine injuſtitiæ nota competentem indemniſationem, aut petitam contractus reſciſſionem denegare non poteſt. *Si vicino ædificante*, ait L. Si merces. 25. § 2. ff. Lib. 19. Tit. 2. *obſcurentur lumina cœnaculi, teneri locatorem inquilino. Certe, quin liceat colono, vel inquilino relinquere conductionem, nulla dubitatio eſt. De mercedibus quoque, ſi cum eo agatur, reputationis ratio habenda eſt.* Id ipſum docet Domatus l. c. L. 1. Tit. 4. Sect. 3. n. 6. *Pontas.*

CASUS XI. Chriſtophorus homo dives ac potens locavit Jacobo domum ſuam ad ſex annos, quam tamen cum poſt annum ipſemet occupare ſtatuiſſet, poſtulat a Jacobo facti contractus reſciſſionem. Jacobus pauper opifex, litem ſibi intendandam timens, non obſtante notabili damno ſuo cedit domo. An locator non tenetur indemnem ſervare locatarium?

℟. Si Chriſtophorus bona fide & juſta ex cauſa ipſe vult inhabitare domum ſuam, poteſt locatarium etiam authoritate judicis compellere ad eam reddendam. Ratio eſt; quia proprietarius non elocat rem ſuam, niſi quia ipſemet ad uſum proprium ea non indiget, & ſub tacita conditione, quod locatarius eam cedere teneatur, quam primum locator ipſe ea indiguerit, ut habetur L. *Æde.* 3. Cod. Lib. 4. Tit. 65. Si tamen Chriſtophorus in contractu locationis expreſſe renunciaſſet juri ſuo recipiendi rem locatam in caſu propriæ indigentiæ, absque injuſtitia non poſſet Jacobum domo expellere ante finitum locationis terminum, ut habetur L. *Si quis,* 29. Cod. Lib. 2. Tit. 3. *Pontas.*

Nota. Si cauſa inhabitandi perſonaliter domum propriam non poterat facile prævideri, locator licite eiicit locatarium, dummodo eum juxta leges & æquitatis & charitatis ſatis mature moneat. Si autem cauſa facile prævideri potuit, illi tacite in contractu locationis renunciatum fuiſſe cenſendum eſt.

CASUS XII. Rochus domum ſuam ad octo annos Paſchali locatam elapſis tribus ab incepta locatione annis vendidit Juliano. An Julianus in conſcientia tenetur expectare, usquedum locatio ad finem pertrahatur?

℟. Lo

℟. Locatio non ſolum expirat finito tempore, pro quo fuit inita, ſed etiam dum fundus locatus tranſit ad alium Dominum; nam qui titulo emptionis aquirit dominium rei locatæ, non tenetur ſervare contractum venditorem inter & conductorem initum, ut lex *Emptorem.* 9. Cod. Lib. 4 Tit. 65. clare decidit, dum ait: *Emptorem quidem fundi neceſſe non eſt ſtare colono, cui prior Dominus locavit; niſi ea lege emit.* Idem dicendum de hærede particulari locatoris, qui non repræſentat perſonam defuncti, ſicut hæres univerſalis. Et ob eandem rationem, qui ſuccedit in Beneficium vacans per mortem vel reſignationem, non tenetur continuare conductori locationem fructuum beneficialium a ſuo prædeceſſore factam. Poteſt tamen locatarius ab emptore expulſus juxta leg. *Si merces.* 25. §. 1. ff. Lib. 19. Tit. 2. convenire venditorem domus locatæ de damno per locationis interruptionem illato. *Pontas.*

CASUS XIII. Ennius locavit domum ad ſex annos pro ſumma 100. florenorum annuatim ſolvenda. Primo autem poſt initum contractum menſe moritur. Poteſtne hæres illius abſque violatione juſtitiæ obligare locatarium ad dimittendam domum? Num locatarius tenetur deſiſtere a contractu?

℟. Cum hæres eadem cum defuncto perſona eſſe reputetur, iisdem obligationibus erga conductorem obſtringitur, quas per contractum in ſe ſuſcepit Ennius; manetque contractus in pleno ſuo vigore. Hinc nec hæres locatarium ante lapſum ſex annorum expellere, nec locatarius pro ſua voluntate & arbitrio a contractu poteſt deſiſtere. *Pontas.*

CASUS XIV. Philemon locavit Enguerrando domum ſuam ad terminum quinque annorum pro pretio annuo 250. florenorum loco 400. quos juſte exigere potuiſſet; ea tamen conditione, ut, ſi domus periret caſu fortuito, Enguerandus eam reædificare teneretur. Poteſtne Philemon vi hujus conventionis in conſcientia obligare Enguerrandum ad reædificandam unam partem domus ad finem tertii anni caſu fortuito collapſæ?

℟. Lex *Si quis.* 9. §. 2. ff. Lib. 19. Tit. 2. omnino patrocinatur Philemoni: *Julianus dicit, ſi quis fundum locaverit, ut, etiamſi quid vi majori accidiſſet, hoc ei præſtaretur, pacto ſtandum eſſe.* Hinc Philemon poteſt obligare Enguerrandum, ut conventionem initam adimpleat. Sublata autem ſpeciali conventione certum eſt, quod locator teneatur ferre periculum rei locatæ juxta regulam: *Res perit Domino*

rei;

rei; quia locator nunquam transfert dominium rei in locatarium, ſed ſemper manet Dominus rei locatæ. *Pontas.*

CASUS XV. Franciſcus domum poſſidet in platea civitatis parum frequenti, & per octodecim jam menſes non invenit, cui eam locare poterat, licet aliud ſuſtentandi ſe remedium non haberet. Tandem Lucina, quam peſſimæ vitæ fœminam eſſe novit, qualis etiam publice fuit habita, oblato liberali pretio petit ſibi domum locari. Poteſtne eidem domum locare ſine læſione conſcientiæ, ut ſaltem neceſſariam ſuſtentationem aquirat?

℟. Non poteſt Franciſcus ſine gravi peccato domum locare huic mulieri: idem enim eſſet juxta S. Raymundum in Sum. Lib. 2. Tit. de negot. ſæcular. §. 6., ac ſi quis venderet aut commodaret gladium illi, quem ſcit, aut ſaltem rationabiliter judicare poteſt., illo uſurum eſſe ad duellum. Ex eadem ratione S. Carolus Borromæus confeſſarios docet, abſolutionem non eſſe impertiendam illis, qui domos habent aliis paratas ad luſum chartarum aut alearum, niſi prius peſſimæ huic praxi renuncient. Jam ſi ille peccat, qui domi ſuæ conventus luſorios inſtituit, quanto magis & atrocius peccabit ille, qui domum elocat mulieri pravæ ad exercitium deteſtabilis commercii? Huic reſponſioni concordat etiam Novella 14. *De lenonibus.* §. *Præconizamus.* Coll. 3. Tit. 1. Si tamen Princeps aut Magiſtratus, ut advertit Sylvius in 2. 2. q. 77. art. 4. quæſit 1. concluſ. 5. ejusmodi proſtitutis mulieribus pro habitatione concederet certum in civitate locum aut plateam, poſſeſſores domorum, qui in hoc caſu alios conductores non reperirent, poſſent absque peccato domos ſuas locare hisce fœminis, ut ex redacto locationis pretio ſuis proſpiciant neceſſitatibus; dommodo peſſimam perditarum mulierum vitam ſincere deteſtentur. *Pontas.*

CASUS XVI. Clemens partem domus ſuæ, quam ipſe inhabitat, locavit cuidam fœminæ, quam honeſtam exiſtimabat, eam tamen brevi noverat infame exercere commercium, ſecreto autem & absque ſcandalo. An nihilominus eam domo expellere inconſcientia tenetur?

℟. Tenetur in conſcientia eam ejicere; id quod pluribus legibus probari poſſet, niſi aliunde jam veritas hujus reſponſionis pateſceret. An non aperte favet ſceleri, qui apud ſe retinet, quos novit eſſe ſceleſtimos? An poſſibile foret vero Chriſtiano ſine rubore defendere, ſub quocumque demum prætextu poſſe a ſe protegi homines, quorum vita turpis, infamis ac ſcelerata? *Pontas.*

Nota. Si illud turpe commercium adeo occultum eſt, ut judicialiter ac convincenter probari non poſſit, non tenetur inutili ſe miſcere litigio. Tenetur tamen extrajudicialiter monere judicem & parochum, ut vigilent, & perſonam ream, ut ſe corrigat.

CASUS XVII. Hilarius non niſi uſumfructum domus cujusdam habens, eam locat Juliano, qui notabiles in reparatione ejuſdem & amplificatione expenſas fecerat. Habetne Julianus, defuncto ante locationis finem Hilario, jus repetendi a Domino domus factas expenſas?

℞. Non habet jus petendi compenſationem expenſarum: cum enim ultro voluerit in ſe recipere periculum damni, non eſt, cur conqueratur. Hoc expreſſe deciditur in jure, ubi L. *Si quis.* 9. §. 1. ff. Lic. 19. Tit. 2. ait: *Si fructuarius locaverit fundum in quinquennium, & deceſſerit, hæredem ejus non teneri, ut frui præſtet.* Sic ſentit & Author *Conferentiarum Condomienſium* Tom. 1. Conf. 9. ſect. 1. *Pontas.*

CASUS XVIII. Damaſus proprietarius cujusdam domus ſitæ in ſuburbio, eam pro ſumma 200. florenorum locavit ad annum Balduino; qui metuens, ne exorta in urbe contagio etiam ſuburbium arriperet, poſt ſex menſes ab inchoata locatione domum deſerit, miſſis Damaſo 100. florenis pro anni dimidio, quin tamen de ſuo diſceſſu eum prius monuerit. Damaſus autem integram in conventione pro toto anno pactam ſummam exigit. Teneturne Balduinus in conſcientia reliquos 100. florenos ſupplere?

℞. Si Balduinus potuit locatorem de ſuo diſceſſu commonefacere, & id neglexit, tenetur Damaſo ſolvere integram 200. florenorum ſummam, maxime ſi Damaſus pro altero anni dimidio alium locatarium non invenit. Si vero abſolute non potuiſſet locatori indicare diſceſſionem ſuam, ut contingere poſſet in repentino incurſione hoſtium, quorum violentiæ reſiſtere nequiret, non tenetur integram locationis ſummam ſolvere. Ita habetur L. *Item.* 13. §. 7. ff. Lib. 19. Tit. 2. Et L. *Habitatores.* 27. §. 1. ibidem. *Pontas.*

CASUS XIX. Cyprianus locavit domum ſuam Gilberto; ſed notabilem ejusdem partem ignis abſumpſit. Cuinam eorum ferendum eſt damnum?

℞. Si ignis domum corripuit ex culpa Gilberti, vel domeſticorum aut ſublocatariorum ejus, ſi quos habet, vi omnium legum damnum incumbit Gilberto, ſalvo tamen ipſi recurſu contra domeſticos aut ſublocatarios, ex quorum culpa immediate damnum accidit. Si vero incendium absque illius aut ſuorum culpa contigit, v. g. fulmine, hoſtium

ſtium invaſione tempore belli, aut malitia cujusdam particularis incendiarii, damnum recidit in Cyprianum locatorem. Eodem modo diſcurrendum eſt de omnibus aliis rebus locabilibus, exceptis iis, quarum valor in ipſo contractu locationis taxatus eſt, ut ſi mihi locatus fuit equus, & conveni cum locatore de æſtimatione equi, v. g. de octoginta florenis; ſi equus pereat caſu etiam fortuito, teneor præſtare æſtimationem equi, nempe octoginta florenos, ut habetur L. *Si ut certo.* 5. §. 3. ff. Lib. 13. Tit. 6. *Si forte res æſtimata data ſit, omne periculum præſtandum ab eo, qui æſtimationem ſe præſtaturum recepit.* Ratio eſt; quia æſtimatio habet rationem venditionis, eidemque æquivalet, *Pontas.*

CASUS XX. Altinus architectus ſuam Demetrio locavit operam ad ædificandam domum, &, dum inchoati operis vix jecit fundamenta, moritur. Poteſtne Demetrius in conſcientia obligare hæredes Altini ad executionem contractus cum ipſo initi?

℟. Jus Romanum decidit hunc caſum in favorem Demetrii: habetur enim manifeſte L. *veteris.* 13. Cod. Lib. 8. Tit. 38. quod omnia promiſſa ſive aliquid dandi ſive faciendi, vel mixta ſimul dandi & faciendi tranſeant ad hæredes; quin neceſſarium ſit, ut in conventione expreſſa hæredum ſiat mentio. Ex eadem ratione etiam Altinus, ſi Demetrius moreretur, antequam ædificium fuiſſet perfectum, haberet actionem adverſus hæredes defuncti, eosque compellere poſſet ad ſervandum contractum cum Demetrio initum. *Generaliter ſancimus*, ait lex citata, *omnem ſtipulationem ſive in dando ſive in faciendo, ſive mixta ex dando & faciendo inveniatur, & ad hæredes & contra hæredes transmitti, ſive ſpecialis hæredum fiat mentio, ſive non. Pontas.*

CASUS XXI. Ariſtus operam ſuam locavit Petro ad cedenda duo vel tria jugera ſilvæ cæduæ pro novem florenis; quia laborem hunc intra dies viginti quatuor abſolvi poſſe crediderat. Cum vero ſilva eſſet admodum denſa, proceris que arboribus refertiſſima, integros triginta ſex dies conſumpſit. Teneturne Petrus in conſcienta ſolvere Ariſto lucrum, quod alibi intra duodecim hos dies laborando ſibi comparare potuiſſet?

℟. Non patrocinatur Petro in hoc caſu error & ignorantia operarii, qui in contractu intervenit. *Si quis per dolum obligatus eſt*, ait L. *Si quis.* 36. Lib. 45. Tit. 1. *competit ei exceptio. Idem eſt, & ſi nullus dolus interceſſit ſtipulantis, ſed ipſa res in ſe dolum habet.* Tenetur ergo Petrus ad ſupplendum

dum id, quod Ariſtus exigit. Si tamen Petrus in contractu expreſſe declaraſſet, ſe non plus ſoluturum, quantumcumque demum temporis inſumat operarius; aut ſi hic temporis injuria aut caſu fortuito fuiſſet compulſus plures impendere dies, quam ad perficiendum opus neceſſarios crediderat, Petrus non teneretur augere conventum pretium. Ratio eſt; quia & operarius, ſi favente tempore & fortuna intra pauciores dies confeciſſet opus, non teneretur locatori quidpiam remittere de convento pretio, ut advertit Author *Conferentiarum Condomienſium* Tom. 1. Conf. 9. ſect. 2. *Pontas.*

Nota. Cum locatio pertineat ad contractus bonæ fidei, univerſim judicandum eſt juxta intentionem contrahentium rationabiliter præſumptam, ſi de caſu inopinato fuiſſet cogitatum.

CASUS XXII. Fulonius conduxit decem operarios ad colligendam meſſem ad unam ſeptimanam pro octodecim crucigeris cuilibet per diem ſolvendis. Sed ex improviſo iter alio facere coactus, his operariis nullum impoſuit negotium; qui itaque primum diem ſine labore tranſegerunt, identidem illius reditum expectantes. Fullonius reverſus ſequentibus diebus illos labori adhibuit; ſed finita ſeptimana noluit illis mercedem ſolvere pro primo die. An non peccat contra juſtitiam?

℞. *Qui operas ſuas locavit*, ait Lex *Qui operas.* 38. ff. Lib. 19. Tit. 2. *totius temporis mercedem accipere debet; ſi per eum non ſtetit, quo minus operas præſtet.* Et hinc integram Fullonius etiam pro primo die illis mercedem dare in conſcientia tenetur; cum penes ipſum ſteterit operariis ante abitum ſuum laborem deſignare. Adnotandum hic, quod ſi operarii iſti eo die alteri laboraſſent, mercedem illius diei a Fulonio exigere non poſſent; eoquod ſic nullum incurriſſent damnum. Imo ſi accepta jam anticipato mercede ultro laborare noluiſſent, obligarentur ad reſtituendam locatori acceptam pecuniam, & compenſandum damnum illi fors illatum. *Pontas.*

CASUS XXIII. Matthias ad annum conduxit Octavianum pictorem pro mercede 200. florenorum præter victum & habitationem, ea conditione, ut ſibi certum tabularum numerum elaboraret. Poſt ſex menſes Matthias picturæ tædio affectus ſolvit Octaviano 100. florenos, eumque dimittit; quamvis nec in perſona pictoris nec in operibus elaboratis quidquam fuerit reprehendendum. Teneturne Matthias ad ſolutionem integræ ſummæ 200. florenorum?

℞. Si Octavianus hos ſex menſes, pro quibus Matthiæ ſe locaverat, abſque labore debuit inſumere, Matthias tenetur ipſi integram ſummam pro toto anno ſtipulatam perſolvere; cum abſque legitima cauſa eum dimiſerit. Ratio eſt; quia in contractu locationis contrahentes in conſcientia obligantur ad id fideliter ſervandum, de quo invicem conventum eſt, quin parti alterutri conventionem violare liceat; id quod leges conſtanter urgent. *Cum per te non ſtetiſſe proponas*, ait Lex *Sed addes.* 19. §. 9. ff. Lib. 19. Tit. 2. *quo minus locatas operas ſolveres, ſi eodem anno mercedes ab alio non accepiſti, fidem contractus impleri æquum eſt. Pontas.*

CASUS XXIV. Faronius vector nauticus ab Hieronymo fuit conductus ad transportandas Pariſiis Rothomagum quatuor columnas marmoreas pro ſumma 25. florenorum. Sed navem ad portum exonerans unam confregit. Cuinam ferendum eſt damnum?

℞. Si columna confracta eſt culpa Faronii, aut eorum, quorum opera ad exonerandam navem uſus eſt, damnum illi ferendum eſt. Si vero tam ipſe quam coadjutores ejus omnem curam ac cautelam adhibuerunt, quæ a diligentiſſimis ac expertiſſimis quibusque ſperari poteſt, de damno non tenetur. Ita proponitur ac deciditur hæc quæſtio Leg. *Si merces.* 25. §. 7. ff. Lib. 19. Tit. 2. *Pontas.*

CASUS Michael ſuſcepit in ſe curam aſſervandi equum Claudii pro mercede 2. florenorum per menſem. Verum equus a paſcuis non nihil longius diſſitis noctu furto ablatus eſt. Tenetur Michael equi pretium ſolvere Claudio?

℞. Non eſt dubium, quin de damno equi teneatur Michael; cum omnem curam ſuam ac diligentiam in conſervatione equi pro mercede locaverit: *Qui mercedem accipit pro cuſtodia alicujus rei*, ait Lex *Qui mercedem.* 40. ff. Lib. 19. Tit. 2. *Is hujus periculum cuſtodiæ præſtat.* In ejusmodi caſu a præſtatione damni non eximitur, niſi qui omnem curam pro conſervatione rei adhibet, quam diligentiſſimus quisque adhibere ſolet ac poteſt; Michael autem eam curam non adhibuit, dum equum in paſcuis non nihil remotioribus noctu reliquit. *Pontas.*

Nota. Si conſuetudo loci fuit equos de nocte relinquendi in paſcuis, eamque ſcivit Claudius, nec tamen cum Michaele convenit, ne id fiat, damnum ferendum eſt Claudio.

CASUS XXVI. Sabinianus pauper adoleſcens, alia vitam ſuam ſuſtentandi media non habens, offert ſe Gualterio, inſtanter flagitans, ut in ipſius reciperetur famulitium, pro-

 mittit-

mittitque, ſe tantum ſervitii præſtiturum pro annua mercede decem florenorum, quantum ipſi præſtant alii, quibus viginti florenos perſolvit. Poteſtne Gualterius absque injuſtitia pro decem florenis famulum conducere Sabinianum; quin dici poſſit, ab eo neceſſitatem alienam in ſuum converti commodum?

℞. Inter contractum locationis & contractum emptionis ac venditionis magna intercedit ſimilitudo: *locatio & conductio*, ait Juſtinianus Inſtit. L. 3. Tit. 25. *proxima eſt emptioni & venditioni, iisdemque juris regulis conſiſtit.* Jam vero certum eſt juxta D. Thomam 1. 2. q. 77. art. 1. C. quod absque injuſtitia non poſſit aliquid emi minoris, ac valet, ſicut non poteſt vendi ultra juſtum pretium. Ex hoc principio concludi poteſt, quod, ſi Gualterius indiget famulo, ab eoque exigit ſervitium, quod præſtat alius pro mercede viginti florenorum, minorem Sabiniano mercedem dare ſalva conſcientia non poſſit; nec eſſet magis excuſabilis ac ille, qui emit rem dimidio minoris, quam valet; quia venditorem dira cogit neceſſitas rem ita venalem exponendi, ut cito obtineat numeratam pecuniam, qua ſummopere indiget. Nihilominus ſi Gualterius conduceret Sabinianum, tantum ut illi gratiam faceret, eoque facile carere poſſet, non teneretur in hoc caſu majus illi dare ſalarium. Ratio eſt; quia juſtus valor ſalarii ſervo debiti non præciſe æſtimandus eſt ex natura ſervitii præſtiti, ſed etiam ex utilitate, quæ in conductorem redundat. *Pontas.*

Nota. Sicut in contractu emptionis ac venditionis datur triplex pretium, *ſummum*, *medium* & *infimum*; ita etiam in contractu locationis idem diſcrimen admittendum eſt.

CASUS XXVII. Saturninus duobus equis ad currum mercibus onuſtum Norimbergam avehendum indigens, adit Landricum equorum locatorem. Sed melioris licitationis faciendæ gratia fingit, ſe uno indigere pro ſe, & altero pro famulo ſuo ad iter paucos intra dies Francofurtum inſtituendum, & convenit cum Landrico de ſolvendo dietim ſesquifloreno. Saturninus autem locatos equos adhibet ad currum avehendum. An id licet ſine expreſſo locatoris conſenſu? Et poſito, quod non liceat, an tenetur locatori ad aliquam reſtitutionem?

℞. Generalis regula eſt, quod conductor rem locatam ad determinatum uſum non poſſit adhibere ad alium uſum ſine conſenſu locatoris, aut ſine juſta ratione præſumendi conſenſum ipſius, ſi peteretur. Hinc Saturninus peccavit contra juſtitiam & fidelitatem, teneturque Landrico ad legitimam compenſationem. *Sive creditor pignore utatur*, inquit Imperator Inſtit. Lib. 4. Tit. 1. §. 6. *ſive is, qui rem utendam accepit, in alium uſum transferat, quam cujus gratia ei data eſt, furtum committit. Pontas.*

CASUS XXVIII. Leovigildus Auguſta Venetias profecturus ad quindecim dies conduxit equum Narciſſi; & licet ſciret, equum non eſſe calceatum, ei tamen ferreas induere ſoleas neglexit: unde factum, ut pedem penitus fregerit. Teneturne Leovigildus in conſcientia ferre damnum hac ſua negligentia illatum?

℞. Non eſt dubium, Leovigildum teneri Narciſſo de damno: una enim præcipuarum obligationum locatarii eſt, ut re locata utatur tanquam bonus oeconomus. *Proſpicere debet conductor*, ait Lex *Videamus*. 11. §. 2. ff. Lib 19. Tit. 2. *ne aliquo vel jus rei, vel corpus deterius faciat, vel fieri patiatur. Pontas.*

CASUS XXIX. Fulcus locavit equum Baldrico; & licet alias pro die petierit florenum, dimidium tantum florenum ab eo exigit, hac tamen conditione, ut, ſi equus quocumque demum caſu periret, Baldricus pretium equi, aut ſaltem dimidium ſolvere teneretur. Juſtusne eſt hic contractus?

℞. Eſt injuſtus: Fulcus enim locando equum ſemper reſervat ſibi ejusdem dominium. *Non ſolet locatio dominium mutare*, inquid Lex *Non ſolet*. 39. ff. Lib. 19. Tit. 2. ſicque juxta generaliſſimam regulam juris *res perit Domino rei*. Si itaque equus perit abſque omni culpa Baldrici, Fulcus ferre debet ejusdem jacturam. Nihilominus ſi equus periret caſu fortuito, quem Baldricus ſubire voluit, & abſolute loquendo evitare potuit, in illum jactura recidit. *Pontas.*

Nota. Cum equus pro dimidio juſtæ locationis prætio fuerit locatus, videndum eſſet, quanti valoris conſideratis circumſtantiis foret aſſecuratio periculi: ſi enim locatio inita eſſet ad longum tempus v. g. ad menſem, vel ad vias periculoſas, contractus fors poſſet eſſe licitus.

CASUS XXX. Ariſtotimus locavit Marcello ad unum menſem par boum ad agrorum culturam pro diurno pretio dimidii floreni, addita hac conditione, ut, ſi Marcellus fi-

 nito

nito menſe boves non redderet, eos ſibi ſervare, ac pro iis 45. florenos ſolvere teneretur. Marcellus reddidit boves Ariſtotimo tribus poſt ſinitum menſem diebus, qui eos recipere renuit, & pactam ſummam 45. florenorum exigit. Poteſtne Ariſtotimus in rigore ac tuta conſcientia obligari Marcellum ad exequendam initam conditionem; maxime cum boves finito termino a conductore non repetierit?

℟. Quamvis Ariſtotimus non repetierit a Marcello boves ad finem condicti termini, poteſt tamen eum compellere, ut retineat boves, & taxatum in conventione eorum pretium ſolvat. Ratio hæc dari poteſt; quia, quando debitor non ſolvit tempore in contractu definito, aut non exequitur conditionem ſtipulatam, non ſe liberat a pœna per contractum impoſita, quamvis a creditore monitus non fuerit, ut obligationi ſuæ ſatisfaciat; *cum ea, quæ promiſit, ipſe in memoria ſua ſervare, non ab aliis ſibi manifeſtari debeat poſcere*, ut ait Lex *Magnam*. 12. Cod. Lib. 8. Tit. 38. *Pontas*.

CASUS XXXI. Remigius locavit Benedicto ad quadriennium ſex boves, quorum quilibet æſtimabatur 20. florenis, & decem vaccas, unamquamque 12. florenis cum dimidio æſtimatam, ad colendos ac ſtercorandos agros ſuos, his ſub conditionibus: 1°. ut Benedictus quotannis Remigio ſolvat pro qualibet vacca unum frumenti modium ſeſqui floreno æſtimatum; duos vero modios pro quolibet bove. 2°. Ut vaccarum fructus æqualiter locatorem inter & conductorem dividantur. 3°. Ut uterque in ſe ſuſciperet dimidium damni tam naturalis quam fortuiti: circa quam conditionem notandum, quod, ſi Benedictus damni dimidii periculum ferre noluiſſet, Remigius ampliorem frumenti quantitatem exigere potuiſſet abſque omni injuſtitia; tum quia emolumentum valde notabile ex hoc contractu redundat in locatarium, tum quia jumenta locata per quadriennalem uſum identidem magis atteruntur, & ſenio deteriorantur. Eſtne hic contractus injuſtus?

℟. Eſt injuſtus: tertia enim conditio penitus evertit naturam contractus locationis & ſocietatis, in quibus locator ſemper retinet dominium pecorum titulo locationis aut ſocietatis alteri ad uſum conceſſorum. Ex quo ſequitur, quod Remigius abſque injuſtitia non potuerit in Benedictum transferre dimidium damni boum aut vaccarum morte naturali, aut alio quovis modo, abſque culpa tamen conductoris, pereuntium. *Pontas*.

Nota, Cum hic contractus ſit mixtus ex contractu locationis & ſocietatis, repugnare non videtur, ſi periculum æque ac emolumentum

tum utrique contrahentium commune fiat. Itaque, ſi pretium locationis per quatuor annos æquivaleat pretio dimidio emptionis communium vacearum & boum, & ſi locator in fine locationis refuſo dimidio pretio pro reemptione pecorum in ſtatu præſenti conſideratorum rem reſtitueret in ſtatum priſtinum, non eſſet illicitus contractus: locatario enim impenſæ operæ compenſarentur per cultionem ac ſtercorationem ſuorum agrorum.

CASUS XXXII. Petrus habet prædium inſtructum agris, pratis, pecoribus &c. Pecora æſtimantur 750. florenis; Petrusque ea locat Joanni ſub his conditionibus: 1o. Ut Joannes omnes fundos curet ac colat, eorumque proventus perinde ac pecorum fructus æqualiter cum Petro dividat. 2o. Ut Joannes locatum gregem talem reſtituat, qualem accepit; quamvis tempore reſtitutionis minoris vendantur pecora, quam tempore traditionis. 3o. Si quæ pecudes Joannis culpa perierint, damnum ipſe compenſet. 4o. Si grex locatus tempore reſtitutionis non ſit integer, ex eoque lucrum perceptum fuerit, ambo æqualiter conferant ad complendum gregem; ſi lucrum non ſufficiat, Joannes ſupplere teneatur, quod deeſt; &, ſi nullum omnino lucrum ac emolumentum perceptum fuerit, ſolus Joannes gregem diminutum redintegret. 5o. Ut Joannes omnia neceſſaria Petro advehenda curet, quin poſſit eodem jure uti in proprium ſuum commodum. 6o. Ut Joannes quandoque gregem redintegrare teneatur, etiamſi pecora quædam contagione, aut caſu fortuito absque ulla ipſius culpa perierint. Contractus ſub hiſce conditionibus initus eſtne licitus?

Item quæritur, utrum licite iniri poſſit contractus, quo Paulus locaret Jacobo pecora octoginta florenis æſtimata, absque agris, pratis aut domo, ita ut Jacobus ſuis impenſis ac ſumptibus pecorum ſtabula ac nutrimenta ſuppeditate, & lucrum durante locatione ex pecoribus perceptum finito locationis termino cum Paulo partiri teneatur, ſervatis de reliquo conditionibus ſupra memoratis.

℞. Uterque caſus ſolvendus eſt ex ſequentibus regulis: 1o. Conductor obligari non debet, ut elapſo locationis termino gregem reſtituat prorſus integrum, ſaltem niſi cum locatore fructus provenientes partitus fuerit, aut ob nutritionem, cuſtodiam, & labores, quos ſubiit, indemnis ſervetur. 2o. Jactura aut diminutio pecorum ferenda non eſt conductori, ſi absque ulla illius culpa contigit; ſed locatori, qui retinet ſemper dominium rei locatæ. 3o. Si elapſo locationis termino res locata imminuta eſſe comperiatur, nec fructibus exinde perceptis damnum exæquetur, condu-

ctor non tenetur compenſare damnum. 4°. Multo minus ad id tenetur, cum pars gregis contagione aut lue quadam citra ipſius culpam periit: hæc enim jactura ferenda eſt locatori, ſicut conductori jactura nutritionis, induſtriæ ac laborum ſuorum. 5°. Locator impedire non poteſt, quo minus conductor utatur animantibus ad vectiones curandæ locationi neceſſarias. *Fromageau.*

Vide *Compenſatio.*

LOTERIA.

1. *Loteria* eſt quædam ſpecies ludi, in plerisque Europæ ſtatibus a Sæculo decimo quinto jam uſitata. Conſiſtit loteria in certis ſchedulis numero notatis, quarum ſingulis inſcripta eſt ſententia aliqua, aut verbum quodcumque; ſchedulæ hæ invicem commixtæ urnæ immittuntur, ex eaque poſtmodum extrahuntur, ſuntque pro qualitate ſententiæ aut verbi pro libitu inſcripti favorabiles, vel non.

2. Ex deciſione *caſus primi* apparebit, ex quibusnam conſtet loteria, quot ſint ejusdem ſpecies, quibusque poſitis conditionibus juſta ſit & licita?

CASUS I. Polycrates & Gabinius duplionem, ut vocant, immiſerunt loteriæ a Cajo erectæ, ſorsque ipſis obtigit prima 10000. florenorum. Peccavitne Cajus erigendo hanc loteriam? An ii, qui lucri quid exinde capiunt, illud legitime aquirunt?

℞. *Loteriæ* ex Italia venere, quarum in hac Europæ parte uſus eſt antiquiſſimus. Loteriæ aliæ conſiſtunt in pecuniis numeratis, aliæ in mercibus, ornamentis & aliis rebus mobilibus vel reculis. Dividi loteriæ hodiedum poſſunt in *Politicas*, *pias*, *mercatorias* & *luſorias*; quarum ultimæ plerumque & ordinarie ad inſtituendum inter amicos ex collatione plurium convivium ordinantur.

Loteriæ pecuniariæ duo pacta continent; quorum primum eſt, ut determinata ſumma, deductis expenſis, deponatur; alterum, ut ſumma hæc tantum conſtituat portionem ſive ſortem unam, aut in plures diſtribuatur.

In *loteriis rerum mobilium* pariter duo interveniunt pacta, primum venditionis & emptionis; alterum ſortium.

Loteriæ pecuniariæ injuſtæ ſunt. 1. Si plus retinetur pecuniæ, ac ad expenſas ſufficit, & ſi fraudulenter ſchedæ favorabiles ita diſponantur, ut certis perſonis obveniant, quibus quis magis addictus eſt.

Lote-

Loteriæ mobilium pariter injuſtæ eſſe poſſunt. 1. Ratione expenſarum. 2. Si res, ex quibus conſtant, non juſto pretio æſtimatæ fuerint, ſi e. g. Adamas 20. duplionum computaretur pro pretio 30. duplionum.

His præſuppoſitis cenſeo, loterias vix non ubique a centum circiter & ſexaginta annis uſitatas, poſſe eſſe malas ratione fraudis & injuſtitiæ, quæ committi poteſt, & ex eo etiam; quia aliquoties contingit, ut quidam ex lucri cupiditate etiam ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria deponant. Quia tamen inconvenientiæ hæ loteriis non per ſe ſed per accidens inſunt, ideo, dummodo ab iis injuſtitia omnis abſit, condemnandæ ut malæ & illicitæ non ſunt; cum nec a jure naturali, nec divino, nec etiam eccleſiaſtico aut civili reprobentur. *Sylv. in* 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *ſub fin.*

SIQUIS DICAT, quod in loteriis nonniſi ex cupiditate lucri, & ſpiritu avaritiæ quid deponatur, (hæc eſt ratio, quæ movit Alexandrum Alenſem, ut eas condemnaret) reſpondeo, ordinarie id verum eſſe; ſed intentio hæc ſi condemnetur, condemnandum quoque erit omne genus commercii.

EX HIS SEQUITUR, Cajum erigendo hanc loteriam non peccaſſe; dummodo juſtitiæ, bonæque fidei neceſſariæ leges transgreſſus non fuerit. Gabinius quoque & Polycrates, aliique legitime lucrum, quod inde referunt, faciunt ſuum. *Pontas.*

CASUS II. Theophraſtes ex diverſis pannis erexit loteriam. Mathæus vicinus ejus obtinuit ſortem, ſolutionem tamen obtinere non potuit; acceſſit hinc judicem. An Judex vi muneris ſui tenetur judicium ferre in favorem Matthæi, ac Theophraſtem condemnare ad traditionem ſortis?

℞. Loteriæ aliæ ſunt prohibitæ, permiſſæ aliæ, & aliæ ſolummodo toleratæ. Quod attinet loterias prohibitas, a judice audiendi non ſunt, qui in iis læſos ſe queruntur juxta Leg. *Ubi autem*.3. ff. Lib. 12. Tit. 5. Imo confiſcatione pecuniæ immiſſæ puniendi ſunt ambo, & qui inſtituit loteriam, & qui pecuniam immiſit. Quoad loterias permiſſas judex pronunciare debet in favorem lucrantium; quia Princeps aut Magiſtratus loteriam permittentes neceſſariam ſecuritatem præſtare debent iis, qui pecunias ſuas ſorti exponunt, ut ex variis legibus ff. Lib. 12. Tit. 4. patet. Quod ſpectat loterias mere toleratas, non datur in judicio actio pro traditione ſortium; & ſi quis actionem intentet, periculo ſeſe exponit amittendi ſortem per confiſcationem; imo & ipſe dominus periculum incurreret, ne eadem ratione amittat pecunias aut

alias res in loteriam collatas, & inter manus ſuas depoſitas, aut ſaltem mulctam pecuniariam ſubire teneatur. *Pontas.*

Nota. Impoſſibile eſt, ut Judices, vel Magiſtratus intelligant juſtitiam vel injuſtitiam Loteriarum, niſi bene intelligant *leges conbinationum* Bernoullianas. Cum ergo has pauciſſimi intelligant, peccatorum gravium ſe reos faciunt, ſi concedant, Loteriam erigi publicam, aut privatim per domos a vagabundis practicari, niſi genus illud Loteriæ curaverint a perito Arithmetico, in legibus conbinatoriis bene verſato, examinari & approbari.

LUSUS.

1. Iſtud verbum ſignificat. 1. Exercitium recreationis cauſa. 2. Locum, ubi luſus inſtituitur, ut eſt *Sphæriſterium*, in quo pila & conis luditur. 3. Pecuniam, quæ in ludo exponitur. 4. Rem, quæ in luſu adhibetur, v. g. chartæ luſoriæ.

2. Hic per luſum intelligitur contractus inter plures perſonas initus recreationis cauſa, eo pacto, ut is, qui in luſu victor evadat, rem in luſu expoſitam accipiat.

3. Tres diſtinguuntur luſus ſpecies, nimirum luſus, in quo ingenio, & ſolertia opus eſt, uti ſunt ludus latrunculorum, ſcruporum, pilæ, follis, conorum. &c. Item ludus, in quo ſola fortuna opus eſt, uti ſunt ludus alearum &c. Alia luſus ſpecies eſt ludus mixtus, in quo tam ingenio quam fortuna opus eſt, uti ſunt nonnulli luſus chartarum.

4. Luſus, in quo ſola induſtria adhibetur, licitus eſt; dummodo ob circumſtantias concomitantes non ſit prohibendus. v. g. nimium care, aut nimia cupiditate ludendo aut ſi nimium temporis luſu conſumeretur, item ſi ſcandalum daretur, aut ex motivo avaritiæ quis luderet &c.

5. Luſus, in quo ſola fortuna agit, eſt abſolute prohibitus non ſolum Clericis, præſertim in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *Cap.* 1. ſed etiam laicis, præcipue in locis, ubi talis luſus ſpecialiter interdictus eſt a Principe.

6. Luſus quidam induſtriales etiam Clericis ſunt interdicti, utpote illorum ſtatui minus convenientes. Idem dicendum de ludis mixtis.

7. Clerici prudentes & timoratæ conſcientiæ, quorum eſt aliis, maxime plebeis, bono exemplo prælucere, nunquam ejusmodi luſibus detineant ſeſe; quia rariſſimum eſt, ut in ludo abſit omnis deordinatio & immoderatio; & pauciſſimi ſunt, qui in ludo non magis lucrum quærunt, quam exhilarationem animi & præparationem virium ac potentia-

tentiarum ad reſumenda denuo cum fructu ſeria ac vocationi clericali congrua, qui finis unicus eſſe deberet honeſte ludentis Clerici. Accedit, quod luſus plerumque perniciofos parlat effectus juxta illud Horatii: *Nam ludus genuit ſtrepitum, certamen & iram.*

8. Ipſimet Authores non conveniunt, an non detur obligatio reſtituendi omne lucrum aquiſitum in luſibus meræ fortunæ. Vide ℟. ad Caſum V. Ex quo ipſo malum ejusmodi luſuum elucet.

9. Nulla in judicio conceditur actio lucranti in luſu contra illum, qui perdidit. Addi poteſt, quod luſus meræ fortunæ, ut eſt luſus alearum, tanto odio fuerint Romanis, ut ille, qui domi ſuæ reciperet ejusmodi luſores, & ab iis vel ab aliis male haberetur, verberibus exciperetur aut bonis ſuis ſpoliaretur, reos in jus vocare haud poſſet.

CASUS I, Caſſander luſui valde deditus, integros ſæpe ludendo conſumit dies. An circumſtantia temporis, quod luſui impendit, ipſius peccatum facit mortale, cum tamen luſus, quem ludit, in ſe ſit illicitus?

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 168. *art.* 12. licitum eſt aſſumere aliquam recreationem honeſtam ad animum relaxandum; aſt cavendum, inquit S. Ambroſius L. 1. de Offic. c. 26. ne iſta innocua libertate abutamur. In luſu duobus modis fit exceſſus, nimirum in *materia* luſus, & quoad *circumſtantias* malas luſus. De primo modo dicit S. Thomas l. c. exceſſum ex ſuo genere eſſe peccatum mortale; de ſecundo antem modo dicit, ludum fieri illicitum, ſi luditur in die feſto per nimium temporis ſpatium, in loco ſancto, aut publico cum ſcandalo aliorum, aut ſi perſona ludens ſit talis, ut ei ratione ſtatus & conditionis non permiſſum ſit ludere; & ob tales circumſtantias luſus quandoque eſt peccatum mortale. Ex his igitur erui poteſt, quale ſit Caſſandri peccatum. *Pontas.*

Nota. Sicut ſeptem vitia capitalia ex ſuo genere dicuntur mortalia, licet in individuo *ira*, *ſuperbia*, *acedia*, *gula*, plerumque ſint tantum venialia; ita etiam de inordinato appetitu ludendi ſentiendum eſt, eum ex ſuo genere dici peccatum mortale, quia eſt radix, origo, ac occaſio multorum peccatorum mortalium, puta ſcandalorum, perditionis bonorum, rixarum, blasphemiarum, continuæ inhonorationis feſtorum, continui neglectus ſpiritualium, continuæ perditionis temporis &c.

CASUS II. Chryſogonus presbyter cum amicis ſuis, quos ſæpe convenit, variis chartarum luſibus ſe detinet; propter quod confeſſarius acriter eum reprehendit, illique dene-

negationem abſolutionis comminatur. Teneturne ſe conformare judicio confeſſarii?

℟. Inter luſus chartarum ſunt alii meræ fortunæ, & alii mixti, in quibus præter fortunam etiam peritia requiritur: priores abſolute ſunt prohibiti Clericis; & ſi Chryſogonus his luſibus deditus ſit, optime agit confeſſarius. Quod attinet luſus poſteriores ſeu mixtos, non videtur, Clericos ſic ludentes ſemper peccare mortaliter; licet abſque omni peccato ſic ludere non poſſint, imo & periculum peccati mortalis incurrant, ſi in hoc luſu ſummam notabilem exponant, & ex conſuetudine ludendi notabile temporis ſpatium inſumant; id quod a confeſſario examinandum. Ratio, ex qua plurima Concilia id genus luſus ſapientiſſime interdixerunt Clericis, eſt; quia defectus & peccata, quæ in laicis non niſi levia eſſe cenſentur, in perſonis eccleſiaſticis, in quibus ſanctitas morum cum eorum dignitate, qua populum antecellunt, reſpondere debent, valde ſunt notabilia. Hinc Concilium Tridentinum Seſſ. 22. de Reform. cap. 1. ait: *Levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Pontas.*

Nota. Obſervo, omnem *recreationem* ex ipſa nominis ſui Etymologia debere eſſe *reparationem* ſeu *reſtaurationem* virium animi & corporis in ordine ad functiones ſui ſtatus debite obeundas. Examinent ergo Clerici conſcientiam ſuam, an poſt nugas, riſus, & luſus ſæpe per medios dies & noctes protractos ſentiant ſe expeditiores ad Horas Canonicas *attentius* & *devotius* obeundas. Si in peccato habituali, millies confeſſo, nunquam ſerio retractato decedant, non erit inultum.

CASUS III. Lyſimachus Miles, ſe in confeſſionali accuſat de quibusdam circumſtantiis, in quibus ludendo luſum a forte dependentem ſe peccaſſe credit. Confeſſarius igitur ipſi perſuadere voluit, quod abſque peccato mortali ludere non potuerit. Lyſimachus vero videns, ſuum confeſſarium nimium eſſe rigoroſum, quærit, num verum ſit, quod talem luſum ludendo mortaliter peccet?

℟. Canon quadrageſimus ſecundus inter illos Canones, qui *Apoſtolici* dicuntur, interdicit ludos a forte dependentes etiam laicis: *ſimiliter & laici &c.* & quidem ſub comminatione privationis Communionis; ex quo certe colligitur, talem luſum in quibusdam circumſtantiis eſſe poſſe peccatum mortale. S. Antoninus 2. *part. ſumm. Theol. tit.* 1. c. 23. §. 2. dicit, luſus a forte dependentes laicis non eſſe peccata mortalia, ſi ſolum recreationis cauſa tales luſus aſſumantur & ſine paſſione, aut ſi notabilis non exponatur ſumma

ma reſpectu facultatum ludentium, aut ſi circumſtantiæ, ob quas tales luſus fuerunt prohibiti, abſint, 1. nimia temporis perditio. 2. Animi impotentis effrenatio, juramenta, & blaſphemiæ in luſu perdentium; & hæc ſecunda circumſtantia facit, quod luſus ſit peccatum mortale, & quod a legibus Canonicis & Civilibus tales luſus fuerint prohibiti. *Pontas.*

Nota. Arbitror, ludos fortunæ Chriſtianis primis tribus ſæculis generatim fuiſſe interdictos; quia erant permixti gentilibus, quorum proin vitioſo talium ludorum abuſu inevitabiliter ſe polluiſſent, niſi potuiſſent ſe excuſare prohibitione ſuæ Religionis. Expediebant ſeveriores eo tempore leges, quo Chriſtiani pro converſione mundi debebant tanquam luminaria prælucere Ethnicis; unde Apoſtolus: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*, 1. Theſs. 5.

CASUS IV. Macedonius Presbyter, quandoque cum ſuis amicis ludit luſus dependentes a mera ſorte, ſed ſolum recreationis gratia, & pro exiguo luſus pretio.

℟. Non poteſt excuſari ab omni peccato: Eccleſia enim nullam fecit diſtinctionem aut exceptionem in ſtricta & generali prohibitione facta clericis quoad tales luſus. Ad hæc dantur multi alii luſus innocentes, quibus abſque omni peccato, imo honeſte poteſt relaxari animus; id quod adhuc minus excuſabiles reddit Clericos, tempus ac bona eccleſiaſtica dilapidantes luſibus ab eccleſia condemnatis. *Pontas.*

Nota. Non ſolum in Gallia, ſed & in plerisque Germaniæ provinciis ac civitatibus imperialibus luſus meræ fortunæ omnibus indiſcriminatim ſeveriſſimis ac iteratis legibus ſunt interdicti. Imo omnes contractus, obligationes, promiſſa &c. occaſione ejusmodi luſus facta declarantur nulla ac irrita.

CASUS V. Lubinus luſu alearum decem imperiales eſt lucratus a Marino: cum igitur confiteretur, ſe talem luſum luſiſſe, & illo notabile temporis ſpatium conſumpſiſſe, confeſſarius illum obligabat ad reſtitutionem lucri; quia talis luſus prohibitus eſt a Canonibus, legibus civilibus, & particularibus loci. Aſt alius confeſſarius dixit Lubino, illum non teneri ad iſtam reſtitutionem.

℟. Cum variæ dentur opiniones quoad talem reſtitutionem, dicimus cum S. Thoma 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. quod in conſcientia quis teneatur reſtituere lucrum per luſum aquiſitum 1. illis, qui non poſſunt alienare bona ſua, ſcilicet minorennibus, furioſis, amentibus &c. 2. iis, a quibus lucrum per fraudem & dolum aquiſivit. 3. Illis, quos per violentiam aut nimiam importunitatem traxit ad luſum. 4. Deni-

Denique iis, quorum ſimplicitate abuſus eſt, & quos ad ludendum minus capaces ad luſum induxit. S. Antoninus part. 2. Summ. Theol. Tit. 2. c. 23. §. 3. obſervat, non dari obligationem reſtituendi minorenni aut fœminæ ſub poteſtate mariti conſtitutæ vel aliis ejusmodi, ſi lucrum ab iis aquiſitum ſit exiguum. S. Thomas pluresque inſignes Canoniſtæ cenſent, in locis, ubi leges civiles contra ludos a ſorte dependentes ſunt in vigore, lucrum taliter aquiſitum eſſe reſtituendum non colluſoribus, qui in luſu perdiderunt, ſed pauperibus, aut in alias cauſas pias convertendum. In dubio, utrum ejusmodi leges adhuc vigeant, prudens confeſſarius ſaltem per modum pœnitentiæ poterit obligare taliter lucrantem ad reſtitutionem lucri vel quoad totum vel quoad partem, pro ratione ſcilicet ſtatus moderni pœnitentis, ſicque eum compellere ad deponendum habitum ludendi. Si pœnitens pœnitentiam hanc acceptare renuat, indicium ſat manifeſtum foret, eum, dum fructum peccati ſui retinere vult, non eſſe diſpoſitum ac paratum ad deponendum pravum ludendi habitum. *Pontas.*

CASUS VI. Leonorius ab Emilio, quem ſollicitavit ad luſum, lucratus eſt duos aureos. Poſtea audit, ſe juxta divum Thomam ad reſtitutionem lucri teneri; ideo quærit, in quo ſenſu intelligendus ſit iſte S. Doctor, & utrum ipſus quoque teneatur reſtituere?

℟. S. Antoninus 2. *part. ſumm. Theol. tit.* 1. *c.* 23. §. 2. dicit, id S. Thomam dixiſſe non de eo, qui duntaxat invitavit alium ad ludendum, ſed de eo, qui alium attraxit ad ludum per vim, vel nimiam importunitatem ſive in principio ludi, ſive in continuatione. Si igitur Leonorius duntaxat invitavit Emilium, non tenetur ad reſtitutionem. *Pontas.*

CASUS VII. Melchior Diaconus, & Cornelius Presbyter ſæpe ludunt latrunculis, ſcrupis, globis & aliis luſibus dependentibus ab arte & induſtria.

℟. Ejusmodi luſus præciſe in ſe conſiderati, abſtrahendo ab aliis circumſtantiis, quæ illos illicitos efficiunt, non ſunt peccaminoſi. *Pontas.*

CASUS VIII. Egimius mercator venales exponit chartas & aleas. Confeſſarius ipſi minatur denegationem abſolutionis, niſi dimittat has merces. Ille reſpondet, dari utique ludos chartarum & alearum etiam licitos; dein id genus merces vendi etiam ab aliis ſuæ profeſſionis, paſſurumque ſe grave damnum, ſi ſolus res hujusmodi ſuo excluderet mercimonio.

℟.

℞. Juxta Genetum, Authorem de laxitate in doctrina morum minime ſuſpectum, cum ejuſdem ſe flagellum & hoſtem profeſſus ſit, Egimius abſolute peccati reus dici non poteſt, nec ei a confeſſario deneganda eſt abſolutio. *Pontas.*

CASUS IX. Jordanus domum ſuam ſemper apertam tenet luſoribus chartarum & alearum. Confeſſarius autem ipſi comminatur denegationem abſolutionis, niſi ſpondeat, ſe renunciaturum huic commercio. Jordanus reſpondet, aliud ſibi non ſuppetere medium ſe ſuamque ſuſtentandi familiam. Num confeſſarius ſua in ſententia perſiſtere, comminationemque exequi debet, ſi Jordanus non cedat?

℞. Confeſſarius absque dubio debet obligare Jordanum ſub comminatione denegandæ abſolutionis ad deponendum tam indignum, & omnis generis legibus interdictum commercium. *Pontas.*

Nota. Si Jordanus teſtatur, a ſe nunquam permitti ludos jure naturali, eccleſiaſtico, vel civili prohibitos; ſi inſuper eſt fide dinus, & ejus authoritatis, ut ſuis hoſpitibus efficaciter poſſit inhibere ludos prohibitos, eſt abſolvendus.

CASUS X. Jovinianus parochus, ſæpe intereſt conventui laicorum aleis ludentium, quos per notabile temporis ſpatium, recreationis cauſa ludentes ſpectat.

℞. Dubitandum non eſt, Jovinianum peccare, non obſtante quacumque demum excuſatione. An autem peccatum ipſius mortale ſit, determinari haud poteſt; cum id ex circumſtantiis dijudicandum ſit. Honeſta quidem relaxatio non ſolum permiſſa, ſed & neceſſaria eſt Clerico; ſed per notabile tempus, quod negotiis ſeriis injuſte ſubtrahitur, ludentes ſpectare non poteſt dici honeſta recreatio clericalis; cum nec dignitati perſonæ, nec ſanctitati ſtatus conveniat, nec bonum redoleat exemplum, quo Clericus, maxime parochus, laicis prælucere tenetur. *Pontas.*

CASUS XI. Quædam fœmina per notabile temporis ſpatium ludens etiam mutuo accipit pecunias ad continuandum luſum.

℞. Eſt in ſtatu peccati mortalis, & ſi ſæpius ludere pergat, ſalutem ſuam periculo exponit; quamvis etiam a ſuo confeſſario proterea non admoneatur, illa tamen per hoc in ſua conſcientia non eſt ſecura; nam forſan hoc ipſum confeſſarii ſilentium effectus eſt iræ divinæ. *Fromageau.*

CASUS XII. Moniales in parlatorio ludos exhibent comicos per puellas convictrices, quæ in iis pro ratione perſona-

ſonarum, quas repræſentant, varias induunt veſtes clericorum & Religioſorum.

℟. Moniales non poſſunt id permittere abſque peccato. Clerici & Religioſi, qui in hunc finem ſua ipſis commodant veſtimenta, non minus ſunt culpabiles ac Moniales illæ, a quibus his veſtibus induuntur. Confeſſarii Monialium ſi non impediant ejuſmodi ludos theatrales abuſivos, prout deberent, monendus erit Epiſcopus, aut ejuſdem Vicarius generalis. *Fromageau.*

Nota. Si in tali Comœdia omnes perſonæ comparerent in veſte laica talari Aſiatica abſque ullo abuſu veſtis Clericalis vel Regularis, & ipſum Drama idoneum foret ad ingenerandos meros pios ſenſus, poſſet tolerari coram auditorio ſolarum fœminarum & maturæ vel adhuc innocentis ætatis conſanguineorum.

LUXURIA.

CASUS I. Ferta, dum maritum ſuum, vita functum, in vivis adhuc eſſe optaret, eoquod plurimum vita ejuſdem ad familiæ ſuſtentationem conferre poſſet, ſenſit in corde ſuo ex ejuſmodi deſiderio motus inordinatos ſurgere, in quibus & complacet. An ab ejuſmodi deſideriis abſtinere tenetur?

℟. Cum ejuſmodi deſideria non ſint objectum malum, nec motus inde orti admodum frequentes, ſub peccato mortali ea ſuffocare non tenetur. Melius tamen facit, ſi cogitationi huic, utpote inutili, cum vitam marito reddere non poſſit, valedicat. *Lugo de pœnit. ſect.* 10. *Lacroix l.* 5. *Girib. de pœn.* C. B.

Nota. Hæc reſponſio falſiſſima, juri naturali ac divino contraria, ac proin perniciosa eſt; alioquin etiam perſonæ licite foverent in ſe exurgentes inordinatos motus relate ad futurum maritum vel uxorem ex apprehenſione viva actus conjugalis liciti ortos. Motio ſpirituum genitalium, quæ ſemper remote vel propinque diſponit ad fluxum ſeminis, non abſtrahit inſtar mentis.

CASUS II. Maritus in abſentia conjugis ſuæ ſæpe delectatur de actu matrimonii tam præterito, quam futuro, ſine periculo tamen pollutionis. Peccatne?

℟. Maritus voluntarie his cogitationibus occupatus non peccat; quia complacentia ſortitur ſpeciem ab objecto. Jam vero cum actus conjugalis, qui eſt objectum complacentiæ, quam maritus fovet abſente conjuge, certo ſit licitus, concludendum, etiam licitum eſſe immorari delectationi de

tali

tali actu, ſive præterito, ſive futuro. *Girib. de delect. moros. c. 1. n. 112. Layman. l. 1. tract. 3. c. 6. n. 12.* C. B.

Nota. Hæc reſponſio iterum falſa, perniciosa & jam damnata eſt in ea propoſitione, quæ actum conjugalem ſolius voluptatis cauſa exerceri poſſe aſſeruit. Itaque nec mentali oblectatione in ſola voluptate actus conjugalis absque ullo etiam veniali peccato ſiſtere licet: imo, ſi conjugatus longo tempore a ſua conjuge abſens frequenter de ejusmodi actibus per notabile temporis ſpatium cum oblectatione cogitet, eo ipſo ſe conjicit in grave periculum variorum peccatorum mortalium contra ſextum præceptum.

CASUS III. Titius corrupit Bertam ſub promiſſione eam ducendi, paratumque ſe offert ad explendum promiſſum: pater tamen Bertæ non ſolum matrimonio huic conſenſum non præbet, ſed inſuper in compenſationem damni filiæ illati notabilem pecuniæ ſummam pro dote petit. Num juſte petit?

℞. Injuſte: Titius enim ſolum ſe obligavit ad Bertam ducendam, non vero dotandam, ſub qua conditione Berta quoque contractum acceptavit. Adeoque Titius fecit, quod facere debuit, dum ſincere ad ineundum cum Berta matrimonium ſeſe obtulit. C. B.

Nota. Secundum firmiora jam Theologiæ principia omnes contractus ſub conditione turpi, ſeu quovis modo illicita, ſunt jure naturæ invalidi; quia nulla eſt obligatio ſine authore Deo: Deum autem præſtare ejusmodi contractibus authoritatem ſeu obligationem, invitatoriam ad innumera ſcelera, non decet.

CASUS IV. Lucas medicus, dum in puellis ægrotantibus pulſum arteriæ tangendo explorat, inſurgere ſentit motus inordinatos, quos quandoque prava deſideria comitantur. Teneturne ab inviſione harum ægrotantium idcirco abſtinere?

℞. Non tenetur; quia hæc prava deſideria, ut in caſu dicitur, non ſunt frequentia, & ideo occaſio hæc non habenda eſt ut proxima, nec ut voluntaria; cum medicus non poſſit a profeſſione ſua deſiſtere, quin fortunarum & proprii honoris periculum incurrat. Certum tamen eſt, medicum in hisce circumſtantiis obligari, ut timore Dei ſe muniat, & virtutum exercitio occaſionem peccandi declinet, periculumque diminuat. Quod ſi adhibitis oportunis remediis conſenſum removere, debitaque contra peccatum præcautione uti nolit, poſtpoſito quocumque damno a curatione ejusmodi ægrotantium abſtinere tenebitur. Ita *Ant. a Spir.*

Spir. S. Tr. 5. *diſp.* 3. *n.* 144. *Leand. diſp.* 7. *q.* 47. *Girib. de pœnit. c.* 10. *n.* 14. *& ſeq.* C. B.

Nota. Totum dependet ex eo; an medicus ex ejusmodi actibus ſuæ profeſſionis incidat frequenter ſolum in tentionem peccati, & motus involuntarios pravæ naturæ; an vero etiam ſæpe ex ea occaſione labatur in peccctum mortale internum vel externum. Si primum, manere poteſt in ſua profeſſione, adhibitis tamen cautelis, præſervativis, & remediis a confeſſario præſcribendis. Si vero ſecundum contingat, & vix tenuis ſpes emendationis ex contrahendo proxime matrimonio, vel ex alia circumſtantia nova appareat, tenetur abſtinere ab ejusmodi occaſione propinqua peccati formalis juxta doctrinam Chriſti *Math.* 5. *v.* 28. 29. *&c.*

M.

MAGUS.

1. *Magus* dicitur, qui de poteſtate dæmonis perſuaſus quidpiam operari conatur per media diabolica ope incantationum & ſortilegiorum &c.

2. Varias magia ſub ſe comprehendit ſpecies, ut 1. *Sortilegium*, quod eſt *divinatio per ſortes*, ſeu *ſuperſtitioſa inveſtigatio præſcientiæ futurorum.* 2. *Aſtrologiam judiciariam*, qua proſpera aut adverſa hominum fortuna, fauſtique aut infauſti eventus ex vario influxu ſiderum deſumuntur. 3. *Necromantiam*, quæ eſt divinatio ex cadaveribus mortuorum. 4. *Geomantiam*, quæ eſt divinatio in terra. 5. *Hydromantiam* ſeu divinationem in aqua. 6. *Aëromantiam* ſeu divinationem ex aere. 7. *Pyromantiam*, quæ eſt divinatio ex igne. 8. *Maleficium*, quo quis per varias ligaturas & faſcina proximo nocere tentat. 9. *Augurium* ſeu divinationem ex volatu & cantu avium. 10. *Præſtigium*, quo per repræſentationem falſorum objectorum fit deceptio. Dantur adhuc aliæ magiæ ſpecies, quas enumerare longum nimis foret.

3. Omnis magia eſt ſumme peccaminoſa, & includit pactum expreſſum aut ſaltem tacitum cum dæmone.

4. Magorum famoſiſſimus fuit Simon, de quo mentio fit in Actibus Apoſtolorum, qui, ut Author Conſtitutionum Apoſtolicarum & Arnobius memorant, Romæ ſe exhibebat in aëra ſublatum, currui igneo inſidentem, & inſtar avis volantem, qui pro arbitrio ſuo ex oculis hominum evanuiſſe videbatur, in aëre homines ad ſpeciem viventes fingebat, per flammas absque læſione incedebat, & quandoque bifrons ut alter Janus viſus fuiſſe credebatur.

5. Om-

5. Omni tempore dabantur, qui ejuſmodi artes magicas exercebant, homines perditiſſimi, Deum averſantes, & totos ſe violentiæ paſſionum ſuarum mancipantes; hincque digniſſimi, ut a Deo penitus derelinquantur, ac mancipatui & malitiæ dæmonis tradantur. De his dicitur Deut. 18. v. 12. *Omnia enim hæc abominatur Dominus; & propter iſtiusmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo.*

CASUS I. Idacius novellus adhuc ſacerdos & parochus excipit confeſſionem cujusdam parochiani ſui, accuſantis ſe, quod per annum quindecies aut vigeſies exercuerit artem magicam; cumque non poſſet ſufficienter explicare ſe hac ſuper materia, per interrogationes juvari poſtulat. Quomodo agendum parocho, qui nunquam audivit pœnitentem hoc vitio illaqueatum? & quænam ipſi interrogationes ſunt proponendæ?

℞. Prima ac præcipua Idacii cura eſſe debet, ut obliget pœnitentem ad diſtinctam ac quoad ſingulas, quantum fieri poteſt, circumſtantias enucleatam confeſſionem peccatorum ſuorum. Quærat 1°. An unquam inierit pactum expreſſum cum dæmone; quale fuerit illud pactum; in quo conſiſtat; quo fine, modo, & ſub quibusnam conditionibus tam ex parte illius quam ex parte dæmonis fuerit initum; an pactum hoc nullam in ſe contineat blaſphemiam, peculiarem impietatem vel hæreſin. Poſt hæc obligandus eſt pœnitens, ut diſſolvat ac rumpat hoc pactum, lacerando ignique tradendo illius chirographum, ſi habeat, abrenunciando dæmoni, & ad Deum revertendo per ſinceram pœnitentiam. 2°. Interroget etiam, an ad conſummandum tam immane crimen non adhibuerit res ſacras; quænam illæ fuerint; quo ſucceſſu adhibitæ fuerint; ſpecialiter vero, an nullum exinde damnum evenerit proximo in vita, valetudine corporis, vel bonis fortunæ. 3°. Quibusnam illatum fuerit tale damnum, & quibus mediis. 4°. An nunquam interfuerit conventibus magorum & ſagarum; quomodo in hujusmodi ſocietatibus ſeſe geſſerit; quidnam ibi actum fuerit contra Deum, Religionem, Eccleſiam, proximum, caſtitatem &c. 5°. Poſtremo denique omnibus viribus in id incumbat, ut ovem errantem dæmoni eripiat, ac ad Deum reducat; proponat ipſi enormitatem peccatorum ſuorum, moneatque, quanti interſit, ut ea expiet diuturna ac rigoroſa pœnitentia. *Pontas.*

CASUS II. Flavianus accuſatus & incarceratus fuit ob magiam. Probationes contra ipſum adductæ conſiſtunt 1°. in depoſitione duorum complicum. 2°. In eo, quod ex domo

 ſua

ſua translatus fuerit in locum ac conventum ſagarum celebrantium ſic dictum ſabbatum ſuum. 3°. In eo, quod in quadam corporis ſui parte impreſſam habeat figuram ungulæ, & hæc pars omnino ſit inſenſibilis. Mauritius accuſati judex de ſententia pronuncianda dubius quærit. 1°. An certum ſit vere dari magos, veneficos, ſortilegos ac ſagas; id enim ſibi videri valde dubium, cum ſuprema tribunalia hoc tempore neminem ſoleant condemnare præciſe ob magiam, niſi cuiquam per maleficium grave damnum illatum fuerit. 2°. An complices Flaviani ſint teſtes idonei contra ipſum, & ad deponendum teſtimonium admitti poſſint. 3°. Poſito, quod admitti poſſint, an ex eorum depoſitione reus condemnari poſſit. 4°. An translatio de uno loco in alium ſit certum magiæ argumentum. 5°. An ſignum corpori impreſſum, & inſenſibilitas ſuppeditet plenam magiæ probationem, aut ſaltem ſemiplenam.

℟. 1°. Negari non poteſt, dari magos, veneficos & ſortilegos; cum in pluribus locis de iis ſcriptura expreſſe loquatur, iique a variis Conciliis tam antiquioribus quam recentioribus condemnati fuerint, & hodiedum adhuc ex præſcripto Ritualium diœceſanorum ſub miſſa parochiali publice quotannis excommunicati declarentur. 2°. Complices Flaviani non poſſunt ut teſtes admitti quoad punctum abductionis ad ſacra diabolica ſabbati, cum hæc mera ſint phantaſmata ac illuſiones diabolicæ juxta Can. *Epiſcopi.* 12. §. 1. & 2. Cauſ. 26. q. 5. 3°. Verum quidem eſt, duos teſtes irreprehenſibiles, & ab hoc crimine prorſus immunes, ſi teſtentur de tranſlatione ejusmodi ad conventus magicos, & de abominationibus, quæ ibi fieri putantur, tanquam de rebus veris, realibus ac corporalibus, ſufficere ad condemnationem rei; ſed ubi teſtes hujusmodi reperire erit? fors in concavo lunæ, cum certum ſit, omnia ea eſſe ſolum imaginaria, & mera ludificante dæmone phantaſiæ ludibria? 4°. Realis ac corporalis abductio ad ſabbatum argueret quidem operationem magicam; ſed abductionem vere ac corporaliter factam fuiſſe, deberet probari argumentis certiſſimis, quod denuo fieri non poteſt. 5°. Quod attinet ad figuram ungulæ corpori impreſſam, naturaliter contingere poteſt, ut corpori humano ejusmodi ſtigmata cernantur impreſſa, quin operationi dæmonis poſſint adſcribi, & proin ex his ne quidem ſemiplena probatio poteſt erui intervenientis ſortilegii. *Pontas.*

Nota,

Nota. Abductiones nocturnæ repentinæ e lecto præſentibus teſtibus fidei dignis ſunt quidem indicium operationis dæmonum ; ſed an fiant cum pacto patientis eam abductionem , vel in patientis probationem , vel ex ſpeciali permiſſione divina in pœnam parentum quandoque omnia mala ac mille dæmones liberis ſuis imprecantium , deſumendum eſt ex aliis circumſtantiis. Ordinarie latent fraudes hominum & ſimplicitas teſtium.

Vide *Maleficium. Superſtitio.*

MALEDICTIO.

1. *Maledictio* eſt deſiderium mali, quod quis vel ſibi, vel alteri , vel cuicumque demum rei v. g. communitati vel civitati aut etiam creaturæ irrationali imprecatur : quamvis enim juxta S. Thomam maledictio , proprie loquendo , ſolum reſpiciat creaturas rationales , habet tamen aliquando pro objecto principali etiam alias creaturas, dum quis v. g. maledicit malæ tempeſtati , viæ aſperæ , equo , inſtrumentis artis ſuæ &c.; & in hoc caſu maledictio indirecte tangit ipſum creatorem , cujus providentiam quis arguit, aut contra eam inſurgit. Ejusmodi maledictiones a peccato nunquam excuſari poſſunt.

2. Effectus maledictionum quantumvis injuſtarum nunquam non timendos eſſe , teſtis eſt S. Auguſtinus L. 22. de Civ. Dei c. 8. n. 22., ubi refert matrem , quæ erat ex urbe Cæſarea Cappadociæ , infeliciſſimo eventu ſeptem filiis & tribus filiabus ſuis maledixiſſe : iſta enim mater æſtuans ira , quod primogenito filio , qui ipſam percuſſerat, cæteri liberi non reſtitiſſent, ad Eccleſiam perrexit , & ad fontem Baptismalem tam male ac horribiliter liberis ſuis imprecata eſt , ut omnes in ipſo inſtanti omnibus artubus contremiſcere cœperint ; quo factum eſt, ut oculos concivium ſuorum non ferentes , & publico ſe ſubtrahere opprobrio volentes , quaquaverſum ire , & toto pene vagari orbe Romano coacti fuerint. Addit S. Pater , duos ex decem liberis , Paulum ſcilicet & Palladiam , cum translatio Reliquiarum S. Stephani celebraretur , miraculoſe fuiſſe ſanatos, feliciores utique infeliciſſima matre, quæ imprecationes ſuas effectui datas cernens laqueo ſe ſuſpendit.

3. Sunt tamen quidam caſus , in quibus Sancti Spiritu Dei afflati , aut divino mandato juſſi maledictionibus ac imprecationibus in peccatores uſi ſunt, ut S. Petrus in Simonem magum.

4. Solus Deus utpote infinite juſtus maledicere poteſt ceraturis ſuis. S. Petrus Ep. 1. c. 3. v. 9. omnem male-

 dictio-

dictionem prohibet: *nec maledictum pro maledicto, ſed e converſo benedicentes*; ex ſolius enim peccatoris ore procedit maledictio.

CASUS I. Oruntius quandoque profert verba maledictoria. Peccatne ſemper mortaliter?

℟. Non niſi difficillime a peccato mortali excuſari poteſt: maledictio enim juxta S. Thomam 2. 2. q. 76. art. 3. C. ex natura ſua peccatum mortale eſt. Nihilominus fieri poteſt, ut maledictio ſit peccatum dumtaxat veniale; ut ſi malum, quod quis imprecatur alteri, ſit tantum leve malum; vel ſi ſolum proferatur ex joco, absque ſufficienti deliberatione, aut ex nimia præcipitantia voluntatem antevertente. Et ex hoc D. Thomæ principio peccatum Oruntii metiendum eſt. *Pontas.*

Nota. Tenetur absque dubio Oruntius ſub peccato mortali adhibere media efficacia ad extirpandam conſuetudinem ſic maledicendi: talia forent, ſi pro ſingulis maledictionibus recitet determinantas preces, & quidem expanſis brachiis; fixam in cibo aut potu abſtinentiam aſſumat, aut toties eroget certam eleemoſynam, quoties maledicit.

CASUS II. Ranulfus quandoque maledicit creaturis irrationabilibus. An ſemper peccat mortaliter, ſi malum, quod imprecatur, grave eſt, idque ſerio & cum plena deliberatione imprecatur?

℟. Ex principiis S. Thomæ mortaliter quis peccat, dum maledicit agro, equo aut alteri creaturæ proximo neceſſariæ; quia maledictio & imprecatio damni ſic aliquatenus redundat in ipſum proximum. Mortale quoque peccatum eſt maledictio creaturæ irrationalis, ſi conſideretur præciſe ut creatura Dei; & hæc maledictio aliquo modo induit rationem blasphemiæ. Si vero maledicens non habuit eam intentionem vel attentionem, & ſi malum, quod imprecatur, non præjudicat proximo, erit tantum peccatum veniale, ut cum S. Thoma docet Cajetanus in Sum. v. *Maledictio. Pontas.*

Nota. Si quis ſoli diabolo maledicat v. g. illi imprecando arduitatem ſuſcepti laboris, ſaltem motus impatientiæ, & indirecta interpretativa murmuratio contra Dei ordinationem non vacat peccato veniali.

CASUS III. Iſidorus colonus ſæpe maledicit diei, horæ, ventis, pluviis & hujusmodi. An peccat graviter?

℟. Regulariter loquendo non peccat graviter; quia ruſtici ordinarie non maledicunt ventis ac pluviis eatenus, quatenus Deus iis utitur tanquam inſtrumentis ad puniendum homi-

hominem; ſed ſolum quia illis moleſtiam creant, aut damnum inferunt. Interim tamen, cum nulla ratio poſſit ejusmodi verba maledictionis cohoneſtare, certum eſt, līidorum ſaltem peccare venialiter. C. B.

Nota. Ex genere ſuo tales maledictiones ſunt peccata mortalia; cum redundent in Deum, & graviter dehoneſtent religionem Chriſtianam. Hinc datur gravis obligatio corrigiendi conſuetudinem.

MALEFICIUM.

CASUS I. Aldobrandus a dæmone torquetur, aut ſaltem torqueri ſe exiſtimat. Quid illi agendum?

℟. Certum eſt, contra maleficia absque graviſſimo peccato nunquam adhiberi poſſe media, quæ expreſſum aut tacitum cum maligno ſpiritu pactum redolent; ſed recurrendum eſſe ad ea media, quæ Eccleſia in ejusmodi eventibus adhiberi permittit aut conſulit. Talia remedia ſuppeditat Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus Can. *Si per ſortiarias* 4. cauſ. 33. q. 2. his verbis: *Hortandi ſunt, quibus iſta eveniunt, ut corde contrito, & ſpiritu humiliato Deo & ſacerdoti de omnibus peccatis ſuis puram confeſſionem faciant, & profuſis lacrymis & largioribus eleemoſynis & orationibus, atque jejuniis Domino ſatisfaciant; & per exorciſmos ac cætera eccleſiaſticæ medicinæ munia miniſtri Eccleſiæ tales, quantum Dominus annuerit, ſanare procurent. Fromageau.*

Nota. Nec Benedictiones Eccleſiæ, multo minus Exorciſmi contra maleficia facile adhibendi ſunt, niſi ſit prudens ſuſpicio aut conjectura, & indicia veroſimilia ac valde gravia de interveniente maleficio, poſt diu fruſtra adhibita media ordinaria a medico vel chirurgo præſcripta; & tunc quidem non alias benedictiones aut exorciſmos adhibere licet, niſi qui in Rituali Romano aut diœceſano continentur.

CASUS II. Antonius minis ac verberibus cogit veneficam, ut maleficium quod jam paraverat ad perdendam prolem ejus, transferat in canem. Poteſtne hoc fieri absque novo peccato?

℟. Venefica absque graviſſimo peccato non poteſt mediante novo maleficio paratum jam in prolem Antonii maleficium tollere, nec illud hoc modo in canem transferre; cum id fieri non poſſit ſine novo magiæ uſu & vel tacita vel expreſſa invocatione dæmonis, quæ res intrinſece mala, & nunquam ad evitandum etiam damnum graviſſimum adhiberi poteſt. Antonius vero licite potuit adigere veneficam ad tollendum a prole maleficium; dummodo id fieri poſ-

ſe credidit abſque nova dæmonis ope, novoque maleficio: intentio enim ipſius ſolum erat malum avertendi a prole ſua, & operationem magicam ac ſacrilegam adhibita etiam caſtigatione exprobrandi mulieri veneficæ. C. B.

Nota. Doctrina hæc a ſuperſtitione haud multum remota eſſe videtur: cauſatio enim & continuatio maleficii fit per continuam actionem dæmonis; eaque ſolum impediri poteſt inhibitione divina, quæ non denegatur Deum debite imploranti ac ordinata ab Eccleſia ad hoc media amplectenti. Hinc Antonius non a venefica, ſed a Deo ſublationem maleficii petere debuiſſet.

Vide *Magus. Superſtitio.*

MALITIOSUS.

1. Nomine *malitioſi* non venit hic cujusdam particularis criminis reus, ſed omni malitiæ habitualiter deditus, qui lætatur, cum malefecerit, & exultat in rebus peſſimis, quem Lipſius vocat *cognatum imo innatum omni ſceleri.* Hujusmodi malitioſos S. Paulus Rom. 1. ſic deſcribit: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum . . . ſine miſericordia.*

2. Vero Chriſtiano nullum cum ejusmodi malitioſis commercium aut conſuetudo eſſe debet, niſi fundatam ſpem habeant, ſe quidquam ad eorum converſionem contribuere poſſe; & id quidem ſolum tunc, quando omne propriæ ſeductionis periculum abeſſe noverint.

3. Nihilominus certum eſt, neminem adeo eſſe malitioſum, ut non quandoque boni quid agat; ſicut nemo ita juſtus, ut nunquam mali quid committat. Et hinc, ſi quis malitioſus eſt ſolum in una re, necdum traditus in ſenſum reprobum, poteſt abſque peccato cum eo haberi commercium; dummodo non ſit periculum propriæ perverſionis, vel cedat in ſcandalum proximi: imo datur obligatio eidem exhibendi officia charitatis, ſi ſpes affulget eum ſic ad meliorem frugem reducendi.

CASUS I. Alexander ſæpius commiſit gravia crimina. Poteſtne haberi pro homine malitioſo juxta regulam juris: *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus?*

℞. Certum eſt, quod quivis homo, quantumcumque malitioſus, quovis momento poſſit ſe convertere per divinam gratiam, quam Deus digne petentibus nunquam denegat.

negat. Ampliſſimum quoque diſcrimen eſt inter eos, qui ex malitia habituali & deliberato ſtudio peccant, ac inter illos, qui ſolum peccant ex fragilitate vel ex violentia paſſionis: peccatum enim ex malitia habituali eſt longe magis voluntarium & gravius quam peccatum ex paſſione, cujus violentia eſt motus cito tranſiens. His præſuppoſitis dicendum, quod generaliter loquendo non quivis homo, qui erat in conſuetudine peccati, haberi debeat pro malitioſo; quia fors interea ſe convertit, & eo ipſo tempore Deo eſt acceptior ac ille, qui eum judicat malum. Multo minus malitioſus cenſendus eſt ille, qui ex ſubita ac improviſa paſſionis violentia cecidit; cum hic facilius peccatum agnoſcat, ac de eo pœnitentiam agat. Citata regula juris ſolum reſpicit forum externum, in quo multum conferunt præſumptiones, licet quandoque falſiſſimæ. Accedit, quod hæc regula tantum dicat, illum *præſumi* malum, non re ipſa *eſſe* malum. *Pontas.*

CASUS II. Valerius duos frequentat ſocios, quorum unus vino & mulieribus, alter vero jurandi ac blaſphemandi conſuetudini ſerviliter addictus eſt; imo iis etiam cohabitare cogitat. Tutane id conſcientia?

℟. Si Valerius ſolide in virtute firmatus & radicatus ſit, & ex ſua cum his ſociis conſuetudine ſperet eorum emendationem ac converſionem, licite cum illis converſari, imo & cohabitare poterit. Si vero ſui ipſius perverſionem timeat, ac in malo obſtinatos, ſuiſque monitionibus aut exemplis haud obſecundaturos noverit, ſine neceſſitate cum iis converſari tuta conſcientia non poterit. In dubio, ad quid teneatur conſuldat parochum aut confeſſarium, ejusque ſententiæ inſiſtat. *Pontas.*

NOTA. Ideo conſulendus eſt parochus aut confeſſarius; quia parochus ex converſatione Valerii externa, confeſſarius autem ordinarius ex ejus diſpoſitione interna facilius novit, an ex parte Valerii reperiatur periculum proximum, propinquum, remotum, vel omnino nullum ſeductionis.

Vide *Charitas.* *Odium.* *Criminoſus.*

MANCIPIUM.

Mancipium ſeu ſervus dicitur ille, qui ſui juris non eſt, ſed quoad ſervitia corporalia juſta plene in omnibus ſubjectus eſt poteſtati alienæ. In omnibus Chriſtianis Europæ regnis ſervitus ſtricte dicta a multo jam tempore eliminata eſt; ita ut præter nomen nil amplius ſuperſit. Ea, quæ leges civiles de mancipiis ſtatuunt, alium jam uſum

non habent, niſi ut inde parallelifmus fiat cum monachis & Religioſis, qui quoad effectus ſocietatis civilis comparari poſſunt mancipiis. Quidam harum legum tituli applicari poſſunt domeſticis & famulis.

CASUS I. Armentarius mancipium ex ſua uxore Fabiola libera duas ſuſcepit proles. An iſtæ quoque ſunt mancipia ?

℟. Si iſti Armentarii liberi nati ſunt in regione, ubi leges civiles quoad ſervitutem obſervantur, liberæ conditionis ſunt, cum ipſorum mater quoque libera ſit : *partus* enim *ſequitur ventrem.* Si vero nati ſunt in regione, in qua leges Romanæ non obſervantur, cenſendi ſunt mancipia, ſequentes conditionem patris utpote nobilioris principii, a quo ſuam ducunt originem. Obſervandum tamen, quod, licet juxta jus Romanum infantes ſequantur conditionem matris, id non intelligendum quoad honores, nobilitatem, ac dignitates, ſi pater ſit liber. *Pontas.*

CASUS II. Haſſanus Turca domi ſuæ ſex habet mancipia Chriſtiana, quæ emerat ; his interdicit ſuæ Religionis exercitium, præſertim confeſſionis liberum illis adimit uſum. Quidam vero eorum illi non optemperans ſeveriſſime exceptus eſt ; igitur quærit, an non obligatione annuæ confeſſionis & Communionis Paſchalis eximatur, aut num in iſto caſu e domo ſui Domini aufugere poſſit ?

℟. Non eſt exemptus ab obligatione confeſſionis & Communionis Paſchalis, ideoque iſti obligationi ſatisfacere tenetur, ſi poteſt, non obſtante quod male excipiatur verberibus. Si vero non poteſt ſatisfacere permanendo in domo ſui Domini, licite fuga ſibi libertatem procurare poterit. *Pontas.*

Nota. Ratione barbaræ tractationis, & periculi vitæ, quod aufugiendo incurreret, cenſerem, illum a lege eccleſiaſtica confeſſionis & Communionis annuæ excuſari.

CASUS III. Pontius Centurio equeſtris in exercitu Imperatoris, in Hungaria duo emit mancipia, quorum unum Turca, alterum Judæus erat ; verum uterque elapſo menſe Chriſtianam amplexus eſt fidem. An inde libertatem recuperant ?

℟. Pontius non tenetur ex juſtitia eos libertate donare ; tenetur tamen ad id ex charitate ; maxime dum jam per aliquod tempus utilia ſervitia præſtiterunt. *Pium eſſet*, ait S. Antoninus, *liberum facere præcipue poſt certum tempus ſervitii.* Addit S. Doctor, quod ſi emptor ejusmodi mancipiorum

p'orum poſtea comperiret, ea jam tempore emptionis fuiſſe Chriſtianos, in conſcientia teneretur eos plenæ libertati reſtituere, & quidem abſque lytro, ſalvo tamen regreſſu ad venditorem. Ratio eſt; quia nec emere nec vendere licet Chriſtianum. *Pontas.*

CASUS IV. Celius mancipium cujusdam Societatis negotiantis in Africa, ubi emuntur mancipia, ut denuo vendantur in regno Peruano, cum Pariſiis eſſet, ad Gabinium confugit, ejusque protectionem ac liberationem a ſervitute implorat.

℟. Gabinius tuta conſcientia non poteſt Celium in ſuam protectionem recipere in præjudicium Societatis, quæ eum emerat in Africa, ſi vel ipſus ſe vendidit, vel ex matre ſervilis conditionis natus eſt in provincia, ubi ſervitus in uſu eſt, vel ſi ob commiſſum crimen ſervitute mulctatus eſt. Verum ſi in bello ab infidelibus ſervus factus eſt, poterit Gabinius juvare evaſionem ipſius. *Pontas.*

Vide caſ. ſeq.

CASUS V. Licetne tuta conſcientia vendere mancipia ſeu Negritas?

℟. Multi Authores exiſtimant, commercium Negritarum in Guinea, Æthiopia & aliis regionibus ordinarie eſſe injuſtum, ita ut mortaliter peccetur eos emendo, & libertate donari debeant. Tres dantur differentes modi ſervitutem contrahendi, ſcilicet *jure belli*, *condemnatione & emptione*; qui etſi de ſe juſti ſint, facile tamen injuſti fiunt ex circumſtantiis. Sic v. g. 1. *jure belli*, quando bellum eſt injuſtum, ut plerumque eſt bellum inter Negritas, cujus incentivum ſola paſſio, titulus ſervitutis quoque injuſtus eſt, & hac occaſione in ſervitutem redactos emere non licet. 2. *Condemnatione*, quæ ipſa ſæpe injuſta eſt & ex odio aut ira fit; & tunc nec hæc mancipia emi poſſunt. Quod attinet 3. titulum *emptionis*, ſunt, qui ſe ipſos vendunt aut venduntur a parentibus, quod in quibusdam caſibus permiſſum eſt, ut in tam gravi neceſſitate, qualis eſt ipſa ſervitus; cum autem ignorant, quid ſit ſervitus, juxta eosdem Authores eos emere non licet; quia venditio eſt injuſta. Si vero mancipia juſto titulo talia ſunt, & ex parte emptoris nec injuſtitia nec fraus interveniat, emi ea vendique poſſunt. Mancipia denique indifferenter emi poſſunt omnia eo fine, ut convertantur ad veram fidem, vel in libertatem aſſerantur. *Fromageau.*

No-

NOTA. Cum ſervitus apud crudeles Dominos ſit æquiparanda extremæ neceſſitati, & quilibet homo teneatur proximo, non ex crimine, ſed ex infortunio in eam miſeriam conjecto ſuccurrere non ſolum in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate, manifeſtum eſt, jure naturali & divino illicitam eſſe tractationem inhumanam mancipiorum, aut venditionem emptoribus crudelibus.

MARTYRIUM.

1. *Martyrium eſt Actus fortitudinis, & teſtimonium externum veritatis fidei, alteriusve veræ virtutis per tolerantiam mortis.* Verba hæc, *alteriusve virtutis*, indicant, quod quis coronam martyrii mereri poſſit non ſolum, ſi mortem oppetat ob defenſionem alicujus articuli fidei, ſed etiam ſi mortem toleret pro conſervatione caſtitatis, alteriusve virtutis a charitate imperatæ.

2. Præter Martyrium perfectum & conſummatum ab illo, qui ſuffert mortem, eſt & aliud, quod *incompletum & inchoatum* dicitur; ſive dein Deus miraculo ſuæ omnipotentiæ impediat, ne mors ſequatur; ſive faciat, ne tormenta tanti ſint roboris, ut mortem afferant.

3. Infantes, illique, qui a nativitate ſunt amentes, vere ſunt Martyres, ſi mortem in odium Religionis ſubire cogantur, quod dici non poteſt de adultis: hi enim ipſimet libenter acceptare & ſufferre mortem in odium Jeſu Chriſti aut ejus doctrinæ ſibi illatam, atque in ſtatu gratiæ ipſo mortis momento eſſe, fidem quoque & charitatem habere debent, ſi velint nomen martyris & coronam martyrii promereri.

4. Martyrium quandoque poteſt eſſe de præcepto juxta S. Thomam; dum ſcilicet eſt ſuſtinendum pro tuenda fide, aut evitando peccato mortali.

CASUS I. Orta eſt in quodam doctorum conſeſſu controverſia: utrum martyrium aliquando poſſit eſſe neceſſarium neceſſitate ſalutis. Cæcilius ſæpius id contingere poſſe affirmabat. Num bene?

℞. Haud dubie dantur caſus in quibus juxta S. Thomam Quodl. 4. art. 20. C. & 2. 2, q. 124. art. 3. ad 1. Chriſtianus ſub pœna peccati mortalis tenetur martyrium perpeti: veluti ſi verſaretur inter infideles aut hæreticos, & judicialiter interrogaretur de fide ſua, tunc ſub pœna damnationis fidem ſuam profiteri tenetur, licet certus ſit, mortem ſibi ſubeundam fore. Idem dicendum de eo, cui in quadam occaſione indiſpenſabiliter aut committendum peccatum mortale aut mors ſufferenda. *Pontas.*

CA-

CASUS II. Maximus presbyter miſſionarius in regno Tunkinenſi martyrii deſiderio exæſtuans animare gentiles cogitat ad inferendam ſibi mortem, ut ſic pro Chriſti nomine mori poſſit. Tutane conſcientia ſic agere poteſt?

℟. Non poteſt juxta eundem S. Thomam 2. 2. q. 124. art. 1. ad 3. animaret enim gentiles ad committendum peccatum mortale; quod non licet. *Pontas.*

CASUS III. Marculfus presbyter miſſionarius in regno Siamenſi eo animo eſt, ut, ſi aliquando ſubeundum ſibi eſſet martyrium, ipſemet ſibi mortem accelerare, ſeque ultro in præparatas a gentilibus flammas conjicere velit, ne diuturniora ſuſtinere cogeretur ſupplicia; prout quidam martyres ſancti feciſſe leguntur. An id licet?

℟. Leguntur quidem in Hiſtoria eccleſiaſtica ejusmodi exempla SS. Martyrum furorem gentilium prævenientium; verum hi Sancti ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu agitati ſic egerunt. *Utinam*, inquit S. Ignatius Epiſcopus Antiochenus Epiſt. ad Rom. *fruar beſtiis, quæ mihi ſunt præparatæ, & oro mihi veloces eſſe ad interitum, & allici ad comedendum me... quod ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer.* His non obſtantibus Marculfus absque peccato ſibi mortem accelerare haud poſſet; cum non tam facile præſumere liceat, id ſe Spiritus ſancti inſtinctu agere, & juxta S. Thomam in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 6. nemini liceat ſibi mortem conſciſcere. *Pontas.*

Nota. Ea, quæ hic adſcribuntur ſpeciali inſtinctui divino, cenſeo, recte adſcribi poſſe ſpeciali permiſſioni divinæ, qua Deus ob altiores fines relinquit curſum ſuum dictamini invincibiliter erroneo Sanctorum.

MATRIMONIUM.

1. A mundi exordio Deus matrimonium inſtituit, eoque quaſi vinculo amoris ac ſocietatis primum maſculum, primamque mulierem colligavit, ut ſic genus humanum per viam generationis multiplicaretur, & ſalutare poſt peccatum remedium ſuppeteret, quo concupiſcentia carnis juſtos intra limites contineretur. Deus jam ab æterno matrimonium inſtituit infinite nobilius, excellentius, majorisque momenti, matrimonium videlicet Jeſu Chriſti filii ſui cum Eccleſia, cujus figuram eſſe voluit matrimonium Adæ & Evæ. Utrique huic matrimonio finem præſtituit generationem prolium, hoc tamen cum diſcrimine, ut matrimonium Adæ cum Eva liberos gignere poſſet & deberet non niſi carnales;

les; matrimonium autem myſticum Chriſti cum Eccleſia filios gratiæ & adoptionis, imo filios Dei mediante baptismo.

2. Matrimonium Chriſtianorum hoc habet commune cum matrimonio Judæorum atque Gentilium, quod tam ab his quam ab illis habeatur ad inſtar fœderis & legitimæ conjunctionis viri & fœminæ, quæ non tam in unione corporum, quam animorum, cordium ac voluntatum conſiſtit.

3. Finis matrimonii eſt procreatio prolium & conſervatio amicitiæ, concordiæ ac unionis inter diverſas familias jam per hoc fœdus coadunatas, quarum alias ut alienarum & extranearum nulla habita fuiſſet ratio. Veritas hæc adeo vel per ſolam rationem naturalem innotuit, ut & Nationes infideles matrimonium ſemper tanquam ſacrum quid & utile ſuſpexerint, atque in violatores ejusdem ſeveritate legum ſuarum rigoroſe animadverterint. Major adhuc apud Judæos, quam Gentiles, matrimonii erat veneratio: venturum enim ex gente ſua Meſſiam probe ſciebant, & quivis eorum ex ſua familia eum naſci poſſe ſperabat. Hinc non ſolum promptiſſimi erant ad ineunda matrimonia, ſed & plures uxores ducebant, ut ſic augerent numerum prolium ſuarum.

4. Matrimonium Chriſtianorum infinite ſanctius, aliisque ſublimius eſt. 1. Non tolerat polygamiam. 2. Eſt verum novæ legis Sacramentum. 3. Ejusdem vinculum ita eſt indiſſolubile, ut ſecuta conſummatione matrimonii non niſi per mortem alterutrius conjugum ſolvatur: per divortium enim ſive ob adulterium ſive ob aliam quamcumque demum cauſam vinculum hoc ſacrum ac inviolabile non rumpitur.

5. Matrimonium poteſt conſiderari ſub ratione meri contractus civilis, & ſub ratione Sacramenti. Sub ratione *contractus civilis*, quale eſt matrimonium infidelium & paganorum, definitur: *Contractus, quo legitimæ perſonæ corporum ſuorum dominium mutuo tradant & accipiunt.* Dicitur: *legitimæ perſonæ*; quia ſolum ii, qui ſunt habiles ad contrahendum, poſſunt ſibi mutuo tradere poteſtatem in corpus ſuum *ad uſum conjugalem*, quem definitio denotat. Hinc pater & filia, frater & ſoror nunquam poſſunt ſibi invicem concedere hanc poteſtatem. Sub ratione *Sacramenti* & inſolubilis vinculi ex contractu orti, quale eſt matrimonium Chriſtianorum, ut ſymbolum unionis hypoſtaticæ naturæ divinæ cum humana in perſona Jeſu Chriſti, & unionis Chriſti cum ſua Eccleſia, definitur: *legitima maris & fœminæ conjunctio individuam vitæ ſocietatem retinens*, vel magis proprie,

prie, novæ legis Sacramentum, quo vir & mulier baptizati corporum ſuorum dominium mutuo tradunt & accipiunt ſecundum præſcriptum legum divinarum & humanarum ad uſum conjugalem.

6. Matrimonium dicitur *ratum*, quod legitime contractum ab Eccleſia eſt ratihabitum; *conſummatum* vero, dum ultimam ſuam perfectionem conſecutum eſt per uſum conjugii. Vinculum prioris matrimonii ſolum per profeſſionem ſolemnem Religionis; poſterioris vero in nullo caſu diſſolvi poteſt.

7. Elegantius ac utilius pro inſtructione conjugatorum afferri haud poteſt, quam doctrina illa unctione Spiritus ſancti pleniſſima, quam iis tradit Apoſtolus Eph 5., dum ita ſcribit: *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino; quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe ſalvator corporis ejus. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea; ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſe ipſum diligit: nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam; quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

8. De cætero agetur in hoc titulo 1. De matrimoniis conditionatis, 2. De ætate, dotibus ac diſpoſitionibus perſonalibus contrahentium. 3. De forma ac Miniſtro Sacramenti matrimonii. 4. De matrimoniis minorennium ſine conſenſu parentum aut tutorum. 5. De neceſſario conſenſu contrahentium, & de ficte contrahentibus. 6. De mulcta pecuniaria ſtipulata ab ipſis contrahentibus in deſiſtentem a promiſſione matrimonii. 7. De matrimonio condemnati ad mortem. 8. De matrimonio per procuratorem contracto. 9. De variis modis rehabilitandi matrimonium invalide contractum. 10. Denique de impugnatione matrimonii, denunciationum prævlarum, vel diſpenſationis obtentæ, & de legitimo Judice in cauſis matrimonialibus, de quibus Tridentinum dicit: *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices eccleſiaſticos, anathema ſit.*

CARUS

CASUS I. Tharaſius & Mævia contraxerunt matrimonium ſub conditione. Eſtne validum poſt Concilium Tridentinum ?

℞. Poteſt quis in matrimonium conſentire ſub conditione licita & honeſta, qualis foret hæc: *ſi id probaverit pater meus.* Poteſt & contrahi ſub conditione illicita & bonis moribus adverſante, idque duplici modo fieri poteſt. *Primo modo*, dum conditio tendit ad deſtruendam matrimonii ſubſtantiam, ut dum tollit unum ex tribus bonis eſſentialibus matrimonii, quæ ſunt *proles*, *fides*, & *Sacramentum. Secundo modo*, dum conditio non quidem adverſatur triplici generi bonorum matrimonialium, aliunde tamen peccaminoſa eſt. His ſuppoſitis, ſi conditio verſatur circa rem honeſtam & licitam, & ab utroque contrahentium fuit expreſſa coram parocho & teſtibus, ea ſuſpendit effectum contractus, ut declarat Alexander III. in Cap. *de illis.* 3. *de condit. appoſ. in deſpons.* L. 2. Tit. 5. niſi ipſi contrahentes conditioni renunciaverint ante impletionem illius, quod licite fit. Si vero conditio evertit ſubſtantiam matrimonii, hoc eo ipſo nullum eſt; quia deeſt intentio ad valorem Sacramenti neceſſario requiſita. Ita docet S. Thomas in 4. ad Hanibal. diſt. 29. q. un. art. 3. C. Si denique conditio appoſita non quidem repugnet tribus bonis matrimonii, ſit tamen illicita, peccatur ſic contrahendo, licet contractus ipſe ſit validus. Sic denuo S. Thomas in 4. cit. diſt. 27. q. 2. art. 1. C. Ex his ergo principiis judicium ferendum de valore matrimonii Tharaſium inter & Mæviam. *Pontas.*

NOTA. Juxta ſententiam Authorum docentium, omnes contractus initos ſub conditione turpi eſſe jure naturæ invalidos, idem dicendum de matrimonio ſub conditione turpi ſeu peccaminoſa contracto. In tali caſu poſſet legiſlator aut Judex in pœnam imponere impletionem contractus, caſſata tamen conditione.

CASUS II. Anatolius cum Maria matrimonium init ſub hac conditione: *Uxorem te duco, ſi pater meus conſenſerit.* Pater per ſex menſes reſtitit, & tandem precibus filii ceſſit. Valetne hoc matrimonium ?

℞. Dubitari haud poteſt de valore hujus matrimonii juxta Navarrum Manual. cap. 22. n. 63, dummodo Maria intra hoc tempus, quo pater Anatolii ſe oppoſuit, conſenſum ſuum non revocaverit. Nihilominus neceſſarium videtur, ut pater conſenſum præbeat coram parocho & teſtibus. Ratio eſt; quia juxta Concilium Tridentinum præſentia parochi cum duobus aut tribus teſtibus pertinet ad eſſentiam matrimonii;

nii; Concilium autem fruſtraretur ſua intentione, ſi parochus & teſtes non haberent notitiam de adimpleta conditione: non enim teſtari poſſent de valore matrimonii, & conſequenter nec impedire, ne Anatolius ducat aliam in præjudicium Mariæ ſponſæ ſuæ legitimæ. *Pontas.*

CASUS III. Si in præfato caſu pater Anatolii nec conſentiat nec diſſentiat, ſed ad petitionem filii prorſus ſileat. An validum erit matrimonium?

℟. Si ex ſilentio patris rationabiliter poteſt colligi, quod non opponat ſeſe, dicendum, validum eſſe matrimonium: *qui* enim *tacet, conſentire videtur.* Poteſt autem id colligi ex eo, ſi pater exhibeat ſe indifferentem circa conjugium filii, nec de eo unquam conqueratur: matrimonium tamen ſemper manebit conditionatum, donec pater manifeſtet voluntatem ſuam. Ita ſentiunt Navarrus & Sylveſter. *Pontas.*

CASUS IV. Mævius contrahit matrimonium ſub hac conditione: *ſi pater meus conſenſerit*; licet probe ſciat, patrem jam eſſe mortuum. Eſtne matrimonium validum?

℟. Si ſic contrahendo conſenſit interne ac modo abſoluto in matrimonium, conditio ut impoſſibilis & non adjecta cenſetur; & conſequneter non ſuſpendit effectum contractus, matrimoniumque certo eſt validum, acſi etiam externe abſolute fuiſſet initum. *Pontas.*

Nota. Si contrahens ſcivit, patrem ſuum jam eſſe mortuum, cenſetur ludere; ac proin contractus eſt invalidus.

CASUS V. Balduinus contraxit cum Cæcilia, quæ tamen non conſenſit niſi ſub hac conditione, ut ſervaret virginitatem ſuam, quoad vixerit. Balduinus aſſentit, & Cæcilia ad hanc aſſecurationem repetit ſuum conſenſum ſub his terminis: *Contraho tecum de præſenti ea lege, ut vivas mecum tanquam frater cum ſorore, quod mihi ſpopondiſti. Et ſi id ſincere non velis, proteſtor abſolute contra hunc contractum, etſi oretenus conſentire me dicam.* Valetne hoc matrimonium? Et quid dicendum, ſi ſub alia, hacque conditione contraxiſſet: *Nubo tibi hac conditione, ut quamprimum voto te obſtringas emittendi ſolemnem profeſſionem Religionis*, aut *ut nunquam matrimonium mecum conſummes, ſicut mihi promiſeras*?

℟. Sunt Authores, qui matrimonium ſub duabus primis conditionibus contractum validum eſſe exiſtimant ex hac ratione; quia jus reciprocum conjugatorum in corpora ſua poteſt ſeparari ab ipſo uſu; &, licet prima conditio adverſetur primo bono matrimonii, ſcilicet generationi prolis,

ea tamen matrimonium non reddit invalidum; quia non adverſatur modo injuſto ac illicito. Iidem Authores putant, tertiam conditionem adverſari matrimonio modo illicito; quia ſolum ſolemnis profeſſio Religionis, aut votum ab uno conjugum cum conſenſu alterius emiſſum poteſt maritum vel uxorem eximere ab obligatione conſummandi matrimonium. Nihilominus ſententia oppoſita videtur probabilior; quod ſcilicet matrimonium ſub qualibet trium memoratarum conditionum contractum ſit irritum: conditio enim, quantumvis honeſta, ſi repugnet eſſentiæ matrimonii, illud reddit invalidum. *Greg. IX. in Cap. Si conditiones. fin. De condit. appoſit.* Addendum tamen, non obſtante voto ſimplici caſtitatis matrimonium valide poſſe contrahi, etſi illicite. *Pontas.*

CASUS VI. Triſtanus cum Henrica in quarto gradu conſanguinea matrimonium iniit ſub hac conditione: *Si Papa in hoc impedimento dirimente diſpenſaverit.* An matrimonium obtenta diſpenſatione ſit validum?

℟. Aliqui tenent affirmativam. Sed dicendum cum Sylveſtro v. *Matrimonium* 3. q. 9., quod per ſolam diſpenſationem non fiat validum, ſed ea obtenta Triſtanus & Henrica de novo conſentire debeant; quia prior conſenſus non fuit legitimus, & conſequenter inſufficiens: erant enim ante obtentam diſpenſationem inhabiles ad contrahendum. *Pontas.*

CASUS VII. Artemius contrahit cum Juliana ſub hac conditione: *ſi te virginem invenero.* Valetne matrimonium?

℟. Si mens Artemii fuit ſubiiciendi Julianam viſitationi honeſtarum fœminarum, & ſuper earum de virginitate teſtimonio abſolute contrahendi, matrimonium impleta conditione erit validum; cum hæc conditio non verſetur circa rem illicitam. Si vero ſenſus conditionis fuit, ut ipſe Artemius per copulam carnalem experimentum ſumat de virginitate Julianæ, matrimonium valet, acſi eſſet abſolute contractum; quia conditio, utpote turpis ac bonis moribus oppoſita, habetur pro non adjecta. *Greg. IX. in cit. Cap. Si conditiones. fin. de condit. appoſit.* Ex eo tempore, quo Concilium Tridentinum matrimonia clandeſtina irritavit, contractus matrimoniales conditionati ſunt rariſſimi, repugnantque praxi ac conſuetudini Eccleſiæ. *Pontas.*

NOTA. Gregorius IX. loquitur de foro externo, in quo præſumitur, conditionem non eſſe ſerio adjectam; vel placuit illi in caſu particulari ſic diſponere in pœnam.

CA-

CASUS VIII. Siranus necdum decimum quartum annum, & Gabriela nondum duodecimum ætatis annum egreſſa ad inſtantiam parentum ſuorum matrimonium contraxerunt? Num valide? An non peccarunt mortaliter contrahendo ante ætatem a legibus ſtabilitam?

℟. Quamvis Canones ad contrahendum valide matrimonium certam ætatem præſcripſerint, quæ eſt decimus quartus annus quoad maſculos, & duodecimus pariter completus quoad fœminas; poteſt tamen contingere, ut contrahentes ante ætatem ordinariam ob ſpecialem vigorem ſint apti ad generandum, quod pluribus exemplis probari poſſet: & in hoc caſu matrimonium juxta D. Thomam in 4. diſt. 36. q. un. art. 9. C. foret validum de jure naturali. Si e contrario contrahentes in ætate præſcripta ob complexionis debilitatem non eſſent habiles ad conſummationem matrimonii, tale matrimonium, etſi in foro externo præſumatur eſſe legitimum, foret de jure naturali invalidum, deberetque obtenta perfecta pubertate renovari in forma ab Eccleſia præſcripta. Ex his colligi poteſt, quid de valore matrimonii Siranum inter & Gabrielam tenendum ſit. De cætero ſic contrahentes peccarunt mortaliter, ſi cum ſufficiente notitia præceptum Eccleſiæ transgreſſi ſunt; quia ad generationem prolis adhuc inhabiles conjecerunt ſe in evidens periculum committendi plura peccata contra caſtitatem ſub falſo prætextu matrimonii. Certiſſime peccarunt graviter ii, quibus cura ac tutela taliter contrahentium incumbebat, & ejusmodi matrimonium approbarunt: hi enim leges Eccleſiæ exactius ſcire tenebantur. *Pontas.*

CASUS IX. Geraſimus duodennis duxit Joannam puellam quindecim annorum ejusdem captus divitiis; paulo poſt autem Joannam contraxiſſe pœnituit. Teneturne ea expectare, donec Geraſimus decimum quartum ætatis annum compleverit, quin interea alteri poſſit nubere?

℟. Ejusmodi matrimonia ſine gravi peccato iniri nunquam poſſunt, ſaltem ſine licentia Epiſcopi, quæ absque urgenti ac graviſſima cauſa danda non eſt. *Nicol. I. in Cap. Ubi 2. de deſponſ. impub.* Hoc ſuppoſito dicendum, quod Joanna coram Deo teneatur expectare, usque dum Geraſimus legitimam ætatem aquiſierit, ſi ex juſta cauſa ab obligatione voluntarie contracta eximi non poſſit. Comparatio hic poteſt inſtitui inter hunc contractum matrimonialem & votum ſolemnis profeſſionis invalidum ex defectu ætatis: ſicut enim votum ſolemne, etſi invalidum, habet tamen vim voti ſimplicis caſtitatis, & voventem obligat ad ſer-

vandam caſtitatem; ſic & hoc matrimonium, etſi ex parte Geraſimi invalidum ob defectum pubertatis, ſortitur tamen vim & effectum ſponſalium. Conſequenter Joanna tenetur expectare præſcriptam ætatem Geraſimi. *Pontas.*

CASUS X. Barnabas triginta annos natus, jam a decimo ætatis anno eſt amens, ita tamen, ut quolibet menſe per duos aut tres dies continuos lucida intervalla habeat. Hic tempore lucidi intervalli vult cum Angela contrahere matrimonium, quæ & conſentit. Siſtunt ſe igitur parocho pro benedictione. Suntne admittendi?

℟. Etſi Barnabas eo tempore, quo uſu rationis gaudet, poſſit valide contrahere, nunquam tamen id fiet licite. Hinc non eſt admittendus a parocho ad contrahendum matrimonium, donec penitus ceſſet amentia: inter præcipuos enim matrimonii fines numerarur bona ac Chriſtiana educatio prolium, ad quam in hoc ſtatu inhabilis eſt Barnabas. Ita docet S. Thomas in 4. diſt. 34. q. un. art. 4. C. *Pontas.*

CASUS XI. Gabinius a nativitate ſurdus & mutus per ſigna declarat parocho, quod velit contrahere cum Barbara, quæ & ipſa conſentit. Num pater Gabinii conſenſum ſuum negare non poterit huic matrimouio? An parochus poteſt aſſiſtere? Quid, ſi Gabinius inſuper cæcus eſſet?

℟. Pater Gabinii non poteſt ſe opponere huic matrimonio, niſi alias rationes habeat conſenſum ſuum negandi. Parochus poteſt eos admittere ad celebrationem matrimonii juxta Innocentium III. *in C. Cum apud.* 23. *De ſponſ. & matrim.* Si autem Gabinius ſimul foret ſurdus, mutus & cæcus, parocho non liceret aſſiſtere tali matrimonio; quia ſponſus non poſſet ullo ſigno externo manifeſtare conſenſum ſuum. S. Thomas in 4. diſt. 28. q. un. art. 3. C. *Pontas.*

CASUS XII. Philoſtratus ſcit, ſe incurriſſe excommunicationem majorem a jure vel ab homine. Poteſtne in hoc ſtatu abſque peccato mortali contrahere matrimonium?

℟. Non poteſt; cum in ſtatu peccati mortalis, per quod cenſuram incurrit, ſit incapax recipiendi gratiam Sacramenti. Imo ſi minorem tantum excommunicationem incurriſſet, non poſſet licite contrahere; quia & hæc excommunicatio innodatum excludit ab omni participatione Sacramentorum Eccleſiæ. *Greg. IX. in C. Si celebrat.* 10. *De Cler. excomm. L.* 5. *Tit.* 27. *Pontas.*

CASUS XIII. Diſceptatio orta eſt inter nonnullos parochos rurales ſuper hac quæſtione: utrum in caſu urgenti & ſummi momenti matrimonium abſque novo peccato contrahi

trahi poſſit ab eo. qui actu eſt in ſtatu peccati mortalis, & animum habet in eo perſeverandi. Quid ſentiendum?

℟. In nullo prorſus caſu licet contrahere matrimonium in ſtatu peccati mortalis; quia eſt verum Sacramentum, id quod in Concilio Tridentino Seſſ. 7. Can. 1. expreſſe definitum eſt; & ideo conſtitutus in peccato mortali illud absque ſacrilega profanatione recipere non poteſt, ut in eodem Concilio Seſſ. 24. de reform. matrim. Cap. 1. habetur, ubi conſtituit, ut contracturi prius expurgent conſcientiam ſuam per confeſſionem ſacramentalem, & ſumptione SS. Euchariſtiæ ſe diſponant ad digne ineundum matrimonium. Conſequenter ſententia oppoſita eſt vere erronea, falſa & perniocioſiſſima. *Pontas.*

CASUS XIV. Barbara ſcit, Laurentium ſponſum ſuum eſſe in ſtatu peccati mortalis, nec adduci poſſe, ut confiteretur. Poteſtne cum illo contrahere matrimonium, quin ſe participem reddat ſacrilegii ab eo committendi?

℟. Non videtur Barbara cooperari ad peccatum Laurentii, ſi illi in hoc ſtatu nubat; ſicut ille non cooperatur ad peccatum parochi, qui ex juſta cauſa neceſſitatis recipit Sacramenta ex manibus ejus, licet in peccato mortali exiſtentis. Et hic datur neceſſitas reſpectu Barbaræ nupturæ, ut recipiat Sacramentnm matrimonii per miniſterium ſponſi: ſunt enim juxta plures Theologos ipſi contrahentes miniſtri hujus Sacramenti. *Pontas.*

Nota. Hac ſuper re conſulendus a ſponſa confeſſarius. Expeditior foret excuſatio Barbaræ, ſi ſupponatur, non contrahentes, ſed parochum eſſe miniſtrum Sacramenti matrimonii.

CASUS XV. Lombardus juvenis quidem nobilis, ſed pauper, ducit Dianam fœminam plebejam, aſt ditiſſimam, & jam ſexagenariam ea ſolum intentione, ut potiretur ejusdem divitiis, quas illi in dotem ſpoponderat. An non peccant mortaliter ambo contrahentes? ille ex fine ſibi præſtituto? hæc autem, quia in tam profecta ætate non amplius ſperare poteſt liberos?

℟. Lombardus ex hoc ſolo motivo contrahens peccat mortaliter, committitque abuſum Sacramenti, ſicut ille, qui baptiſmum aut aliud Sacramentum ea ſola intentione reciperet, ut lucretur ſummam pecuniæ ſub hac conditione ſibi promiſſam: uterque enim manifeſte profanat Sacramentum. Ita S. Beuve tom. 3. caſ. 165. Aliud dicendum de Diana: ſufficit enim, ſi matrimonium amplectatur *in remedium*

dium ſuæ libidinis, qui finis ſecundarius eſt matrimonii, & contrahentem a peccato gravi excuſat. *Pontas.*

CASUS XVI. Caſſianus & Paula volunt contrahere tempore Interdicti generalis, cui ſubjacet eorum Eccleſia. Poteſtne parochus aſſiſtere huic matrimonio?

℟. Ex ſententia Theologorum plurimorum licet parocho aſſiſtere huic matimonio; licet Bonifacius VIII. dum recenſet ea, quæ tempore Interdicti permiſſa ſunt, non exprimat matrimonium. Sanchez l. 7. de matrim. diſp. 8. n. 2. ultra duodecim numerat Authores pro hac ſenſentia. Ex quo ſaltem id eruitur, quod de valore hujus matrimonii prudenter dubitari non poſſit. *Pontas.*

CASUS XVII. Fuldradus parochus benedixit ſolemniter nuptiis cujusdam juvenis cum vidua. Peccavitne?

℟. Parochus peccavit graviter; quia egit contra expreſſam prohibitionem Eccleſiæ. Ita declarat Alexander III. in Cap. *Capellanum.* 1. de ſecund. nupt. l. 4. tit. 21. Et Cap. *Vir autem.* 3. eod. tit. Idem docet Sylvius in Supplem. S. Thom. q. 63. art. 2. ad 2. Ratio hujus prohibitionis eccleſiaſticæ clare dilucitatur ab Authore Supplementi S. Thomæ, dum ita loquitur: *Secundum matrimonium, quamvis in ſe conſideratum ſit perfectum Sacramentum, tamen conſideratum in ordine ad primum habet aliquid de defectu Sacramenti; quia non habet plenam ſignificationem, cum non ſit una unius, ſicut eſt in matrimonio Chriſti & Eccleſiæ; & ratione hujus defectus benedictio a ſecundis nuptiis ſubtrahitur. Sed hoc eſt intelligendum, quando nuptiæ ſunt ſecundæ & ex parte viri & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum: ſi enim virgo contrahat cum viro, qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur; ſalvatur enim aliquo modo ſignificatio, etiam in ordine ad primas nuptias; quia Chriſtus, etſi unam Eccleſiam ſponſam habeat, habet tamen plures perſonas deſponſatas in una Eccleſia. Sed anima non poteſt eſſe ſponſa alterius quam Chriſti; quia alias cum dæmone fornicatur, nec eſt ibi matrimonium ſpirituale. Et propter hoc, quando mulier ſecundo nubit, nuptiæ non benedicuntur propter defectum Sacramenti. Pontas.*

Nota. Aliud eſt copulatio, & aliud benedictio accidentalis copulationem ſubſequens. Illa neceſſario debet fieri per parochum, etſi ambæ perſonæ contrahentes eſſent in ſtatu viduitatis.

CASUS XVIII. Agilbertus mox contracturus matrimonium cum Lucia firmiter decrevit non manifeſtare ſponſæ ſuæ debita, quibus erat gravatus; quia timebat, ex hac notitia ſponſam & parentes ejusdem matrimonio obſtituros. Teneturne

æturne in conſcientia indicare debita ſua? An confeſſarius poteſt ipſi denegare abſolutionem, ſi perſiſtat in propoſito ſuo?

℟. Si Agilbertus fuiſſet a Lucia vel parentibus ejus interrogatus de ære alieno, ipſe autem gravatum ſe negaſſet; aut, quod pejus eſt, ſi falſo affirmaſſet, ſe poſſidere multas opes, quas tamen non poſſidebat, & quo cognito nec Lucia nec ejus parentes conſenſiſſent in matrimonium, confeſſarius ſub comminatione denegandæ abſolutionis tenetur eum obligare ad detegendam veritatem. Si vero nec ſponſa nec ejusdem parentes indagarunt hac ſuper re, non videtur ipſi deneganda abſolutio, dummodo ſecuritatem præſtet de dote ſponſæ ſuæ. *Pontas.*

CASUS XIX. Maclovius parochus adſtitit matrimonio Pauli & Ludovicæ parochianorum ſuorum, non pronuncians verba conſueta: *ego vos conjungo.* Valetne matrimonium?

℟. Duæ ſunt hac ſuper quæſtione opiniones. Prima eaque plurium Theologorum vult, allegata verba conſtituere formam Sacramenti, adeoque eſſe eſſentialia. Altera vero, quæ eſt D. Thomæ in 4. diſt. 26. q. 2. ar. 1. ad 2. aliorumque magno numero Theologorum & Canoniſtarum, tuetur, materiam proximam matrimonii eſſe conſenſum contrahentium, & verba, per quæ contrahentes mutuum ſuum conſenſum exprimunt, eſſe formam Sacramenti; videturque hæc ſententia veritati conformior. Hinc matrimonium, de quo hic agitur, eſt validum. Parochus autem non pronuncians dicta verba peccavit graviter; tum quia ea aut ſimilia præſcripta ſunt in omnibus Ritualibus; tum quia in materia Sacramentorum, quando Theologi non conveniunt, ſemper pars tutior eſt eligenda. *Pontas.*

Nota. Validum quidem eſt hoc matrimonium in ratione contractus civilis; eo ipſo autem, quod utraque ſententia ſit vere probabilis, ejusdem valor ſaltem quoad eſſe Sacramenti eſt dubius. Rituale Auguſtanum minus 1764. juſſu & auctoritate Epiſcopi editum, dum tit. 38. n. 17. pag. 190. agit de benedictione nuptiarum ſecundarum, viduæque nuptias haud benedicendas eſſe monet, addit: *Advertant autem parochi, hoc loco ſermonem eſſe de benedictione mere ceremoniali, ſubſequa ad formam conſtitutivam Sacramenti.* Prior ergo benedictio omnibus indiſcriminatim matrimonìis impendenda & his verbis comprehenſa: *Matrimonium inter vos contractum Deus confirmet, & ego illud approbo, & in facie Eccleſiæ ſolemnizo in nomine &c.* vocatur hic forma conſtitutiva Sacramenti.

tione jus & poteſtatem matrimonio annexam in corpus mulieris ſibi arripuit, quin illi per ſincerum conſenſum idem jus traderet in ſuum corpus; nam certum eſt, matrimonium habere rationem contractus *do ut des*. Fatendum tamen, ſi Philemon nondum conſummavit matrimonium *animo conjugali*, quod poſſit valide contrahere aliud matrimonium, quamvis id faciendo graviter peccet, & inſuper teneatur ad æquam compenſationem faciendam deceptæ Honoriæ, judicio viri prudentis. *Pontas.*

Nota. Conſummatio matrimonii præſumitur in foro externo facta animo conjugali. Deceptor autem, cum honeſtæ puellæ ſatisfacere alio modo non poſſit niſi honeſto connubio, ſub excommunicatione compellendus eſt ad eam pro conjuge ſumendam & agnoſcendam, niſi fictio fuiſſet ex circumſtantiis ſenſibilis, aut niſi puella ultro vellet eſſe contenta alia ſatisfactione.

CASUS XXIII. Benignus toparcha, Eliſabetham agricolæ vaſalli ſui filiam deceptūrus, juxta formam ab Eccleſia præſcriptam cum ea conjungitur, interne tamen non conſentiens. Poſtquam aliquamdiu inſtar mariti cum illa vixerat, parocho declaravit, nullam ſe intentionem habuiſſe eandem ſibi in conjugem adſciſcendi, quod & probavit ope declarationis ſua manu ſcriptæ, obſignatæ, ac pridie diei nuptialis in manibus parochi depoſitæ; & hinc abſolute recuſat Eliſabetham ut uxorem ſuam retinere, nec ad id compelli ſe poſſe exiſtimat ob tam diſparem ſtatus conditionem. Quid agendum parocho, ſi Benignus eidem confiteatur?

℟. Etſi Benignus coram Deo graviſſime peccaverit, Theologi tamen, quorum agmen ducit S. Thomas, in eo conveniunt, quod in ſimili caſu homo nobilis & ſtatus longe ſublimioris abſolute non ſit obligendus ad renovationem conſenſus, præſumendumque, puellam, quæ probe ſciebat hanc ſtatus inæqualitatem, ſemetipſam voluiſſe decipere. Itaque parochus ſolum obliget Benignum 1. ut ſeveram agat pœnitentiam ob crimen fraudis commiſſæ, ob ſacrilegum abuſum Sacramenti, ob datum ſcandalum, & ob fornicationes cum Eliſabetha ſub prætextu conjugii commiſſas. 2. Ut procuret ſibi declarationem judicis eccleſiaſtici de nullitate matrimonii. 3. Ut deceptæ per ſummam pecuniariam procuret conjugium non minus proficuum, ac antea potuiſſet obtinere, ſi decepta non fuiſſet. *Pontas.*

CASUS XXIV. Alcuinus ſimulate abſque omni conſenſu interno contraxit matrimonium cum Amalia; ſciens autem, ſine peccato mortali ſe matrimonium conſummare non poſſe, abſtinuit ab omni actu conjugii, & ad alias nuptias

tranſiit cum vero conſenſu interno. Verum Amalia a judice eccleſiaſtico obtinuit contra Alcuinum ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrendæ, niſi illi cohabitaret. An poterit ad evitandam cenſuram parere judici ?

℟. Juxta S. Thomam in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. quæſt. 4. ad 4. excommunicationi potius, quam huic ſententiæ, humiliter ſubmittere ſe debet Alcuinus; licet judex eccleſiaſticus, qui nec debet nec poteſt judicare niſi juxta allegata & ex factis apparentibus, juſtam ſententiam tulerit. Matrimonium Alicuini cum Amalia certe eſt invalidum ex defectu conſenſus; & conſequenter non poteſt illi cohabitare ſub quocumque demum prætextu, quamvis a judice ad id compellatur. *Pontas.*

Nota. Cenſerem potius, ſecundum matrimonium eſſe invalidum ob errorem ſubſtantialem ſecundæ uxoris, quæ exiſtimabat, ſe liberum, & non judicio Eccleſiæ cum alia priori uxore ligatum ducere; ſuppoſito, quod ſecunda ſponſa nullam de priori conjugio notitiam habuerit.

CASUS XXV. Paternus inito cum Catharina ficte & absque interno conſenſu matrimonio, rem cum ea habuit *affectu fornicario*; eo quod eam ut uxorem ſuam non agnoſceret. Ea jam dimiſſa confitetur peccatum ſuum, & jubetur a confeſſario redire ad dimiſſam & renovare conſenſum, ut ſic reparetur malum perpetratum, & injuria dimiſſæ illata compenſetur. Paternus morem gerere recuſat, eo quod Catharina aſſeveraſſet, ſe eſſe virginem, cum tamen ab alio jam corruptam propria experientia cognoviſſet, & ex hac ratione ficte cum ea contraxiſſet. Teneturne confeſſarius non obſtante allegata ratione ſub comminatione denegandæ abſolutionis Paternum compellere, ut renovet conſenſum & dimiſſam recipiat ?

℟. Si verum eſt, quod Catharina virginem ſe eſſe ſimulaverit, & pro tali ſe communiter haberi affirmaverit, ac cognita rei veritate Paternus cum ea non contraxiſſet, videtur, quod confeſſarius non poſſit per denegationem abſolutionis Paternum cogere ad renovandum ex animo conſenſum: deceptio enim unius compenſat deceptionem alterius; cumque ipſamet Catharina injuriæ ſibi illatæ cauſa exſtiterit, non eſt, quod eam Paterno imputet. Sic ſentit Sylvius in Supplem. S. Thom. q. 45. art. 4. quæſt. 1. Obſervandum tamen, non adeo facile credendum eſſe homini ſimulationem matrimonii ſui aſſerenti: qui enim non erubuit impudenter mentiri publicæ ac in facie Eccleſiæ, vix fidem merebitur fi-

ctionem

ctionem matrimonii allegans, niſi eam aliis argumentis ſufficientibus probet, quorum quinque enumerat Sylvius. *Primum argumentum*, inquit, *ſi ita ſtatim a contractu reclamet, ut videatur protuliſſe verba per inadvertentiam. Secundum. ſi poſtea neget ſe conſenſiſſe, & de facto contrahat cum altera, vel recipiat ſacros Ordines, aut profiteatur Religionem. Tertium, ſi juramento confirmet, ſe non conſenſiſſe; & ſit talis, de quo præſumi non poſſit, quod pejeret. Quartum, ſi tanta ſit diſparitas, ut veriſimile ſit, non voluiſſe contrahere cum tali. Quintum, ſi probet metum patris ille, qui negat ſe conſenſiſſe.* De cætero ſumma ſollicitudine in ejusmodi caſibus evitandum eſt ſcandalum; ideoque pro obtinenda ſeparationis ſententia ſemper ad Judicem eccleſiaſticum recurrendum: quamvis enim matrimonia ficta coram Deo ſint nulla, Eccleſiæ tamen eſt ea declarare ut invalida. *Pontas.*

Nota. Ex his ſequitur, tales non eſſe abſolvendos, niſi ſub promiſſo recurrendi ad Judicem eccleſiaſticum, & ſententiæ ferendæ morem gerendi.

CASUS XXVI. Goſſelinus & Joanna mutuo ſibi promiſerunt matrimonium intra tres menſes ineundum, pacta pœna pecuniaria 250. florenorum ſolvenda a reſiliente. Goſſelinus reſilit, conveniturque coram Judice pro ſolvenda ſtipulata pœna. Teneturne eam ſolvere, ſi a Judice ad id condemnetur?

℟. Jure eccleſiaſtico antiquo, qui contraxerant ſponſalia, etiam per cenſuras ad ea implenda compellebantur; verum diſciplina hæc jam eſt abolita ob ſiniſtros effectus, qui ex ejusmodi matrimoniis quaſi coacte initis ſequebantur. Dicendum igitur, etſi Goſſelinus in conſcientia teneatur adimplere promiſſum ſuum, niſi legitima cauſa eum excuſet, prudentis tamen ac diſcreti Judicis eſſe eum ad id non compellere per condemnationem ad ſolvendam mulctam pecuniariam 250. florenorum, ne, dum vult evitare unum malum, & quidem minus, occaſionem præbeat malis gravioribus, quæ emergere ſolent ex matrimonio quaſi coacte inito. Si mitius in his circumſtantiis agat Judex, ipſius etiam Joannæ bonum promovebit: emolumentum enim & temporale & ſpirituale capiet, ſi non nubat homini, qui omnem affectionem ſponſalitiam exuiſſe ſe publice teſtatur, indicio ſat luculento, nec amorem conjugalem inito matrimonio ſubſecuturum. Ad hæc non eſt, cur Judex ullam ſtipulatæ pœnæ pecuniariæ rationem habeat, utpote reprobatæ ab utroque jure, civili & canonico, ita ut Goſſelinus, etſi ad

eius-

ejuſdem ſolutionem a Judice condemnatus, in foro interno non teneretur eam ſolvere. Denique Joanna in cauſa ſolvendæ pœnæ a Judice eccleſiaſtico eſſet remittenda ad forum civile, a quo Goſſelinus poſſet condemnari ad ſolutionem, non quidem ratione mutuæ conventionis, ſed compenſationis cauſa ob injuriam Joannæ illatam. *Pontas.*

CASUS XXVII. Timantes affectat matrimonium cum Juliana ſibi conditione, divitiis & ſtatu æquali, & inſuper moribus irreprehenſibili; ſed Paulina mater Timantis ex mera averſione erga puellam, denegato jam per ſex menſes ſuo conſenſu, interdictoque ſeveriſſime Timanti cum ea commercio, omnem filio ſpem eripuit eam obtinendi. Timantes nihilominus aſſidue Julianam inviſit, favente vel maxime Laurentia matre puellæ, quæ hac ratione negotium matrimonii demum confectum iri ſperabat. Jam quæritur, utrum parochus de his edoctus poſſit 1. Paulinæ denegare abſolutionem, niſi conſentiat in matrimonium filii. 2. Utrum eodem modo agere poſſit cum Timante, niſi a conſueta cum Juliana familiarite abſtineat. 3. An denique Laurentiam abſolvere debeat, etſi non deſinat deinceps fovere conſuetudinem Timantis cum filia ſua.

℟. 1. Si Timantes majorennitatem jam attigit, poteſt matrimonium inire ſine conſenſu matris, dummodo eum modo a legibus localibus præſcripto requiſierit, ne a matre exhæreditari poſſit. Si necdum eo ætatis pervenit, non poteſt Julianam ducere invita matre, quæ habet jus conſenſum ſuum denegandi. Et hinc prudentis parochi non eſt per denegationem abſolutionis a matre extorquere conſenſum, ne diſſenſiones, quas extinquere intendit, magis inflammet: ejusmodi enim matrimonia liberorum ſine conſenſu parentum inita integras plerumque familias in ſe invicem concitant, alioſque funeſtos effectus procreant. Accedit, quod Paulinæ fors juſtæ rationes minime deſint huic matrimonio ſeſe opponendi. 2. Si Timantes adhuc ſub parentum poteſtate eſt conſtitutus, abſolute tenetur diſſolvere priſtinam cum Juliana conſuetudinem, & debitam matri ſuæ præſtare obedientiam, a qua ipſum non eximunt quæſitæ ſponſæ probitas, morum venuſtas, ac ſtatus conditionisque æqualitas. Id ſi nolit, deneganda ipſi a parocho abſolutio. 3. Eodem modo agendum cum Laurentia, quæ evidenter peccat fovendo inobedientiam Timantis erga matrem ſuam. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Eunomius juvenis viginti annorum contraxit matrimonium cum Olympia puella ejuſdem ætatis;

tis ; quin tamen a ſuis utrinque parentibus conſenſum petierint. Valetne hoc matrimonium ? An non peccarunt mortaliter ſic contrahendo ?

℟. Ad primam quæſtionem haud facilis eſt reſponſio. Leges Imperiales matrimonia minorennium ſine conſenſu ſaltem tacito parentum , aut eorum , quorum poteſtati ſuberant , ſemper reprobarunt ut nulla. Idem obſervatum fuit in Eccleſiis orientalibus , ut conſtat ex pluribus Authoribus Græcis , qui ſcripſerunt a ſæculo nono uſque ad decimum quartum incluſive. Eccleſia Latina quoque eorum leges quoad hoc adoptavit ſub Imperatoribus Chriſtianis , ut apparet ex variis Conciliis. Hæc autem diſciplina immutata eſt ſæculo undecimo ; & dum ingens Authorum numerus , Theologorum ac Juriſconſultorum , antiquorum & modernorum ſcripſit docuitque , ejusmodi matrimonia in foro interno eſſe valida & vera Sacramenta , non deerant alii Authores tenentes oppoſitum. Hinc ſummopere exoptandum foret , ut Legiſlatores tam ſæculares quam eccleſiaſtici unanimi concordia fixam hac in re ſtatuant regulam , in omnibus tribunalibus , ſacris & profanis inviolabiliter obſervandam ; ex quo haud dubie conſcientiæ tranquillitatem , judicia ac ſententiæ uniformitatem , Sacerdotium & Imperium inſigne decus ac ornamentum conſequerentur. Secundam quæſtionem quod attinet , certum eſt , Eunomium & Olympiam peccaſſe mortaliter , niſi *juſta & gravis cauſa* eos excuſaverit ; quod facile colligitur ex ſeveritate legum tam civilium quam eccleſiaſticarum. Dicitur : *juſta & gravis cauſa* ; quia poteſt contingere, ut liberi non peccent hac in re agendo contra voluntatem parentum , v. g. ſi parentes ex mera pertinacia ac ſine ratione reſiſterent filio majorenni convenient ac evidenter proficuum matrimonium forte oblatum inituro ; aut ſi parentes filio obtruderent ſponſam pauperem , moribus corruptam , fatuam , infamem , hæreticam aut quoad Religionem ſuſpectam ; dummodo in ejusmodi caſu liberi obſervent formam a legibus præſcriptam : poteſtas enim , quæ jure naturali parentibus competit in liberos , fundatur in æquitate & ſana ratione ; & hinc filius in hiſce circumſtantiis inobediens non poſſet tuta conſcientia exhæredari a parentibus. *Pontas.*

CASUS XXIX. Macedonius annos natus viginti duos , degens in regione extera , reperit occaſionem conjugii ſumme favorabilis ; quæ autem elaberetur , ſi res eo differatur , donec pater edoceri poſſit. Contrahit ergo privata authoritate. Num licite & abſque peccato mortali ?

℟.

℟. Si Macedonius non contraxit contra expreſſam patris ſui prohibitionem, & rationabiliter præſumere potuerit, patrem veroſimilius conſenſurum, ſi edoceretur, non poteſt condemnari de peccato mortali; dummodo ſponſa non ſit malæ famæ. Ratio eſt; quod in hoc negotio, ut ſupponitur, nec inobedientia Macedonii nec condemptus patris intervenerit. Alioquin dici deberet, etiam peccaſſe Tobiam juniorem, qui & ipſe inſcio patre duxit uxorem; quod autem ſine maxima temeritate ſentiri non poteſt. *Pontas.*

CASUS XXX. Hermelandus miles profugus, poſtquam cum puella ruſtica, quam defloraverat, per triennium in regno circumvagatus fuerat, tandem anno ætatis ſuæ trigeſimo primo in diœceſi Senonenſi per integrum menſem conſiſtit, ibique cum dicta puella cogitat labore manuum vitæ ſuſtentationem quærere. Poteritne a parocho loci admitti ad nuptias?

℟. Inſpiciendum hic eſt, an habendi ſint pro vagis, quibus, licet valide conferatur benedictio nuptialis, non tamen confertur licite ſine ſpeciali licentia Epiſcopi. Ea vero obtenta poterit parochus aſſiſtere vagorum matrimoniis licite & valide; quia habetur tanquam proprius eorum parochus in ordine ad adminiſtrationem Sacramentorum aliaſque curas paſtorales. Imo in præſenti caſu Hermelandus non amplius cenſendus eſt vagus, ex quo in uno loco ſtabilem figere ſedem conſtituit. *Pontas.*

CASUS XXXI. Metrodorus octodecim vel novendecim annorum, filiusfamilias emancipatus poteſtne abſque peccato inire matrimonium, quin petat aut expectet patris ſui conſenſum?

℟. Leges Romanæ permittunt quidem liberis emancipatis, ut poſſint pro ſuo arbitrio ac privata authoritate matrimonium contrahere; cum tamen id ſine contemptu parentum vix fieri poſſit, videtur Metrodorus graviter peccare ſic contrahendo, maxime in locis, ubi Jus Romanum quoad hoc non eſt receptum, ut in Gallia. Emancipatio liberos quidem eximit a quibusdam obligationibus legum civilium, non autem ab iis, quibus per legem divinam, imo & naturalem ſubiiciuntur. Notandum hic, quod, ſi uterque parens circa conſenſum vel diſſenſum ad matrimonium filii vel filiæ non conveniat, ſemper prævaleat conſenſus vel diſſenſus patris. *Pontas.*

CASUS XXXII. Farulphus viginti quatuor annorum ſine conſenſu matris ſuæ ante ſex annos duxit puellam viginti ſex annorum. Quatuor ſuſceptis ex illa liberis in periculo-

ſum

ſum morbum incidit. Jam mater cogitat annullare hoc matrimonium, ſi moriturus ſit filius. Farulphus denuo reconvaleſcens quærit, qua ratione poſſit evertere malum hoc matris conſilium.

℟. Opportunum erit remedium, ſi Farulphus Officiali ſupplicet pro facultate de novo celebrandi matrimonium, conſenſu matris prius in ſcriptis requiſito. Ratio eſt; quia, ſi matrimonium hoc ratificetur in forma ab Eccleſia & a legibus præſcripta, Farulphus præveniet ſiniſtros effectus litis uxori ac liberis ſuis poſt mortem ſuam a matre ſuperſtite intentandæ: mater enim poſſet judicialiter perſequi uxorem Farulphi cauſa raptus, ac ſi ipſa ut majorennis ſubornaſſet filium ſuum eo tempore minorennem; cumque in crimine raptus non præſcribatur niſi poſt lapſum viginti annorum, & ab inito matrimonio primum ſex anni effluxerint, ad bonum prolium, ne quondam ab hæreditate paterna excludantur, plurimum conducet, ſi Farulphus dicta præcautione utatur. *Pontas.*

Nota. Extra Galliam de jure communi conſenſus patris & matris ad valorem non requiritur; hinc & actio matris contra filium ceſſat, & conſenſus in ſcripto petitus nihil operatur, niſi ut filius licite contrahat ac ſine dehonoratione parentum.

CASUS XXXIII. Medardus annum ætatis trigeſimum jam egreſſus ducit Baſiliam puellam viginti quinque annorum completorum ſine utriusque parentum conſenſu. Tenenturne parentes eandem iis dotem dare, quam dederunt aliis ſuis liberis?

℟. Cum & Medardus & Baſilia majorennitatem attigerint, matrimonium inire potuerunt ſine conſenſu parentum, quem tamen in ſcripto requirere debuiſſent. Id ſi fecerint, eandem cum aliis liberis dotem legitime petunt, quam parentes jure recuſare non poſſunt. *Pontas.*

Nota. De jure communi parentes non tenentur liberis dare æqualem dotem, dummodo cuivis dent legitimam. De cætero conſenſus parentum a liberis jam majorrenibus ſive in ſcripto ſive oretenus petitus, ut jam dictum eſt, extra Galliam vix alium effectum habebit, quam ut liberi non poſſint inſimulari injuriæ parentibus illatæ, dum in re ſummi momenti, qualis eſt electio ſtatus matrimonialis, cum iis conſilium non ineunt.

CASUS XXXIV. Guericus ob patratum homicidium ad mortem fuit condemnatus; ſed fuga elapſus ex carcere in extremis regni finibus contraxit matrimonium. Num valide?

℟. In

℞. In ratione Sacramenti & quoad vinculum conjugale valet hoc matrimonium, non autem quoad effectus civiles. Idem dicendum de muliere ob adulterium judicialiter condemnata ad perpetuos carceres, ſi inde elapſa poſt mortem mariti ſui novum iniret matrimonium; dummodo id fiat in forma ab Eccleſia præſcripta. Quod autem condemnatio ad triremes aut ad mortem ſolum obſit ejuſmodi matrimonio quoad effectus civiles, & nequaquam quoad rationem veri Sacramenti, probatur ex eo; quia ex nulla lege ſive civili ſive eccleſiaſtica conſtat de oppoſito. Ad hæc ipſa tribunalia civilia hæc matrimonia agnoſcunt ut vera Sacramenta, eaque ſolum annullant quoad rationem contractus civilis, niſi ſic condemnatus & civiliter mortuus in ſtatum priſtinum fuerit reſtitutus. Fevretus advertit, ad tuendam validitatem hujusmodi matrimoniorum etiam quoad effectus civiles non poſſe allegari bonam fidem; quia poſt publicam judicialem condemnationem non poteſt præſumi bona fides & ignorantia; id tamen ſolum extenditur ad condemnatum: nam ſi altera pars ſolide probaret bonam fidem & ignorantiam, ea etiam civilibus matrimonii effectibus gauderet. *Pontas.*

CASUS XXXV. Paula anno ætatis vigeſimo tertio completo contraxit matrimonium, non requiſito conſenſu patris ſui. Num poterit a patre non ſolum privari dote, ſed etiam excludi ab hæreditate?

℞. Utrumque tuta conſcientia fieri poterit. *Pontas.*

Nota. Hæc reſponſio legibus quidem Gallicanis, neutiquam vero Juri communi conformis eſt.

CASUS XXXVI. Alexander nobilis quidem, ſed pauper ſex habet liberos, filium ſcilicet & quinque filias, omnes nubiles. Prædii paterni poſt mortem patris ex lege locali hæres erit filius. Pro elocandis autem in honeſtum matrimonium filiabus deeſt dos. Duo quidem homines plebeji valde divites & vaſalli Alexandri duas natu majores filias in conjuges ſibi adſciſcere cupiunt; cum autem id familiæ ſuæ probroſum crederet Alexander, conſenſum ſuum denegat, filiasque Americam mittere ſtatuit, ut ibi pro ſuo quæque arbitrio maritum ſibi quærat. Tenenturne filiæ hac in re obedire parenti?

℞. Non tenentur obedire: poteſtas enim paterna eo ſe non extendit, ut poſſit transferre filias invitas in terras adeo remotas. Licite ergo filiæ nubant pro opportunitate oblatæ occaſionis; ſique pater ſe opponat, participem ſe reddit

dit omnium peccatotum ex fragilitate ſexus fors committendorum : hanc enim libertatem omnia jura cuilibet permittunt, quomodocumque demum ea utatur. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Vigilius degens in provincia remota duxit Semproniam per procuratorem. Eſtne validum hoc matrimonium & Sacramentum ?

℟. Matrimonium hoc de jure Canonico eſt validum, & habet rationem veri Sacramenti, id quod tuentur Authores præ cæteris inſigniores, ut Paludanus, Catharinus, Petrus Soto, Dominicus Soto, Bellarminus, Navarrus, Eſtius, Iſambertus, Covarruvias, & plures alii. Requiruntur autem ad valorem & licentiam matrimonii per procuratorem contrahendi quinque conditiones. 1. Ut procurator a contrahente habeat ſpeciale mandatum. 2. Ut procurator per ſemetipſum exequatur mandatum, niſi expreſſam habeat poteſtatem ſubdelegandi. 3. Ut data procuratori commiſſio non ſit revocata ante executionem : ſi enim revocata fuiſſet, omnia acta procuratoris forent prorſus inutilia, etiamſi revocationem ignoraſſet ; quia plurimum intereſt, ut matrimonia cum plena ac integra libertate fiant. 4. Ut in mandato procuratori expreſſe determinetur perſona, cum qua contrahendum. 5. Ut procurator ad litteram obſervet omnes conditiones in mandato præſcriptas, & nec latum unguem ejusdem limites transgrediatur. Præterea obſervandum 1. Quod vir procurationem poſſit committere etiam fœminæ ; etſi convenientius ab unoquoque contrahentium id muneris deferatur perſonæ ſui ſexus. 2. Quod ad valorem matrimonii abſolute neceſſarium non ſit, ut procuratio detur in ſcripto, ſed ſufficiat oretenus data, dummodo ante executionem non ſit revocata. 3. Quod ejusmodi matrimonium abſolute poſſit fieri per litteras, quæ tamen prælegendæ in præſentia teſtium & proprii parochi alterutrius contrahentium, ita tamen, ut pars præſens, cum qua abſens contrahit, vel per ſe vel per procuratorem vere ac ſincere conſentiat. 4. Quod hujusmodi matrimonia præſente utroque contrahente renovanda ſint ; tum quia non abſolute certum eſt, ea habere rationem veri Sacramenti ; tum quia poſſet contingere, ut una pars, antequam procurator mandatum executus fuerit, conſenſum ſuum revocaverit, quo in caſu matrimonium foret nullum. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Paulus, poſtquam procurationem dederat Petro contrahendi cum Magdalena matrimonium, incidit in amentiam. Petrus interea hujus facti ignarus contrahit nomine Pauli. Eſtne matrimonium hoc validum ?

℟. Eſt validum, etſi Paulus fuerit amens eo momento, quo Petrus ipſius nomine contraxit cum Magdalena. Sufficit, Paulum eo momento, quo mandatum dedit, & Petrum eo tempore, quo mandatum executus eſt, rationis compotes fuiſſe. *Non enim requiritur*, inquit Cabaſſutius, *ut, qui mandavit, ratione utatur, dum procurator mandatum exequitur: nam alioqui, ſi tunc temporis dormiret aut ebrius eſſet, dicendum quoque foret, irritum eſſe id omne, quod a procuratore geritur, quatenus qui mandaverat, jam uſu rationis caret. Sufficit enim, quod rationis compos mandaverit, & procurator ipſe, dum exequitur, ratione utatur. Pontas.*

Nota. Veroſimilius hoc matrimonium eſt invalidum ob errorem ſubſtantialem Magdalenæ circa perſonam ſponſi, in quo ſupponit eundem ſtatum habitualem circa qualitates, quibus haud dubie intentionem ſuam alligavit.

CASUS XXXIX. Anſelmus ficte ac ſine ullo conſenſu interno contraxit in facie Eccleſiæ cum Antonia, & durante hac fictione conſummavit matrimonium. Poſtea autem pœnitens defectum ſupplere cogitat. An ad revalidandum matrimonium de novo contrahere neceſſe eſt?

℟. Juxta S. Thomam in 4. diſt. 29. q. unic. art. 3. quæſt. 2. ad 3., S. Bonaventuram & S. Antoninum ſufficit, ſi Anſelmus interne renovet ſuum conſenſum; dummodo Antonia ſuum conſenſum non revocaverit. *Pontas.*

CASUS XL. Auguſtus & Joanna Petri vidua contraxerunt matrimonium invalide ob impedimentum criminis, in quo poſtmodum obtinuerunt a Papa diſpenſationem. Tenenturne de novo contrahere in præſentia parochi & teſtium?

℟. Antequam reſpondeatur, præſupponendum 1. quod impedimentum criminis ad contrahendum matrimonium reddat eos inhabiles, qui crimen commiſerunt animo ineundi matrimonium, ita ut non poſſint validum conſenſum ponere niſi mediante diſpenſatione legitima. 2. Quod, ut Scotus, Navarrus & Sylvius obſervant, tale matrimonium non cenſeatur fieri validum per ſolam diſpenſationem, ſed inſuper requiratur novus contrahentium conſenſus, ſive per verba ſive per ſigna æquivalentia exprimendus. Ratio eſt; quia tota vis diſpenſationis in eo conſiſtit, ut reddat ad contrahendum habiles, qui prius erant inhabiles: cum igitur prior conſenſus omnino fuerit illegitimus, utpote præſtitus a perſonis vi legis eccleſiaſticæ ad conſentiendum inhabilibus, abſolute neceſſarium eſt, ut ad obtentam diſpenſationem expreſſe ſubſequatur novus conſenſus reciprocus. His

præ-

præſuppoſitis conſiderandum eſt, an impedimendum fuerit publicum, vel occultum. Si fuit publicum, renovandum eſt matrimonium coram parocho & teſtibus, ut ſic juxta mentem Concilii Tridentini Seſſ. 24. de Ref. matr. c. 1. arceantur ſcandala aliaque mala ex matrimoniis clandeſtinis provenientia. Si impedimentum fuit occultum, ſoliſque contrahentibus notum, ſufficit, ſi ambo clam renovent ſuum conſenſum verbo vel alio ſigno externo; nec opus eſt, ut denuo contrahant in facie Eccleſiæ. Si tantum una pars habuit notitiam impedimenti, eoquod crimen communi utriusque aſſenſione fors commiſſum non fuerit, non ſolum tenetur ea renovare proprium ſuum conſenſum, ſed etiam convenienti modo elicere conſenſum alterius partis ignorantis impedimentum, ſi absque ſcandalo fieri poſſit: cum enim eo tempore, quo contraxerunt, conſenſus eorum fuerit omnino illicitus ac invalidus, defectus hic eſſentialis neceſſario reparari debet; nam *errantis* & ignorantis juxta legem *nullus eſt conſenſus.* Si autem ſciens impedimentum ex altera parte ignorante non poteſt absque ſcandalo aut periculo ſeparationis elicere conſenſum, non convenit inter Authores, quid agendum. Quidam exiſtimant, neceſſario parti ignoranti declarandam eſſe nullitatem matrimonii ſaltem in terminis generalibus, non ſpecificando determinate naturam impedimenti, nec attingendo libertatem ſeſe ſeparandi, qua gaudet, niſi vel viva voce vel aliquo ſigno externo renovare velit conſenſum. Quo facto ſi ignorans nullitatem de novo conſentiat, matrimonium revalidatur ope diſpenſationis, quæ utramque partem reddit habilem ad legitime contrahendum. Alii vero putant ſatis eſſe, ſi ſciens nullitatem matrimonii ſolus interne renovet conſenſum ſuum, matrimoniumque revalidari *per ſolam copulam animo conjugali habitam*, quin neceſſe ſit, ut parti ignoranti detegatur nullitas. Nos tamen ſentimus cum Navarro Man. c. 22. n. 47. & 86. authoritati Innocentii IV. innixo, quod ſcilicet non ſufficiat ad revalidandum matrimonium, ut ſciens ejusdem nullitatem ſolus obtenta diſpenſatione renovet conſenſum, ſed abſolute neceſſarium ſit, ut & ignorans de novo conſentiat, poſtquam de nullitate primi ſui conſenſus ſufficienter edoctus fuerit. *Pontas.*

Nota. Videtur nihilominus, ſufficere renovationem conſenſus ex parte unius contrahentium, ſcientis ſcilicet nullitatem, præſertim circa impedimenta juris eccleſiaſtici: cum enim conſenſus alterius partis in eſſe naturali habitualiter adhuc perſeveret, & Eccleſia invaliditatem juris poſitivi intervenientem per diſpenſationem tollat, jam nil deeſt ad valorem matrimonii.

CASUS XLI. Evremundus & Berta in quarto gradu conſanguinei mala fide abſque diſpenſatione contraxerunt matrimonium coram parocho, & teſtibus ſcientibus impedimentum. Tenenturne obtenta diſpenſatione de novo contrahere in præſentia parochi & teſtium?

℞. Non poteſt ſatisfieri præcepto Tridentini, niſi de novo contrahant coram parocho & teſtibus. Ratio eſt; quia præſentia teſtium ideo requiritur, ut poſſint teſtari de valido contractu conjugii. Cum autem in poſito caſu de hoc teſtari nequeant, eo ipſo neceſſe eſt, ut adhibeantur de novo. Idem dicendum juxta Genettum Theol. mor. part. 2. tract. 9. c. 7. n. 7., ſi vel unus teſtium fuerit conſcius impedimenti. *Pontas.*

CASUS XLII. Balduino & Cæcilia contrahentibus in facie Eccleſiæ parochus & teſtes ignorarunt obverſans inter eos impedimentum, quod tamen paulo poſt compererunt. Num obtenta diſpenſatione etiam in hoc caſu renovandum eſt matrimonium coram parocho & teſtibus?

℞. Si impedimentum in foro externo convincenter probari poſſit, tenentur de novo ſolemniter contrahere; ſecus ſufficiet ſecreta renovatio reciproci conſenſus, ut docet Sylvius in Suppl. S. Thom. q. 45. art. 2. q. 2. concluſ. 4. Ratio eſt; quia in hoc ſatisfecerunt præcepto Eccleſiæ ſaltem ita; ut de contrario convinci non poſſint, ſuppoſito quod ſciverint, impedimentum & eſſe & ſemper futurum penitus occultum. Navarrus teſtatur, Congregationem Cardinalium eandem quæſtionem ita decidiſſe, declarando ſcilicet, intentionem Concilii non fuiſſe in ſimili caſu obligandi partes, ut de novo contrahant coram parocho & teſtibus, ne fors oriatur ſcandalum. Nihilominus tamen, ut monet Sylvius, edocendi ſunt parochus & teſtes, quod impedimentum per diſpenſationem ſublatum, & conſenſus renovatus fuerit. *Pontas.*

CASUS XLIII. Hilarion bona fide contraxit cum Victoria coram parocho & teſtibus, quamvis ipſi eſſet affinis ex concubitu fornicario clam habito cum Victoriæ amita. Si poſtmodum obtineat diſpenſationem cum hac clauſula: *Ut Oratores de novo contrahant juxta formam a Concilio Tridentino præſcriptam*, an tenentur de novo contrahere in præſentia parochi & teſtium?

℞. Juxta Sylvium Suppl. S. Thom. q. 45. art. 2. quæſit. 2. concl. 4. ſufficit, ſi ſecreto inter ſe renovent mutuum conſenſum, non obſtante memorata clauſula; quia impedimentum eſt occultum. *Pontas.*

CASUS XLIV. Auguſtinus duxit Julittam, quæ tamen ſolum conſenſit ex metu. Satisne erit ad revalidandum matrimonium, ſi clam renovet conſenſum ſuum internum?

℞. Cum ad valorem matrimonii nil defuerit niſi ſincerus ac liber conſenſus Julittæ, ſufficit, ſi per conſenſum internum ſupplet ex parte ſua hunc defectum, dummodo Auguſtinus interea ſuum conſenſum non revocaverit. Ita ſentit S. Antoninus 2. part. Summ. Theol. tit. 1. c. 7. Rationem hujus reſponſionis Hoſtienſis, Joannes Andreas, Navarrus, Sylvius & alii, quam ex Decretalibus Alexandri III. & Innocentii III. deſumunt, adducunt hanc, quod ſcilicet ad valorem matrimonii non requiratur, ut conſenſus utriusque partis ponatur ſimul eodem tempore & loco; ſed ſufficiat, ſi uno prius conſentiente hoc tempore & loco, alterius conſenſus ſequatur alio tempore & loco, dummodo conſenſus prius poſitus non ſit revocatus. Sic & in Sacramento Pœnitentiæ non eſſentialiter neceſſarium eſt, ut abſolutio immediate ſequatur confeſſionem peccatorum. *Pontas.*

CASUS XLV. Hieronymus ſolus ſcit nullitatem matrimonii ſui. Renovaturus igitur conſenſum ſuum, ad id etiam uxorem ſuam adducere conatur, ea autem loco conſenſus conjugalis diſſenſum ac averſionem præſefert, peſſime contenta de vitæ ratione, quam in marito advertit. Quid in hoc caſu agendum Hieronymo?

℞. Tenetur abſtinere a petendo debito, quod uxor in hac diſpoſitione animi ſolum redditura eſſet ex falſa perſuaſione, quod ad id teneretur, utpote ignorans nullitatem matrimonii. Verum ſi, uxor petat debitum, Hieronymus poteſt illud reddere affectu conjugali, cum & illa cenſeatur id petere animo conjugali, ſicque renovare conſenſum ſuum ab Hieronymo expetitum. Nihilominus magis ad tranquillandam conſcientiam conduceret, ſi Hieronymus ante redditionem debiti verbis amiciſſimis uxori inſinuaret, haud dubitare ſe, quin debitum petatur a ſe ut officium conjugale a legitimo marito, ut ſic uxor conformi reſponſo ſaltem interpretative prodat conſenſum ſuum. *Pontas.*

CASUS XLVI. Innocentio parocho feria tertia ante diem Cinerum eccleſiam adeunti pro celebratione matrimonii exhibetur oppoſitio contra hoc matrimonium ab homine triobolari ac nullius frugis abſque omni jure, & ſolum turpis lucri cauſa ab inimico ſponſi ſibi promiſſi, ut ſic ſponſo creentur moleſtiæ, & nuptiæ usque ad Paſcha differri debeant. Teneturne parochus facti totius conſcius ſuſpendere celebrationem matrimonii, non obſtante ſcandalo exinde orituro, maxi-

maxime ſi hæc jam ſit ſecunda oppoſitio, quam inimicus iſte faciendam curavit?

℟. Juxta S. Beuve Tom. 2. Caſ. 104. parochus non poteſt progredi ad celebrationem matrimonii, cum ipſius non ſit judicare de injuſtitia oppoſitionis; ſed tenetur rem differre, donec partes ſublationem oppoſitionis obtinuerint per ſententiam Officialis; idque dicendum, etiamſi hæc prima foret oppoſitio. Quod attinet ſcandalum, cum ſit mere paſſivum ex parte parochi, ipſique imputari non poſſit, id impedire non debet, quominus agat, quæ partium ſuarum ſunt. *Pontas.*

Nota. Si evidens ac notoria eſt injuſtitia oppoſitionis, parochus tetur pergere ad celebrationem matrimonii.

CASUS XLVII. Poſt primam denunciationem matrimonii de futuro Ferdinandum inter & Eleonoram Joſephus frater Ferdinandi parocho intimavit oppoſitionem contra hoc matrimonium. Ferdinandus ſuper hoc fratrem ſuum provocavit ad Judicem laicum, tantumque effecit, ut rejecta fuerit ipſius oppoſitio, ſimulque injunctum parocho, ut aſſiſtat huic matrimonio. Poteſtne parochus vi hujus ſententiæ procedere?

℟. Parochus nec poteſt nec debet procedere ad celebrationem matrimonii vi ſententiæ latæ a Judice laico, cui nulla poteſtas competit ſimilia injungendi; cum ſolus Judex eccleſiaſticus juxta Alexandrum III. *in Cap. ex literis.* 1. *de Conſang. & Affin.* jus privativum habeat de cauſis matrimonialibus cognoſcendi. *Pontas.*

CASUS XLVIII. Eliſabetha ſectæ Calvinianæ, cui tamen anno ætatis decimo ſeptimo nuncium miſerat, petitur in conjugem, & annuit, ea autem conditione, ut maritus nunquam matrimonii conſummationem a ſe exigat. Marito vage promittenti, ſe ſaltem ad tempus ipſi hac in re moleſtum haud futurum, aquieſcit puella. Eſtne hoc verum matrimonium? Tenéturne Eliſabetha viro reddere debitum?

℟. Verum eſt hoc matrimonium, teneturque Eliſabetha viro reddere conjugale debitum. Si renuat, authoritate Judicis eccleſiaſtici, imo & cenſuris ad id compelli poſſet. *De Lamet.*

CASUS XLIX. Maritus quidam promittit fœminæ, quacum matrimonium contrahit, ſe cum ea victurum in continentia. Eſtne contractus hic legitimus ac validus?

℟. Eſt

℟. Eſt legitimus ac validus: ejusmodi tamen promiſſum uxori non tribuit jus debitum conjugale negandi petenti viro, aut ob hanc cauſam ab eo diſcedendi. *De Lamet.*

CASUS L. Puella ſponſalia iniit probantibus id matre & avunculo, qui patris locum tenebat, & ad partem dotis ſolvendam ſeſe obſtrinxerat; impraegnata autem a ſponſo parit, & in gravem morbum incidit, ita ut de vita periclitaretur matrimonio nondum celebrato. Sponſus urget matrimonium & puellam inſtanter petit in conjugem, quam tamen tradere recuſant mater & avunculus, ne dotem ea mortua ſolvere teneantur. Num juſte?

℟. Injuſtiſſime agunt, graviſſimamque injuriam inferunt non ſolum proli ante matrimonium natæ, quam & legitimitaté & jure in bona matris ſuæ privant; ſed & patri, cui hæreditatem eripiunt. Utrique igitur ad integram compenſationem illati damni tenentur. *De Lamet.*

CASUS LI. Vidua ad ſecundas nuptias tranſiens in contractu matrimoniali promiſit, ſe vendituram aut permutaturam bona ſua, ſita in territorio Cadomenſi. Teneturne ſtare promiſſo?

℟. Tenetur, ſi conſuetudo & leges id permittunt: promiſſi tamen executionem differre poteſt, ſi rationabiliter timere poſſit, ne mutata bonorum ſuorum natura male a viro habeatur. Ceſſante vero hoc metu, exequi tenetur, quod promiſit. *De Lamet.*

CASUS LII. Jacobus presbyteratum affectans, ad quem tamen inhabilem ſe noverat, accedit Petrum amicum ſuum rogans, ut uſurpato Jacobi nomine accederet ad Ordines. Petrus ſub Jacobi nomine ordinatur, & litteras teſtimoniales de recepto Presbyteratu tradit Jacobo, qui in aliam diœceſin migravit, ibique obiit functiones vicarii. Petrus interea, qui nunquam in animo habuerat recipere Presbyteratum, contrahit matrimonium. Eſtne hoc matrimonium validum? Num liberi ex eo procreati ſunt legitimi? Quam pœnam Canonicam merentur hæc duo crimina? Teneturne Petrus reddere debitum, ſi putatitia uxor petat? Poteſtne hæc fœmina alteri nubere?

℟. Matrimonium Petri eſt invalidum; proles tamen exinde natæ ſunt legitimæ propter bonam fidem ſimulatæ uxoris. Jacobus abſque ſacro Ordine obiens functiones presbyteri juxta quosdam ſit irregularis: juxta alios autem, & quidem probabilius, non incurrit irregularitatem, cum non poſſit haberi, niſi pro mero laico. Petrus non poteſt reddere debitum deceptæ uxori, cum non ſit vera uxor; imo

hæc in foro interno poſſet tranſire ad alias nuptias, licet in foro externo, in quo matrimonium hoc cenſetur validum, id non permittitur. Hinc Petrus & hæc fœmina aut tenentur ſimul vivere in continentia, aut, ſi id non poſſint, ſeſe mutuo conſenſu ab invicem ſeparare. *Fromageau.*

Nota. Matrimonium Petri evidenter eſt invalidum ob errorem ſubſtantialem fœminæ circa qualitatem viri, cui cenſenda eſt tacite alligaſſe ſuam intentionem: credidit enim, ſe contrahere cum viro per naturam & legem habili ad reddendum debitum conjugale. Fœmina itaque licite & valide absque diſpenſatione contrahit matrimonium cum alio viro; imo, ſi Ordo Petri fit invalidus, cum ipſo Petro, in loco tamen remoto, ubi nullum timendum ſcandalum.

CASUS LIII. Parochus ſponſos alienæ parochiæ matrimonio jungit. Fitne irregularis?

℟. Incurrit ſuſpenſionem, &, ſi ab hac cenſura necdum abſolutus functiones parochiales obeat, etiam irregularitatem; a qua tamen, niſi publica ſit, abſolvi poterit ab Epiſcopo; maxime ſi neceſſitas Eccleſiæ id expoſcat. Nihilominus pro majori ſecuritate conſultius erit, ſi Romam recurrat pro abſolutione obtinenda. *Fromageau.*

CASUS LIV. Non nemo contraxit matrimonium, quod tamen conſummare non poteſt, niſi operationem chirurgicam ſubeat cum vitæ diſcrimine conjunctam.

℟. Matrimonium eſt nullum, & uxor jure poteſt petere declarationem nullitatis, etſi vir huic diſcrimini ſubmittere ſeſe vellet; nec uxor citra culpam ei reddere debitum poteſt. Quodſi operatio inſtitueretur, bonumque ſortiretur effectum, ad revalidationem matrimonii novo ex utraque parte conſenſu opus foret, *Fromageau.*

CASUS LV. Fœmina quædam nupſit viro impotenti. Poteſtne retinere donata propter nuptias poſt mortem ejus?

℟. Omnia, quæ in contractu matrimoniali ei obvenerunt, retinere poteſt, cum bona fide eidem nupſerit. Dein maritus, quocum in ſumma concordia ſemper vixerat, ea ipſi donaſſe cenſetur. Denique omnia ea retinere poteſt propter damnum pudoris & in compenſationem pudicitiæ amiſſæ. *Fromageau.*

CASUS LVI. Quantum temporis requiritur ad probandam impotentiam?

℟. Jus Canonicum tres tantum admittit annos probationis, quibus elapſis matrimonium poteſt declarari nullum. Siqui Authores longius protrahunt tempus probationis, id ideo fit; quia ſupponitur dari rationes probabiles ac ſuffi-

cien-

etentes, ex quibus ſpes affulgeat, matrimonium tandem conſummari poſſe. *Fromageau.*

CASUS LVII. Quidam eſt impotens reſpectu unius fœminæ, quin ſit reſpectu alterius.

℞. In hoc caſu matrimonium cum priore contractum nullum eſt, validum autem cum poſteriore. *De Lamet.*

CASUS LVIII. Puella imprægnata a Petro petitur in conjugem a Paulo. Poteſtne huic nubere?

℞. Poteſt, dummodo Paulo prolis onus non incumbat. Conſultius tamen foret, ſi ſecreto pareret, antequam cum Paulo contrahat. *Fromageau.*

CASUS LIX. Juvenis quidam per vim ordinatus Subdiaconus, ordinationi ſuæ publice refragatus eſt. Teneturne ſervare continentiam?

℞. Non tenetur; validumque erit matrimonium, quod poſtea initurus eſt; licet id fieri haud debeat, priusquam ordinatio nulla declarata fuerit. Poſito etiam, quod matrimonium ſit nullum, filii tamen inde ſuſcepti cenſerentur legitimi; utpote in bona fide matrimonii geniti. *Fromageau.*

CASUS LX. Filiusfamilias matrimonium contrahit diſſentientibus parentibus.

℞. Peccat graviſſime, poteſtque pater ita agere cum filio, ut ſentiat juſtam indignationem. Matrimonium tamen eſt validum, etſi ſit illicitum. Ignoſcendum tamen a patre filio veniam petenti. *Fromageau.*

CASUS LXI. Mater exhæredavit filium absque ſuo conſenſu matrimonium ineuntem. Potuitne id fieri in foro interno, maxime ſi leges id permittant?

℞. Mater in hoc caſu tuta conſcientia potuit exhæredare filium. *Fromageau.*

CASUS LXII. Filiafamilias nubere cogitat invitis parentibus. Licetne?

℞. Si trigeſimum ætatis annum jam eſt emenſa, licet; dummodo prius obſervet ea, quæ a lege præſcribuntur. Rationi tamen magis conſonum erit, ſi differat rem, quoad poterit, experiaturque, an non parentum animus tandem poſſit expugnari. *Fromageau.*

CASUS LXIII. Duo minorennes inſciis parentibus mutuam matrimonii promiſſionem ineunt. Licitene?

℞. Illicite ineunt: conſenſus enim parentum tam per leges eccleſiaſticas quam civiles requiritur. Hinc adoleſcenti omnis conatus adhibendus, ut factæ promiſſionis ſyngraphum a puella recipiat, ſi parentes nolint, ut eam ducat; & ſi puella

ella reddere renuat, conveniendus Judex, ut eam ad id compellat. *De Lamet.*

CASUS LXIV. Eſtne matrimonium hæreticorum iis in locis, in quibus Concilium Tridentinum promulgatum & receptum eſt, veri nominis Sacramentum?

℞. Poteſt quis tueri affirmativam vel negativam. Id certum eſt, quod Eccleſia hæreticos ad veram fidem converſos nunquam obligaverit, ut celebrationem matrimonii in hæreſi initi reiterarent; nec unquam permiſerit, ut illud diſſolverint. *De Lamet.*

NOTA. Sive ſit Sacramentum, ſive non; eſt tamen contractus civilis jure naturali indiſſolubilis, niſi expreſſe contraxerint diſſolubiliter, ac proin nulliter.

CASUS LXV. Duo ex ſecta proteſtantium in Anglia contraxerunt matrimonium in gradu conſanguinitatis dirimente. Validene?

℞. Quamvis juxta diſciplinam Eccleſiæ catholicæ diſpenſatione opus fuiſſet, matrimonium tamen eſt validum, ita ut qui ſic illud contraxit, non poſſit poſt converſionem ad Religionem catholicam priore vivente conjuge aliam ducere; & ſiquam duxiſſet, ea deberet dimitti, ac utraque pars teneretur confiteri, quidquid licentius actum fuit; eoquòd ſecunda uxor coram Deo non fuerit legitima. *De Lamet.*

CASUS LXVI. Hæretici recens converſi ſeſe præſentant parocho ad impertiendam benedictionem nuptialem. Alii catholicæ fidei ſpeciem præſeferunt, & alii nec ſunt nec ſe profitentur catholicos. Teneturne eos conjungere?

℞. Si externe actus religionis catholicæ exerceant, parochus eos conjungere tenetur. Si vero nec ſe profitentur catholicos, nec ſigna ſufficientia mentis catholicæ produnt, nec debet nec poteſt eorum matrimoniis aſſiſtere. Multo minus licebit catholicum cum hæretica copulare. *Fromageau.*

CASUS LXVII. Num matrimonium infidelium eſt verum matrimonium? Poteſtne mulier fidelis a marito infideli derelicta, cui *mediante diſpenſatione* nupſit, ad ſecundas tranſire nuptias? Infideles ad veram fidem converſi poſſuntne matrimonium contrahere abſque præſentia parochi? Num mulier fidelis poteſt nubere infideli, & ex qua ratione ejuſmodi matrimonium eſt invalidum? An infidelis ad fidem converſus indiget diſpenſatione ad revalidandum matrimonium contractum cum impedimentis dirimentibus?

℞. Ma-

℞. Matrimonium infidelium valet in ratione contractus naturalis ac civilis; dummodo contractum non fuerit cum impedimento juris naturalis aut divini. Mulier Chriſtiana, etſi *ex diſpenſatione* infideli nupſerit, poteſt ad ſecundas nuptias tranſire, ſi a viro ſuo infideli derelicta fuerit. Infideles ad fidem Chriſtianam converſi, ſi in eorum regionibus Concilium Tridentinum nec promulgatum nec receptum eſt, poſſunt absque præſentia parochi matrimonium contrahere. Mulier Chriſtiana poteſt infideli nubere, ſi hic ad fidem Chriſtianam tranſiturum ſe promittat, & promiſſum exequatur. Cum diſparitas cultus ſit impedimentum dirimens, matrimonium fœminæ Chriſtianæ cum infideli eſt nullum. Infidelis ad fidem converſus non indiget diſpenſatione ad revalidandum matrimonium ſuum, etſi cum impedimentis dirimentibus juris poſitivi Canonici contractum. Infideles, antequam baptizentur, edocendi ſunt a Miſſionariis de indiſſolubilitate matrimonii; quod ſi rationabiliter dubitari poſſit, an legem hanc ſint obſervaturi, aut ſi eam omnino aſpernentur, ad baptismum admittendi non ſunt: ſi vero jam ſint baptizati, aliis Sacramentis privandi, imo a communione fidelium removendi ſunt, adhibita tamen prævia monitione. Quid obſervandum ſit reſpectu Sinenſium converſorum, & qua ratione a Miſſionariis cum ipſis agendum, deſumitur ex Brevi Clementis IX. de anno 1669. Infidelibus concedi poteſt diſpenſatio generalis circa denunciationes matrimonii. Uxores gravidæ monendæ ſunt a Miſſionariis de reddendo maritis ſuis petentibus debito conjugali, ſecluſo tamen abortus periculo; & ſi morem non gerant, Sacramenta ipſis deneganda ſunt. Denique docendæ ſunt matres lactantes, quod poſſint maritis ſuis negare debitum, ſi exinde periculum immineat aut proli neceſſario lactandæ, aut fœtui, quem ſimul geſtant in utero. *De Lamet.*

CASUS LXVIII. Sacerdos caſtrenſis adſtitit matrimonio Officialis bellici. Valetne hoc matrimonium?

℞. Non valet, etſi Tribunus legionis & Præfectus Vigiliarum conſenſerint: pugnat enim contra leges Eccleſiæ, cum hic ſacerdos neutrius contrahentium proprius fuerit parochus. *Fromageau.*

CASUS LXIX. Juvenis quidam cum puella contrahit ſub mutua promiſſione ſervandi continentiam, & nunquam conſummandi matrimonium.

℞. Non poſſunt contrahere adjecto hoc promiſſo, & ambo ſe exponunt periculo matrimonii invalidi. *Fromageau.*

CA-

CASUS LXX. Poteſtne Officialis Epiſcopi legitime matrimonio aſſiſtere ?

℟. Cum Officialis ſit Vicarius generalis Epiſcopi in foro contentioſo, poteſt vi hujus qualitatis eos, quos ad ineundum matrimonium judicialiter condemnat, conjugere, aut celebrationem matrimonii alteri presbytero committere. Requiritur autem ad hoc, ut inter partes vera ac ſeria lis extiterit. *De Lamet.*

CASUS LXXI. Uxor quædam ex adulterio prolem genuit. Teneturne crimen ſuum detegere, ut impediat, ne proles hæc marito ſuo ſuccedat ?

℟. Non poteſt ad hoc obligari; tenetur autem omne ſuum ſtudium conferre, ut maritus, quoad fieri poterit, hæredibus ſuis conſulat, & ipſa iisdem tribuere, quidquid bonorum per parſimoniam ſuam reſervare poſſit. *Fromageau.*

CASUS LXXII. Quidam pravo peccando habitu jam diu irretitus vult contrahere matrimonium. An mox abſolvendus eſt; eo quod matrimonium absque ſcandalo aliisque incommodis differri haud poſſit ?

℟. Non eſt abſolvendus, ſi ſufficientia perfectæ converſionis indicia deſint. Idem dicendum de ſacerdote in peſſimo ejusmodi ſtatu conſtituto, qui die Dominica miſſam celebrare tenetur. Verum in his caſibus prudens confeſſarius contentus eſſe debet, ſi pœnitentes ſincera converſionis argumenta exhibeant; quamvis regulariter longius tempus requiratur, ut recta animi præparatio, quam præſeferunt, altiores radices agat. *De Lamet.*

Nota. Sincera converſionis argumenta non poſſunt conſiſtere in meris verbis, aut promiſſis & conteſtationibus, ſi pœnitens jam pluribus annis non obſervavit cautelas & pœnitentias medicinales a confeſſario injunctas.

CASUS LXXIII. An conſanguinitas orta ex coitu fornicario impedimentum matrimonii conſtituit ad quartum usque gradum ? Eſtne matrimonium in tertio ejusmodi gradu contractum invalidum ?

℟. Impedimentum ex conſanguinitate illegitima ſeſe extendit usque ad quartum gradum incluſive, ſicut ex conſanguinitate legitima; & matrimonium in tertio ejusmodi gradu contractum eſt nullum. Affinitas autem ex copula illicita non parit impedimentum ultra ſecundum gradum. *De Lamet.*

CASUS LXXIV. Matrimonium Græcum inter & Græcam communionis Latinæ eſtne legitimum ?

℟. Eſt

℞. Eſt legitimum ac indiſſolubile, dummodo juxta ritum Eccleſiæ & abſque omni impedimento dirimente ſit contractum. Hinc ſi uxor diſcedat a marito, religionem Mahometanam amplectatur, & cum Turca matrimonium ineat, maritus, etſi in perpetuum non amplius eam ſit viſurus, non poterit tranſire ad ſecundas nuptias. *Fromageau.*

CASUS LXXV. Maria nupſit in parochia, ubi non verum, ſed ſimulatum duntaxat inquiſivit domicilium. Eſtne matrimonium validum?

℞. Eſt invalidum juxta Canones, utpote non contractum coram proprio parocho, niſi id factum de Epiſcopi aut parochi licentia. Hinc matrimonium hoc neceſſario reiterandum eſt ſervatis omnibus, quæ leges tam eccleſiaſticæ quam civiles præſcribunt; & ad id in conſcientia tenentur, ut, dum eorum matrimonium occultum, frequens autem converſatio nota erat, ſic famæ ſuæ conſulant. *De Lamet.*

CASUS LXXVI. Vicarius parochi commiſit cuidam presbytero celebrationem matrimonii. Eſtne validum?

℞. Eſt validum: Vicarius enim, etſi delegatus a parocho, habet tamen poteſtatem ſubdelegandi. Matrimonium autem foret nullum, ſi commiſſio hæc data fuiſſet ab aliquo, qui poteſtatem non habuit ſubdelegandi. *De Lamet.*

CASUS LXXVII. Vidua contraxit matrimonium coram parocho prædii, quod eum in finem emerat, ut ibi domicilium haberet; haud diu poſt emptionem ibi degens nupſit, & quidem ſine denunciationibus ac ſine conſenſu patris ſui. Valetne matrimonium?

℞. Valet; maritusque ejusdem valorem, ſi a patre viduæ judicialiter impugnaretur, tenetur propugnare. *De Lamet.*

CASUS LXXVIII. Adoleſcens Pariſienſis inſciis parentibus profectus eſt Leodium, eoque accerſivit puellam Tornacenſem animo cum ea contrahendi, idque conſentientibus puellæ parentibus. Obtentis numerata pecunia incolatus litteris ibi matrimonium inierunt coram parocho loci, & ut ante nuptias, ſic & poſt per quatuor aut quinque ſeptimanas ibi commorati ſunt. An valide contraxerunt?

℞. Invalide: litteræ enim incolatus non probant, eos domicilium obtinuiſſe ſufficiens ad hoc, ut potuerint ibi contrahere matrimonium quaſi coram parocho proprio. Hinc pater adoleſcentis poteſt agere ad reſciſſionem contractus matrimonialis. *Fromageau.*

CA-

CASUS LXXIX. Duo ex diverſis parochiis contrahunt matrimonium. Requiriturne certificatio de factis denunciationibus in utriusque contrahentis parochia?

℟. Sufficit ad valorem matrimonii, ſi celebretur coram parocho alterutrius contrahentium; nec ad valorem neceſſaria eſt certificatio de factis denunciationibus in alteriùs parochia. Parochus absque hac certificatione benedicens nuptiis non meretur ullam pœnam ab Epiſcopo. Multo minus revalidandum eſt hoc matrimonium, cum nulla ratione poſſit declarari ut invalidum. *Fromageau.*

CASUS LXXX. Duæ perſonæ matrimonium inire cupientes, cum parentum conſenſum obtinere nequaquam poſſent, parocho die Dominica miſſam parochialem celebrante publice in Eccleſia mutuo ſibi conjugalem fidem promittunt, & matrimonium ſe contrahere palam profitentur. Parochus autem Sacrificio intentus nihil prorſus percepiſſe ſe teſtabatur. Num matrimonium hoc, quod indubitato eſt illicitum, eſt etiam invalidum?

℟. Eſt invalidum: neceſſario enim requiritur, ut parochus, coram quo matrimonium celebratur, noſcat contrahentes, mutuumque eorum conſenſum percipiat; nam ejus præſentia non ſolum debet eſſe phyſica, ſed etiam moralis, ita ut intelligat & ſciat ea, quæ coram ſe fiunt. *Fromageau.*

CASUS LXXXI. Titius natus Viennæ in Auſtria, ætatis 32. annorum, per quindecim jam annos caſtra ſecutus, poteſtne cum Cornelia nata Paſſavii matrimonium celebrare Monachii, ubi Cornelia domicilium ſuum fixerat? Indigetne puella licentia parochi, in cujus parochiâ prius domicilium habuit antequam Monachium venerat?

℟. Poteſt Titius in memorato loco contrahere, cum cenſeatur nullum jam habere domicilium; nec puella opus habet licentia parochi aut Epiſcopi, quibus ſubjecta erat, antequam Monachii domicilium ſortita fuerat. *De Lamet.*

CASUS LXXXII. Adoleſcens falſo accuſatus a puella, quod geminorum, quos illa pepererat, pater eſſet, vi ſententiæ contra ipſum latæ ſub pœna mortis hanc puellam ducere cogitur. Validumne eſt hoc matrimonium?

℟. Eſt invalidum; poteſtque hic adoleſcens ducere aliam, ſi putatitium ipſius matrimonium non eſt notorium. Confeſſarius poteſt eum admittere ad Sacramenta. Quodſi Eccleſia eum cogere vellet, ut conjugaliter vivat cum ea, quam ex mera violentia duxit, cenſuræ contra eum latæ non ſtringerent. Puella malum, cujus ipſa cauſa exſtitit, &

& omnia damna adoleſcenti illata pro viribus reparare tenetur. Poſſet tamen adoleſcens revalidare hoc matrimonium, illud renovando coram ſuo parocho, aut petendo a Papa facultatem defectum ſupplendi per ipſam conſummationem & mutuam fidei conjugalis promiſſionem. *De Lamet.*

CASUS LXXXIII. Matrimonia ſecreta & absque contractu nuptiali ſcripto inita ſuntne valida?

℟. Sunt quidem valida, ſi cum præſcriptis ab Eccleſia ritibus ſint inita. Verum ob ſiniſtros, qui facile exinde ſequi poſſunt, eventus non ſunt in perpetuum occultanda. Conſulendi hac in re viri docti ac prudentes; qui nullo partium ſtudio ducuntur. *Fromageau.*

CASUS LXXXIV. Tacitus ducit puellam a ſe impraægnatam, & quidem nulla interveniente coactione, ſine conſenſu tamen interno & absque animo eam ut uxorem ſuam agnoſcendi. Jam vult hoc matrimonium declarari nullum. Quid agendum?

℟. Adeundus eſt Officialis, coram quo, ſi obtinere velit declarationem nullitatis, probare tenetur, intentionem ſuam adeo fuiſſe perceptibilem, ut nec puella nec ejusdem conconſanguinei de ea dubitare potuerint. Absque hac probatione non eſt audiendus. *De Lamet.*

CASUS LXXXV. Uxor quædam maritum ſuum per plures jam annos abſentem obiiſſe credit. Poteſtne alteri nubere?

℟. Tuta conſcientia non poteſt alteri nubere, niſi certæ de mariti prioris obitu probationes ſuppetant; graviſſimeque peccaret, ſi levibus ſolum præſumptionibus ducta ad novum matrimonium tranſiret. Poſſet quidem poſteriori marito in bona fide exiſtenti reddere debitum conjugale; petere tamen non poteſt. Si de morte prioris mariti ſuboriantur dubia, nec reddere nec petere poſſet debitum, donec obtenta certitudine ſublatum ſit dubium. *De Lamet.*

NOTA. Si erat moraliter certa de obitu mariti, hoc eſt, ſi rationabiliter de ejus morte dubitare haud potuit, etiam exigere poteſt debitum. Suborto autem & ſtante dubio tenetur illud reddere.

CASUS LXXXVI. Caja vidua, cum continentiam ſervare haud poſſet, matrimonium conſcientiæ cum quodam juvene contrahit jam per plures annos ſecum degente. Hoc matrimonium, utpote coram parocho non contractum, clandeſtinum eſſe cum intelligeret, ambo ad proprium parochum, ſenem & valetudinarium, ſe conferunt, qui re cognita priorem tantum ab iis conſenſum renovandum curat. Stimulo au-

autem conſcientiæ per hoc necdum ſopito Caja Doctorem adit, & expoſita eidem anxietate ſua ait, adoleſcentem, quocum matrimonium iniit, fors eſſe filium ſpurium mariti ſui, gravibusque ad id credendum ſe præſumptionibus moveri. Poteſtne Caja tuta conſcientia a Papa diſpenſationem petere, ut juveni huic valide nubere poſſit, cum facile prævideat, ſeparationem aliis ſcandalo, ſibi vero infamiæ futuram, imo & adoleſcentem vitæ ac bonorum periculo exponendum ex parte conſanguineorum ſuorum? Quid confeſſario agendum cum Caja ſæpius Sacramenta recipiente?

℞. Vidua hæc tuta conſcientia non poteſt petere diſpenſationem a Papa, qui rumorem de adoleſcente ſparſum & validas præſumptiones edoctus nequaquam diſpenſaturus foret. Abſolute igitur ad ſeparationem obliganda eſt vidua; quæcumque demum ſcandala ac pericula exinde conſequantur. *De Lamet.*

CASUS LXXXVII. Duplex circa matrimonium intervenit impedimentum, occultum & publicum. Quid agendum?

℞. In Pœnitentiaria, ad quam ob impedimentum occultum recurrendum eſt, facienda eſt mentio etiam de impedimento publico; alias nulla foret diſpenſatio. Qui finxit ſe patrem prolis, quam enixa eſt puella quædam, ſolum ut ſalvaret famam puerperæ, cum cujus conſanguineis proin impedimentum contraxiſſe communiter exiſtimatur, poteſt ſe convertere ad Officialem, & coram eo probare, ſe reipſa patrem non eſſe. Cum partes ut pauperes ſpectantur, neceſſarias diſpenſationes poterit impertiri Epiſcopus. *Fromageau.*

CASUS LXXXVIII. Margarita tres ſucceſſive numerabat maritos, primum Titium, ſecundum Gervaſium, tertium Nicolaum. Soror Titii Catharina nuperat Franciſco, ex quo conjugio prodiit Maria. Poteſtne Nicolaus tertius Margaritæ maritus poſt mortem uxoris ſuæ ducere Mariam filiam Catharinæ ſororis Titii?

℞. Nullum in hoc matrimonio intervenit impedimentum Canonicum: dantur enim tria affinitatis genera, quorum ſecundum & tertium a Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. ex impedimentis matrimonii expunctum eſt. Inter Titium & Mariam filiam Catharinæ intercedit quidem vera affinitas primi generis; affinitas autem Nicolai cum Maria ſolum eſt de tertio genere. *De Lamet.* Vide *Impedimentum Affinitatis. Caſ.* 2.

CASUS LXXXIX. Claudius uxorem duxit Catharinam ex primo toro Reneſii filiam. Poteſtne poſt ejus mortem ducere Joannam Reneſii viduam ex ſecundis nuptiis?

℞.

℞. Poteſt, ſi nulla Claudium inter & Reneſium conſanguinitas intercesſit: affinitas enim hæc pertinet ad ſecundum genus affinitatis, quæ juxta dicta ad caſum præcedentem matrimonium non amplius impedit. *De Lamet.*

CASUS XC. Titius Paulum filium ſuum natu majorem matrimonio tradit Roſinæ puellæ dotis pinguiſſimæ; moritur autem Paulus, ac poſt aliquot annos etiam Roſina vidua, relicta ex conjugio ſuo unica filia Thecla nomine. Poteſtne in Romana Curia peti diſpenſatio, vi cujus Theclæ liceat nubere patruo ſuo ſeu filio Titii natu minimo, ut ſic graviſſimæ lites præcaveantur, quibus Titii & Roſinæ familiæ abſque dubio implicandæ forent?

℞. Poteſt tuta conſcientia peti diſpenſatia; dummodo lites non injuſte excitandæ forent ex parte patrui, eoquod fors nepti recuſetur traditio omnium bonorum, quæ ipſi debentur. *De Lamet.*

CASUS XCI. Homo fraudulentus finxit ſe eſſe filium natu majorem ex illuſtriſſima ac opulentiſſima familia & variis technis id efficit, ut pater æque illuſtris filiam ſuam ei uxorem dederit. Eſtne validum hoc matrimonium?

℞. Eſt invalidum; quia intervenit error perſonæ ac dolus afficiens ipſam ſubſtantiam contractus: filia enim credidit, ſe nubere filio natu majori familiæ, & huic conditioni indubitato alligavit ſuam intentionem. Si error ſolum fuiſſet accidentalis v. g. circa nobilitatem, pulchritudinem aut divitias, matrimonium foret validum. *Fromageau.*

CASUS XCII. In quadam congregatione approbata ab Eccleſia emittuntur vota, quæ communiter exiſtimantur ſimplicia, ut & ſimplicia appellantur in conſtitutionibus. Admiſſi tamen promittunt, ſe perpetuo in Congregatione manſuros. Poſſetne ſtantibus hiſce votis validum contrahi matrimonium?

℞. Vota hæc ſemper manent ſimplicia, donec per Bullam Pontificiam declarentur ut ſolemnia. Hinc matrimonium a quodam ex hac Congregatione contractum foret quidem illicitum, non tamen invalidum. *De Lamet.*

CASUS XCIII. Viduus & vidua matrimonium inire cupientes, impedimentum cognationis ſpiritualis ſcienter ac malitioſe occultant; hinc parochum in civitate; qui eorum proprius non erat, accedunt, eumque dolo inducunt ad faciendas denunciationes; quo facto alium denuo parochum ruralem conveniunt, qui eorum matrimonio adſtitit, impedimenti ignarus.

℟. Non eſt ipſis ab Epiſcopo concedenda diſpenſatio. Citari potius debent ad Officialem, & ab eo per cenſuras compelli ad inſtituendam ſeparationem. Quodſi parere noluerint, brachium ſæculare contra eos implorandum erit. *De Lamet.*

CASUS XCIV. Duplex impedimentum dirimens obſtabat matrimonio cuidam; in ſupplicatione vero ad Papam pro diſpenſatione tantum unum exprimebatur. Valetne hoc matrimonium?

℟. De ſe non valet. Si tamen bona fide contractum fuit, & abſque notitia illius impedimenti, quod expoſitum non fuerat in ſupplicatione, pro valido habendum eſt. *De Lamet.*

CASUS XCV. Roſa puella nobilis matrimonium init cum homine ignoto, qui pariter ſe nobilem jactitabat; illa autem publice declarat, ſe nolle conſentire in hunc contractum, ſi ſponſus non ſit nobilis; & brevi poſt innoteſcit; eum eſſe de ſtatu plebejo. Valetne hoc matrimonium?

℟. Non valet; etſi error qualitatis non ſemper ſit impedimentum dirimens. Dirimit autem matrimonium, quando voluntas ac intentio contrahentium determinatæ qualitati eſt alligata, ita ut ſublata hac qualitate nollent contrahere; ut factum eſt in caſu præſente. *Fromageau.*

CASUS XCVI. Titius cum puella impudice per quatuor annos converſatus, eam tandem uxorem duxit; & quidem coram ſacerdote, qui proprius ipſius parochus non erat, ac invito patre ſuo, qui ea de cauſa eum exhæreditavit. Quid conſilii Titio?

℟, Matrimonium hoc a contrahentibus revalidari debet. Titius a patre exhæreditatus nihil non agere tenetur, ut cum eo in gratiam redeat, patriſque conſenſum obtineat. Etſi pater aſſentiri renuat, omni tamen, qua par eſt, obſervantia cum eo agendum. Pater vero, ſi ex cauſis legitimis exhæredavit filium, mentem ſuam mutare non tenetur. *Fromageau.*

CASUS XCVII. Quanta eſt Epiſcoporum quoad diſpenſationem circa impedimenta matrimonii poteſtas?

℟. Epiſcopi antiquitus exercebant poteſtatem diſpenſandi circa impedimenta matrimonii plenariam; nec ulla generali Eccleſiæ lege diſpenſatio hæc ſummo Pontifici reſervata eſt. Id juris Pontifex non niſi longa poſſeſſione præſcripſit. Sunt nihilominus Epiſcopi, qui jus hoc ſibi conſervarunt, quo etiam uti poſſunt, diſpenſationesque eorum ſunt legitimæ ac validæ. *Fromageau.*

CASUS XCVIII. Uxor per tres annos erat conjugata, quin maritus potuerit conſummare matrimonium. Poteſtne petere irritationem matrimonii?

℞. Poteſt poſt cohabitationis triennium eam petere; ac Pontifex poteſt omne matrimonium non conſummatum ex gravibus cauſis diſſolvere. *Fromageau.*

CASUS XCIX. In ſupplicatione pro obtinenda diſpenſatione in impedimento conſanguinitatis ſola ſuſpicio copulæ fuit expreſſa; licet vera copula interceſſerit.

℞. Hæc diſpenſatio nulla eſt: debuiſſet enim exprimi ipſa *copula carnalis*, non ſimplex *ſuſpicio copulæ. Fromageau.*

CASUS C. Pater duorum liberorum, qui ob mentis impotentiam judicialiter inhabiles declarati fuerunt ad adminiſtranda bona ſua, ad ſecundas nuptias tranſire cogitat. Poteſtne puellæ, quam ducturus eſt, facere donationem propter nuptias.

℞. Non poteſt, niſi leges aut conſuetudo id permittant: dominium enim bonorum cum ſemper dependeat a legibus ac receptis conſuetudinibus, ſolum juxta earum præſcriptum de bonis ſuis diſponere licet. Authentici autem earum interpretes ſunt Judices, contra quorum mentem nemini leges ac conſuetudines in alienum ſenſum detorquere liberum eſt. Et hæc veritas S. Scripturæ & SS. Patrum authoritate firmata eſt. *De Lamet.*

CASUS CI. Quiſpiam ancilla ſua abuſus eſt ſub promiſſione matrimonii, ita ut ex omni parte promiſſio videretur ſincera, & nec ulla puellæ relinqueretur ratio dubitandi de fidelitate promittentis, aut præſumendi, ratione conditionis jus ipſi eſſe reſcindendi promiſſum. Teneturne ducere hanc ancillam?

℞. Tenetur. Si tamen hoc matrimonium gravium in familia diſcordiarum cauſa foret, aliorumque malorum incentivum, ratio ſufficiens exiſteret a data fide ſe liberandi. Hoc autem poſito curandum, ut puella jure ſuo cedat, promittensque educationem prolis in ſe ſuſcipiat, ac matri dotem aſſignet, ut pro ratione ſtatus ſui convenienter alteri nubere poſſit. *De Lamet.*

CASUS CII. Petrus facile obtinuit a puella, quod appetiit, eoquod ſæpius ipſi promiſiſſet matrimonium, licet óretenus tantum. Teneturne eam ducere?

℞. Tenetur in conſcientia. Si tamen amborum conditio ſit valde diverſa, & hoc conjugium adoleſcenti in grave detrimentum cederet, teneretur ſaltem puellæ, cui datam

Ff 2 fidem

fidem non ſervat, pro poſſe & ipſius indigentia de alio convenienti matrimonio proſpicere. *Fromageau.*

Nota. Juxta probabiliorem ſententiam omnes contractus ſub conditione turpi ſunt jure naturæ invalidi.

CASUS CIII. Titius & Berta ſoluti ultro mutuoque conſenſu conjugalem ſibi invicem fidem obſtringunt, & in legitimum ac actuale matrimonium uno eodemque conſentiunt coram parocho & teſtibus. Valetne hoc matrimonium absque prævils denunciationibus initum?

℟. Si id fiat in loco, ubi denunciationes præviæ ad valorem matrimonii neceſſariæ non ſunt, & verba, quibus contrahentes utuntur, exprimant promiſſionem de præſenti, & non primum de futuro, validum eſt matrimonium, & conſequenter nequaquam revalidandum. *Fromageau.*

Nota. Denunciationes ad matrimonium licite ineundum ubique requiruntur, ubi Tridentinum non fuit promulgatum.

CASUS CIV. Maritus relicto ex gravibus cauſis domicilio ſuo migrare cogitat in aliam provinciam, ibique novum ſibi conſtituere domicilium. Teneturne uxor eum ſequi?

℟. Tenetur; & nec ullus tergiverſationi locus eſſe poteſt. Nec poteſt uxor maritum privare uſufructu dotis aliorumque bonorum, quæ vi pacti nuptialis attulit. *Fromageau.*

CASUS CV. Judex lata ſententia ſub pœna mortis adigit juvenem ad ducendam puellam, cum qua turpe quidem fovit commercium, falſo tamen imprægnationis accuſatus fuerat. Valetne hoc matrimonium?

℟. Non valet, quamvis ſententia Judicis ſpectata forma judicii & procedendi ratione juſta ſit. Juvenis itaque poſſet aliam ducere in regione extranea, ubi de priore ipſius matrimonio prorſus non conſtaret, ac conſequenter omne ſcandalum abeſſet. Interim tamen Eccleſia ſpectando ea, quæ ad forum externum delata ſunt, poſſet juvenem compellere ad conjugaliter vivendum cum priore uxore. *De Lamet.*

CASUS CVI. Gerardus inito cum patrui ſui vidua coram ſacerdote quidem, ſed non ſuo parocho matrimonio, ſeceſſit in Angliam, ibique duxit in facie Eccleſiæ aliam. Quænam harum uxorum eſt legitima?

℟. Matrimonium cum patrui vidua absque diſpenſatione contractum eſt invalidum ob impedimentum affinitatis, & abſen-

ſentiam proprii parochi. Valet autem alterum matrimonium, liberique ex eo progeniti ſunt indubitato legitimi. *Fromageau.*

CASUS CVII. Sempronia ſciens maritum ſuum cum alia iniiſſe matrimonium, & plura jam commiſiſſe adulteria, poteſtne ſeparationem petere?

℞. Non poteſt, ſi non obſtante notitia de mariti peſſima vivendi licentia debitum conjugale petenti reddidit; quia ſic cenſetur infidelitatem ipſi condonaſſe. Si maritus obtenta venia denuo relabatur, poteſt ac debet petere ſeparationem, quoad torum & cohabitationem a Judice eccleſiaſtico, quoad bona vero a Judice civili. *De Lamet.*

CASUS CVIII. Quidam puellæ, ut uſum corporis concederet, promiſit matrimonium, adjectis tamen conditionibus, quarum executionem ipſemet difficillimam judicabat. Teneturne ſtare promiſſo?

℞. Tenetur. Si tamen ex hoc matrimonio gravia in ſe damna redundatura prævideat, curandum, ut congruæ dotis ope a puella obſtrictæ fidei ſolutionem obtineat. Si puella conſentit, ambo pro ſuo arbitrio aliud matrimonium inire poterunt. *De Lamet.*

Vide *notam ad Caſ.* 102.

CASUS CIX. Paulus & Franciſca ex diœceſi Paſſavienſi jam ultra viginti annos conjugaliter vivunt in diœceſi Auguſtana. Mortua jam Franciſca Paulus ad ſecundas nuptias tranſire cogitat in eadem diœceſi Auguſtana. Sufficiuntne conſuetæ denunciationes?

℞. Non ſufficiunt: cum enim legitime non conſtet de matrimonio Paulum inter & Franciſcam, requiritur inſuper authentica atteſtatio ab Epiſcopo Paſſavienſi, vel ſaltem a parocho loci, ubi contraxerunt, quod vere nupſerint in facie Eccleſiæ; ut ſic innoteſcat, Franciſcam veram Pauli uxorem fuiſſe, eaque mortua Paulum jam eſſe liberum, & ſecundo nubere poſſe. C. B.

CASUS CX. Titius & Berta ſe ſiſtunt parocho pro benedictione nuptiali paucis horis poſt ultimam denunciationem.

℞. Votis petentium nequaquam annuendum: nam quamvis Concilium Tridentinum expreſſe non declaret, matrimonium non ſtatim poſt ultimam denunciationem celebrari poſſe, finis tamen Eccleſiæ fuit, dum denunciationes fieri voluit, ut impedimenta fors obverſantia detegantur. Fruſtraretur autem Eccleſia ſuo fine, ſi inter ultimam denunciatio-

nem & ceremonias matrimonii vix ullum temporis intervallum intercederet. C. B.

CASUS CXI. Petronius ære alieno valde gravatus ex teſtamento ſuccedit in dotem pinguiſſimam defunctæ ſuæ uxoris, ita ut creditoribus ſuis facile poſſit ſatisfacere, ſi in ſtatu viduitatis perſeveret. Poteſtne in hoc ſtatu licite ſecundum inire matrimonium?

℟. Si Petronius in ſtatu viduitatis incurrat periculum incontinentiæ, quod alio modo declinaturum ſe ſperare vix poſſit, licite denuo nubere poterit; quia periculum ſalutis æternæ præponderat obligationi ſolvendi debita; etſi hæc obligatio ſit juris naturalis. Si autem Petronio in ſtatu viduitatis non ſit timendum ejusmodi periculum, tenetur abſtinere a ſecundis nuptiis, & amplecti occaſionem facilem ac obviam ſatisfaciendi creditoribus.

CASUS CXII. Berta uxor ſuper impedimento matrimonii dirimente primum detecto obtinet diſpenſationem. Sed cum odium mariti ſui jam incurrerit, neſcit, quomodo & qua ratione revalidandum ſit matrimonium.

℟. Inprimis uxor renovet ſuum conſenſum, &, quia Breve diſpenſatorium exigit, *ut alter conjux certior fiat*, moneat maritum modo meliore, quo fieri poteſt, vel per amicum vel per confeſſarium aut alium virum prudentem de nullitate prioris conſenſus, non indicando tamen rationem nullitatis; ſicque & ipſum inducat ad renovandum conſenſum ſuum. Ita ſentit potior pars doctorum. Alius in hoc caſu revalitandi matrimonii modus, quicumque demum, haud ſufficeret. Circumſtantia odii, quod maritus concepit in uxorem ſuam, ſolum probat, ad indicandam marito primi conſenſus nullitatem ſingulari cautione & ſumma prudentia opus eſſe. C. B. *Vide Caſ.* 40. *&* 45.

CASUS CXIII. Petrus & Franciſca contraxerunt matrimonium bona fide, & ignorantes impedimentum affinitatis in ſecundo gradu, quod inter eos intercedebat. Pluribus poſt annis cum innotuiſſet ipſis impedimentum, quod hususque ſemper occultum manſerat, deſuper conſulunt parochum. Quid reſpondendum?

℟. Si duo hi putatitii conjuges de impedimento non fuerint informati, niſi poſt lapſum decennii ab inito matrimonio, recurrendum eſt ad Pœnitentiariam; cum ſummus Pœnitentiarius vi conceſſionis ſibi factæ ab Innocentio XII. poſſit tunc diſpenſare. Si vero impedimentum non tamdiu, ſcilicet per decennium latuit, pro impetranda diſpenſatione recur-

recurrendum erit ad Datariam; prout in eadem Bulla Innocentii XII. continetur. C. B.

CASUS CXIV. Petrus confeſſario ſuo detegit, quod ad obtinendam facilius diſpenſationem circa impedimentum conſanguinitatis falſo in ſupplicatione expoſuerit, ſe cum conſanguinea, quam jam uxorem duxiſſet, carnale commercium habuiſſe.

℟. Pro revalidatione hujus matrimonii denuo ad Datariam ſcribendum eſt: nam, quamvis alii obreptionis vel ſubreptionis defectus, per quos diſpenſationes a Dataria obtentæ nullæ ſunt, poſſint ac ſoleant per favorabile Pœnitentiariæ reſcriptum ſanari, quamdiu occulti manent, poteſtas tamen Pœnitentiariæ ad caſum præſentem ſe non extendit poſt Bullam Innocentii XII. qui hunc caſum expreſſe excipit per hæc verba: *Præterquam ſi falſitas &c.* C. B.

CASUS CXV. Lucius inito primum cum Livia matrimonio advertit, ſe in baptiſmo illius patrinum extitiſſe. Quomodo matrimonium revalidandum?

℟. Si hoc impedimentum cognationis ſpiritualis ita jam ſit notorium, ut celari amplius non poſſit, recurrendum erit ad Datariam, cum poteſtas Pœnitentiariæ ad ejusmodi impedimenta publica ſe non extendat. Si vero de impedimento hoc nemini conſtet niſi Lucio, malo mederi poterit Pœnitentiaria. C. B.

CASUS CXVI. Confeſſarius ex confeſſione Roſaliæ edocetur, eam ignoranter contraxiſſe matrimonium cum impedimento dirimente affinitatis in primo gradu, orto ex copula illicita cum fratre mariti; timet autem, ne Roſalia, etſi de impedimento monita, eadem tamen conjugii officia præſtitura ſit putatitio marito, ut antea. Quid agendum?

℟. Si confeſſarius probabilius judicare poſſit, ignorantiam Roſaliæ & fuiſſe & adhuc eſſe invincibilem, cum bona fide, non obſtante impedimento utpote ignorato, contraxerit, ea non eſt monenda, ſed in bona fide relinquenda; quia facile prævideri poteſt, monitionem in hoc caſu intentum finem non ſortituram. Si vero confeſſarius advertat, ignorantiam Roſaliæ fuiſſe & adhuc eſſe vincibilem, & conſequenter culpabilem, monenda eſt de impedimento. Sique renuat abſtinere a conjugali conſortio cum marito putatitio, donec obtenta fuerit diſpenſatio, ſine abſolutione dimittenda erit. C. B.

Nota. Si maritus pacifice cohabitare velit, obliganda eſt Roſalia ad petendam diſpenſationem, ſive ejus ignorantia ſit vincibilis, ſive non.

MEDICUS.

1. *Medicus* dicitur, qui artem medicam exercet ægros ſanando, aut medicamentis ſublevando, ſanis valetudinem conſervando, & præſcripto vivendi ordine a morbis præſervando. Scriptura honorifice de medicis loquitur, dum Eccli. 38. ait: *Honora medicum propter neceſſitatem: etenim illum creavit altiſſimus; a Deo eſt enim omnis medela. Altiſſimus creavit de terra medicamenta.* Medicus ex profeſſione ſua non ſolum prærogativam ac honorem coram mundo, ſed & Magnatum ſibi favorem & exiſtimationem conciliat; *Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu Magnatorum collaudabitur.* ibid.

2. Leges Romanæ licet varia privilegia, immunitatesque inſignes concesſerint medicis, in quavis tamen civitate eorum numerum fixerunt; quoniam Reſpublica profeſſionem eorum ſpectabat ut omnibus utiliſſimam, ſicque eos ad officii ſui partes libentius & exactius implendas animare volebat.

3. Hæc, quæ de medicis in genere dicta ſunt, nequaquam applicanda velim ignorantibus, ignavis, ſcientiam ſuam per juge medicinæ ſtudium, per lectionem librorum aut conſultationem vel propriam ruminationem magis indies perficere prorſus negligentibus; multo minus honorifico hoc nomine omnino indignis, ut ſunt circulatores ac circumforanei, qui, quoties de loco in locum commeando Sardos ſuos venales exponunt, toties populum decipiunt.

Nota. De excoriatoribus (verbo ſit venia) qui non ſolum ruri, ſed & in male ordinatis civitatibus inaudita ac pernicioſiſſima uſurpatione jam paſſim pharmaca diſtribuunt, humanaque corpora pecorariorum inſtar diſcruciant, quosque ſimplex plebecula tantum *honorat propter neces*, vel verbulum loqui pudet in honoratiſſimo hoc de Medicis articulo.

4. Perſolutis expenſis funeralibus ocyus medico perſolvenda eſt juſta merces pro impenſis infirmo laboribus, ac ſubminiſtratis durante ægritudine medicamentis, poſthabitis omnibus defuncti creditoribus: *Impenſa facta in infirmum præfertur cuicumque creditori; poſt tamen funeris impenſam*, inquiunt Baldus & Paulus a Caſtro. Id autem ſolum intelligendum eſt de ultima ægritudine, qua infirmus obiit.

5. In Gallia medicus omnino inhabilis eſt ad percipienda a defuncto legata.

6. Medicus abſque gravi peccato non poteſt infirmo adhibere nova medicamina ad experiendam eorum virtutem, quorum effectus incertus, & quandoque valde periculoſus eſſe poſſet. Sufficiat medicis, quod extra hunc caſum, quo per incerta & necdum explorata remedia ægrum periculo exponerent, non teneantur in foro externo rationem reddere de ſua ignorantia, ſicut olim apud Romanos id fieri debebat.

7. Nullus Clericus aut Religioſus artem medicam exercere poteſt, niſi fors ex mera charitate, & omnino gratis, accurate tamen obſervando omnia artis præcepta.

8. Medicus in conſcientia tenetur monere infirmum de inſtante periculo mortis, ut in tempore ac ſana mente adhuc SS. Sacramenta percipere poſſit. Et ſi ex cauſa rationabili id ipſus infirmo inſinuare nolit, curare ſaltem debebit, ut id fiat per conſanguineos, parochum aut confeſſarium infirmi.

9. Res indigna medico eſt paciſci cum decumbente de ſumma pecuniæ ſolvenda in caſu reconvaleſcentiæ; & ideo ejusmodi pacta ut turpia L. Archiatri. 9. Cod. Lib. 10. Tit. 52. medicis interdicta ſunt.

CASUS I. Allealmus medicus pauper dum ad ægros pauperes vocatur, frequenter ſuam ipſis opem denegat; eo quod mercedem ſe haud accepturum ſciat. Num peccat?

℟. Medicus ex præcepto charitatis tenetur ſuccurrere ægris pauperibus, fieretque quodammodo reus homicidii, ſi pauper moriatur ex eo, quod medicus ſuam ipſi denegaverit opem. *Pauperibus non valentibus ſolvere gratis mederi debet*, ait S. Antoninus Sum. Theol. part. 3. Tit. 7. c. 1. §. 1. *& non ſe ab eorum cura ſubtrahere; quia hoc eſſet indirecte occidere: mortem enim probatur languentibus inferre, qui hanc, cum poteſt, non excludit.* Medicus Chriſtianus in ejusmodi occaſionibus ſemper ſibi in memoriam revocet aureum illud dictum S. Ambroſii Can. *Medicina.* 76. de pœnit. diſt. 1. *Vilis pecunia, ſed precioſa eſt miſericordia.* Eadem hic ratio habenda cenſetur medici ac divitis denegantis eleemoſynam pauperibus in gravi ac urgenti neceſſitate conſtitutis: ſicut in hoc caſu dives excuſari non poteſt a peccato gravi, ita nec medicus excuſari poterit miniſterium ſuum ſubtrahens indigentibus infirmis ex eo prætextu, quod impenſos labores compenſare non poſſint. Non tamen juxta eundem S. Antoninum ibid. part. 2. Tit. 7. c. 4. §. 5. tenetur medicus abſolute ac indiſtincte hanc charitatem exhibere omnibus pauperibus, ſed juxta exigentiam circumſtantiarum loci & temporis, v. g. ſi pauper infirmus ab aliis juvari non

poſſit, vel malum morbi ita urgeret, ut æger periculo mortis exponeretur, ſi aliunde advocari deberet auxilium. *Pontas.*

CASUS II. Dorilæus unicus in exigua civitate medicus pauperibus loci infirmis ſat multis eum omni charitate ſuccurrit, imo & neceſſaria ipſis medicamenta gratis ſuppeditat. Vocatur autem etiam ad hominem valde opulentum, quem inviſere renuit; eo quod ab eodem ante aliquot annos periculoſe decumbente debitum ſalarium necdum receperit, & ad exactionem ejusdem graviter eum offenſum expertus fuerit. Peccatne Dorilæus, ſi in hac ſua recuſatione perſeveret?

℞. Rem obiter ſolum conſiderando non videtur peccare: cum enim Dorilæus multum laboris ac expenſarum debuerit impendere pro obtinendo gradu doctoratus, æquum eſt, ut pro labore ſuo proportionatam reportet mercedem, maxime ab infirmis divitibus, ut docet S. Auguſtinus Can. *Non ſane.* 15. cauſ. 14. q. 5. & Gloſſa in Can. *Si quis.* 1. diſt. 83. v. *inferas.* ubi, poſtquam oſtenderat, medicum vocatum ad pauperes debere ſervire gratis, addit: *Sed quid, ſi infirmus dives eſt, & nihil vult dare medico; nunquid gratis tenetur eum curare? videtur quod non; cum nemo de ſuo cogatur facere beneficium.* His tamen non obſtantibus evidens eſſe videtur, quod Dorilæus unicus in loco medicus peccet contra præceptum charitatis, ſi infirmo iſti diviti miniſterium ſuum deneget, eumque ſubtracto omni auxilio quaſi morti tradat; maxime cum in ejusmodi caſu medico competat actio adverſus infirmum, ſi convaleſcat, vel contra hæredes, ſi moriatur. *Pontas.*

CASUS III. Philogonus, poſtquam per quindecim annos exercuerat artem medicam, ad presbyteratum aſpirat. Poteſtne ordinari absque diſpenſatione?

℞. Ratione profeſſionis ſuæ, etſi præſcripta medicamina non ſemper optatum effectum habuerint, & plures ex infirmis in ea, qua ipſis inſervierat, ægritudine obierint, non indiget juxta Cap. *Ad aures.* 7. Lib. 1. Tit. 14. diſpenſatione ad recipiendos ſacros Ordines; dummodo ſufficientem capacitatem habuerit, & adhibita omni cura ac neceſſaria præcautione juxta regulas artis operatus fuerit. Si vero Philogonus certus eſt, ſe cuipiam ægrorum ſuorum cauſam mortis extitiſſe, ſive per malitiam ſive per ignorantiam, irregularitatem incurrit; & tenetur in foro interno ſe gerere pro tali, ſi ſuper hoc remorſum conſcientiæ ſentiat, & rationabilis dubitandi cauſa concurrat, ac proin diſpenſatione indiget, ut idem Papa ibidem ſtatuit, ubi Gloſſa addit:

Hoc

Hoc eſt conſilium reverentiæ, cui obediendum eſt... ſecus in conſilio perfectionis. Pontas.

CASUS IV. Pomponius medicus vocatus ad mulierem jam a triennio peripneumonia laborantem, reperit eam in eo ſtatu, ut vix quatuor adhuc dies vivere poſſet; nihilominus varia eidem præſcribit medicamina, licet ea nil profutura certo ſciret. Mortua poſt quatuor dies muliere recipit Pomponius ab hæredibus defunctæ datum ſibi pro impenſo labore ſalarium. Num licite ac juſte?

℟. Miniſterium medici non ſolum conſiſtit in eo, ut ægrum præſervet a morte, ſed etiam ut eum ſoletur per adhibita medicamina. *Medici*, inquit S. Antoninus part. 3. t. 7. c. 2. §. 6. *non illicite recipiunt ſalarium ſeu ſtipendium pro infirmitate, quam ſciunt eſſe incurabilem. Et ratio eſt ſecundum Auguſtinum de Ancona; quia medicus inventus eſt ad inſtrumentum naturæ. Tamdiu inſtrumentum medicinæ non eſt ex toto ſubtrahendum infirmo, quamdiu natura non ſuccumbit.* Hinc Pomponius juſte recipit & licite retinet datum ſibi ſalarium. *Pontas.*

CASUS V. Agobardus medicus omni ſollicitudine curat corpus Anſelmi periculoſe decumbentis, cura animæ penitus relicta propinquis illius & confeſſario. An ipſi coram Deo imputari poteſt, ſi æger ſine Sacramentis decedat?

℟. Absque dubio Agobardus graviter peccat, ſi monere negligat Anſelmum aut illius curam gerentes de periculo mortis, ſicque in culpa ſit, ne æger mature ſatis recipiat SS. Sacramenta, præſertim Pœnitentiæ. Hic apprime convenit adducere conſtitutionem Innocentii III. Can. *Cum infirmitas.* 13. L. 5. Tit. 38. quæ ut baſis ac fundamentum conſiderari poteſt omnium conſtitutionum tam eccleſiaſticarum quam civilium hac ſuper re editarum. *Cum infirmitas corporalis*, ait Pontifex, *non nunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem curaverat: VADE ET AMPLIUS NOLI PECCARE, NE DETERIUS ALIQUID TIBI CONTINGAT, præſenti decreto ſtatuimus, & diſtricte præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, ut medicos advocent animarum; ut, poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur, cum cauſa ceſſante ceſſet effectus. Hoc quidem inter alia huic cauſam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum hujus*

noſtræ

noſtræ conſtitutionis, poſtquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgreſſor exſtiterit, tamdiu ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, donec pro transgreſſione hujusmodi ſatisfecerit competenter. Pontas.

MELITENSIS.

CASUS. Poſſidius presbyter Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, in qua vota ſolum ſimplicia a Generali diſpenſabilia emittuntur, recipi petit in Ordinem Melitenſem: cum autem in hoc Ordine ſtatutum habeatur, vi cujus *quicumque in alio Ordine profeſſionem emiſerit, S. Joannis Hieroſolymitani Ordinem ſubire nequeat*, dubitatur, utrum Poſſidius recipi poſſit. Quid ſentiendum?

℟. Cum Congregatio Doctrinæ Chriſtianæ mere ſæcularis ſit, & nunquam Ordinis vere Religioſi rationem ſibi aſſumpſerit, nec unquam hoc nomine inſignita fuerit in Bullis ac Brevibus Pontificiis, in quibus de ea ſermo eſt, præfatum ſtatutum, quod ſolum excludit profeſſos in Ordine vere ac ſtricte Religioſo, non impedit, quo minus Poſſidius recipi poſſit in Ordinem Melitenſium vere Religioſum, in quo ſolemnia Religionis vota emittuntur; niſi in hoc equeſtri Ordine contraria conſuetudo vigeat, aut peculiare decretum habeatur, vi cujus memoratum ſtatutum explicetur, & omnes Congregationes etiam non Religioſæ excludantur. *Fromageau.*

Vide *Equites.*

MENDACIUM.

1. *Mendacium* juxta S. Auguſtinum eſt *falſa ſignificatio cum voluntate fallendi.* Mentiri & falſum loqui idem non ſunt: mentiri enim nemo poteſt, quin falſum proferat, aut ea, quæ dicit, falſa eſſe credat; falſum tamen loqui quis poteſt, quin mentiatur, quando nimirum falſa profert, quæ vera eſſe exiſtimat.

2. Tres potiſſimum mendacii ſpecies enumerantur, officioſum ſcilicet, jocoſum & pernicioſum. Mendacium *jocoſum* eſt *locutio contra mentem cauſa voluptatis propriæ vel alienæ.* Mendacium *officioſum* dicitur *locutio contra mentem cauſa utilitatis propriæ vel alienæ.* Mendacium denique *pernicioſum* eſt *locutio contra mentem cum proximi nocumento injuſto.* Mendacia officioſum & jocoſum ordinarie non ſunt niſi peccata venialia, *ſecluſo tamen injuſto nocumento ſpirituali aut tempo-*

temporali. Mendacium vero pernicioſum ex ſuo genere eſt peccatum mortale, ſicut ſuperbia, ira, gula, acedia &c.

3. Certum eſt, in nullo caſu, ex nulla ratione, quæcumque demum ea ſit, quempiam mentiri poſſe, aut æquivocatione uti ſine offenſa Dei; cum omne mendacium ex natura ſua ſit peccaminoſum.

CASUS I. Palamedes dicit, ſe vidiſſe Alexandrum in platea tranſeuntem; cum tamen tranſierit Paulus. An peccavit, ſi Palamedes verum ſe dicere exiſtimavit, idque in nullius præjudicium ceſſit?

℞. Mendacium Palamedis non niſi materiale eſt, cum non habuerit intentionem falſum proferendi; nec peccavit rem enunciando, prout noverat. *Quiſquis autem hoc enunciat,* ait S. Auguſtinus Lib. *de mendacio.* c. 3. ſeu n. 3. *quod vel creditum animo, vel opinatum tenet, etiamſi falſum ſit, non mentitur: hoc enim debet enunciationis ſuæ fidei, ut illud per eam proferat, quod animo tenet, & ſic habet; ut profert. Pontas.*

CASUS II. Polybius quidpiam ſe facturum promiſit. An mendacium committit, ſi promiſſum non exequatur?

℞. Si promiſit cum intentione promiſſum adimplendi, non mentitur, etſi poſtea promiſſum non adimpleat: peccat tamen contra fidelitatem, qua ſe obligavit ad id faciendum, quod promiſit; niſi juſta eum cauſa excuſet. *Ille, qui aliquid promittit,* inquit S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 2. ad 4. *ſi habet animum faciendi, quod promittit, non mentitur; quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si vero non faciat id, quod promiſit, tunc videtur infidebiliter agere per hoc, quod animum mutat,* Foret autem abſque dubio mendacium, ſi Polybius, dum promiſit, non habuit intentionem promiſſum adimplendi. Poteſt contingere, ut quis non exequens promiſſum nec peccet contra veritatem nec contra fidelitatem; ſi ſcilicet interveniat quædam circumſtantia, quæ executionem promiſſi impedit. Sic contigit S. Paulo, qui certe non peccavit, dum contra datum fidelibus promiſſum Corinthum non venerat propter intervenientia obſtacula. *Pontas.*

CASUS III. Cajus ſigno vel actione quadam inſinuat, rem eſſe veram, quam tamen ipſe falſam exiſtimat, & quidem eo conſilio, ut audientes crederent eſſe veram. Num mentitur?

℞. Data ſigna & actiones exhibitæ eundem, quem verba, effectum producunt; & hinc Cajus verum mendacium commiſit. Ita docent S. Auguſtinus l. c. c. 3. & 4. & S. Tho-

mas

mas l. c. art. 1. ad 2. Ratio eorum eſt; quia homo verax, ni ſimulator eſſe velit, per ſigna exteriora & actiones perceptibiles talem ſe omnibus exhibere debet; qualis eſt intus in mente; & cum ſigna & actiones non minus manifeſtent ſenſum interiorem mentis quam ipſa verba, peccatur contrà veritatem tam per ſigna & actiones quam per verba, quando ſigna & actiones ſtudioſe adhibentur ad ingerendum aliud, quam quod quis habet in mente. *Pontas.*

CASUS IV. Sebaſtianus ex joco affirmat rem, quam certo ſcit neminem crediturum, neque etiam intendit, ut quis credat: v. g. dicit, ſe jam peragraſſe quatuor orbis partes; licet decimum quintum ætatis annum necdum expleverit, & omnes ſciant, eum nunquam domo abiiſſe. An mentitur?

℟. Cum omne mendacium tendat ad decipiendum proximum, & Sebaſtianus non habuerit animum decipiendi quempiam, non videtur, eum commiſiſſe mendacium. Penitus tamen a peccato excuſandus non eſt, quale poſſet eſſe verbum otioſum, vanitas aut nimia levitas. *Pontas.*

CASUS V. Landrius ſolvit Martiali debitum 1000. florenorum, & recepit factæ ſolutionis apocham. Cum autem eam poſt aliquot menſes amiſiſſet, & Martialis mortuus fuiſſet, hæredes defuncti de novo petunt ſolutionem hujus ſummæ, quam necdum Martiali perſolutam fuiſſe exiſtimabant. Landrius judicialem proceſſum declinaturus fabricavit ſigillum Martialis, ejusque manum tam appoſite imitatus eſt, ut hæredes noviter confictam apocham haberent ut authenticam. An egit Landrius contra juſtitiam, vel ſaltem peccatum mendacii commiſit in ſcripto?

℟. Cum certum ſit, omne mendacium & omne falſum ex natura ſua eſſe peccatum, periculum ſuſtinendæ litis & iterato ſolvendi debitum non erat tanti, ut Landrio authoritatem tribueret novam confingendi apocham; cum juxta S. Auguſtinum in pſal. 5. n. 7. nec ad propriam vitam ſalvandam liceat falſum committere; imo, ut idem S. Pater L. de mend. c. 20. ſeu n. 42. ait, *ad ſempiternam ſalutem nullus ducendus eſt opitulante mendacio.* Sic hunc caſum etiam decidit ſacra Facultas Theologica Pariſienſis anno 1665. 3 Feb. dum ſequentem ſic dicti Amadæi Guimenii propoſitionem cenſura conſtrinxit: *Falſare non eſt, nec peccatum mortale, amiſſæ ſcripturæ de hæreditate aut nobilitate ſimilem efficere: nulli enim fit injuria. Nota modo, quod ſi quis privatam aliquam ſcripturam, aut ſyngraphum, aut apocham, qua conſtaret, ſe certæ quantitati pecuniæ mutuo acceptæ ſatisfeciſſe, falſi-*

falſificaret ; quia aliam legitimam a creditore confectam amiſiſſet, nec alio modo probare poſſet ſolutionem, non damnarem peccati mortalis ; quia falſificationes hæ, privatarum videlicet ſcripturarum, non ſunt ita Reipublicæ pernicioſæ. Cenſura Sorbonæ eſt hæc : *Hæc doctrina falſa eſt, ſcandaloſa & Reipublicæ pernicioſa. Pontas.*

Nota. Hæc fictio novæ apochæ pertinet potius ad æquivocationem vel reſtrictionem mentalem, quam ad mendacium; poteſt enim in ſenſu hæredum interrogantium ſine ullius deceptione habere hanc ſignificationem: Hæc ſcriptura eſt *repræſentative* apocha Landrii, ſicut de effigie vel icone dicimus : eſt Rex, eſt B. Virgo.

CASUS VI. Valierius cujuſdam viri nobilis famulus domeſticus Domino ſuo tempore importuno loqui volentibus ſemper reſpondet, & quidem juſſus, *eum non eſſe domi*, vel *exiiſſe*, ſubintelligendo *mane* ; aut *verſari in urbe*, prout & vere domus in urbe ſita eſt. An ſic reſpondendo mentitur famulus ? Num & dominus peccat id præcipiendo ?

℟. Juxta S. Auguſtinum L. contra mendac. c. 18. ſeu n. 35. omnes æquivocationes, amphibologiæ, & reſtrictiones mentales lege divina prohibentur. Innocentius XI. 1679. 2. Martii inter 65. propoſitiones damnavit & duas ſequentes, ordine vigeſimam ſextam & vigeſimam ſeptimam. 1o. *Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum ; revera non mentitur, nec eſt perjurus.* 2o. *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum ; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.* Cenſura generalis omnium 65. propoſitionum eſt hæc : *Quicumque autem, cujusvis conditionis, ſtatus & dignitatis, illas vel illarum aliquam conjunctim vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputaverit, publice, aut privatim tractaverit vel prædicaverit, niſi forſan impugnando ; ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, a qua non poſſit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.* Ex quibus manifeſte ſequitur, quod in hoc caſu & famulus mendacium committat ſic reſpondendo, & dominus mendacium præcipiendo, *Pontas.*

Nota.

Nota. Itaque dicendum, quod nunquam liceat uti æquivocatione, niſi ſit facile ſenſibilis. Senſibilis autem eſſe poteſt vel ex verbis, vel ex circumſtantiis, vel ex conſuetudine formulæ loquendi, vel ex ipſa injuſtitia interrogationis; dum interrogans non habet jus quærendi talia, vel interrogatus non habet jus manifeſtandi veritatem. In his caſibus interrogans poteſt & debet ſuſpicari ſenſum verborum duplicem, vel non obvium; & conſequenter, ſi errat, ſibimet ipſi id imputare debebit.

CASUS VII. Theodulphus Religioſus plura pronunciavit mendacia tum officioſa tum jocoſa in præſentia plurium ſæcularium, qui advertentes, dicta eſſe falſa, ſcandalum ſumpſerunt. Peccavitne Theodulphus mortaliter, ſi prævidit ſecuturum inde ſcandalum?

℟. Dicendum videtur cum S. Thoma 2. 2. q. 110. art. 4. Theodulphum peccaſſe mortaliter; eo quod ſcandalum dederit, quod evitare teneretur; licet ejusmodi mendacia ex natura ſua ſint tantum venialia. *Per accidens autem*, inquit S. Doctor, *mendacium jocoſum aut officioſum poteſt contrariari charitati ratione ſcandali, vel cujuscumque damni conſequentis; & ſic erit etiam peccatum mortale; dum ſcilicet aliquis non veretur propter ſcandalum publice mentiri. Pontas.*

CASUS VIII. Briandus, ut quemdam amicorum ſuorum præſervaret a gravi malo, tuta conſcientia diſſimulatione uti ſe poſſe cenſuit. Peccavitne?

℟. Nil quid dixerit aut fecerit veritati contrarium, juxta D. Thomam l. c. art. 3. ad 4. præciſe ob hanc diſſimulationem non peccavit Briandus. Si autem ſic diſſimulavit veritatem, ut ſimul uteretur terminis vel aliis ſignis inducentibus ad credendum aliquid veritati oppoſitum, a mendacio excuſari non poterit juxta hanc S. Auguſtini L. de Mendac. c. 17. ſententiam: *mentiri nunquam licet; ergo nec occultare mentiendo. Pontas.*

Nota. Univerſaliter nunquam licet adhibere mendacium; nec ad evitandam mortem aut atrociſſima tormenta; nec pro conſervandis ſibi aut proximo vita, honore aut bonis; nec ad liberandum innocentem injuſte accuſatum; nec ad procurandam ſalutem proximo; nec ad detegendas & extirpandas omnes hæreſes; nec ad ſui humiliationem. C. A.

CASUS IX. Bertinus ſubdiaconus ſollicitavit puellam ad turpe peccatum; &, ut ejusdem conſenſum facilius extorqueret, affirmavit ipſi, ſe eſſe laicum. Confeſſus peccatum fornicationis reticuit mendacium, peccatum ſolum veniale eſſe ratus. Eſtne confeſſio ipſius integra? An mendacium hoc tantum eſt veniale?

℟. Cum

℟. Cum mendacium Bertini certe fuerit peccatum mortale ob peſſimum, quem intendit, finem, confeſſio ipſius non fuit integra, ſed ſacrilega. *Triplex eſt genus mendacii*, ait Gloſſa in Can. *Ne quis*. 14. *malignitatis, quod ſit cauſa decipiendi, & illud omnibus eſt mortale peccatum.* Docet autem Concilium Tridentinum Seſſ. 14. Can. 7. & cap. 5. de Sacram. Pœnit. in confeſſione exprimi debere *omnia & ſingula peccata mortalia*. *Pontas.*

CASUS X. Adrianus offenſus a Joſepho a pluribus jam annis odium erga ipſum fovet graviſſimum. An toties committit mendacium, quoties recitans orationem dominicam pronunciat ea verba: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*?

℟. Proprie ac rigoroſe loquendo Adrianus recitans orationem dominicam non mentitur. S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 16. ad 13. ejuſmodi hominem a culpa mendacii eximit. Obſervandum tamen, quod juxta eundem S. Doctorem ſic orans interpretative ſaltem tentet Deum, & irreverentiam committat erga Deum, quæ eſt ſpecies quædam irreligioſitatis. S. Auguſtinus autem Serm. 49. alias 237. de temp. n. 8. taliter orantem mendacii reum facit. *Pontas.*

NOTA, Conciliari poteſt S. Auguſtinus cum S. Thoma dicendo, quod ſic orans committat mendacium materiale, non formale; quia non intendit fallere Deum. Et ſic malitia taliter orantis non eſt mendacium, ſed irreverentia tantum. De cætero tres in unico hoc actu moralitates diſtinguendæ eſſe videntur: una eſt intentio honorandi Deum; altera eſt irreverentia concomitans erga Deum, quem non intendit fallere; tertia eſt obſtinatio impœnitentiæ contra actualem inſtinctum Dei & conſcientiæ; prima de ſe eſt bona, ſecunda venialiter, & tertia mortaliter mala.

CASUS XI. Waſingtonius Dux militum promiſit Grenio militi gregario dimiſſionem concedendam ſtato tempore, quod cum adveniſſet, diſceſſit miles necdum receptis a Duce, qui & ipſe interea militiam reliquerat, dimiſſoriis; inquiſitus hinc deprehenditur, brevi puniendus ut transfuga. Dux malum a milite avertere poſſet, ſi ipſi jam daret dimiſſorias adſcripto die anteriore, qui reſponderet tempori, quo ipſe adhuc militibus præerat, & Grenius necdum ſigna deſeruerat. Poſſetne id fieri abſque mendacio?

℟. Falſum ac conſequenter mendacium committeret Waſingtonius, ſi dimiſſionem referret ad diem, quo necdum conceſſa, ſed ſolum promiſſa eſt: quilibet enim crederet, dimiſſionem adſcripto die eſſe datam; quod tamen a vero alienum eſt. Ipſe miles, ſi eo die diſceſſiſſet, quo ipſi promiſſa

ſa eſt dimiſſio, pœnam transfugarum incurriſſet. Aliud dicendum foret, ſi Dux militi dimiſſionem oretenus conceſſiſſet: tunc enim citra mendacium eam adſcripto eodem die ſignare poſſet. *Fromageau.*

CASUS XII. Nepomucenus ſcit, quid in conſilio Principis agitatum fuerit, ſed *ſub ſecreto;* & hinc absque mendacio interrogantibus reſponderi poſſe exiſtimat, ſe id neſcire. Num ita?

℟. Vere mentitur Nepomucenus, qui dicit ſe neſcire, quod ſcit, quamvis ſub ſecreto ſciat. Confeſſarii tantum, ſi interrogentur circa arcana confeſſionis, in eum modum citra mendacium reſpondere poſſunt; cum omnibus notum ſit, eorum miniſterium divinum potius eſſe quam humanum. Verum quoad omnia alia arcana eæ reſpondendi rationes adhibendæ ſunt, quæ id quidem, quod tacendum eſt, nequaquam detegant, & tamen diſerte non ſignificent id neſciri, quod ſcitur. *Fromageau.* Vide *Sigillum Sacramentale.* Caſ. 29.

CASUS XIII. Eliſabetha duas mulieres, quæ mutuis ſeſe dicteriis laceſſivere, componere aggreſſa, excuſat utramque, neutram pravo animo fuiſſe inquiens. An non mentitur?

℟. Ita ſentire de proximo pium eſt; & conſequenter ita loqui non poteſt eſſe mendacium: nemo enim malus cenſendus, multo minus dicendus eſt, niſi notoria, certa ac publica ſit ipſius malitia; maxime dum agitur de interna animi diſpoſitione, quæ utrum in proximo bona vel mala ſit, plerumque neſcitur. Sic Sancti juxta charitatis leges de proximis loquebantur, dum diſſidentes reconciliare ſatagebant; prout de S. Monica matre ſua refert S. Auguſtinus. Hinc minime mentita eſt Eliſabetha. *Fromageau.*

CASUS XIV. Ivo ſine gravi peccato ad mentem interrogantis quandoque reſponderi haud poſſe ratus, in ſubſidium vocat æquivocationes, amphibologias ac reſtrictiones mentales. Num licite?

℟. Cum ad mentem interrogantis reſpondendo graviter peccari creditur, omnino reſpondendum non eſt, ſed quærendæ ſunt rationes, & quidem licitæ, ut eludatur interrogatio, & nequaquam pateſiat, quod reticendum eſt. Reſtrictionibus autem mentalibus, æquivocationibus aut amphibologiis uti abſolute non licet: eæ enim omnes ab Innocentio XI. inter ſexaginta quinque propoſitiones propoſitione 26. 27 & 28. damnatæ ſunt. Idem præſtitit Clerus Gallicanus in Conventu generali anno 1700. Tit. 12. qui & aliam propoſitionem addidit ac proſcripſit, ſcilicet quod *Pa-*

triar-

triarchæ, *Prophetæ*, *Angeli*, *ipſe Chriſtus Dominus ac Sancti æquivocationibus ac reſtrictionibus mentalibus uſi fuerint.* Ivo itaque abſque dubio peccat; quia æquivocationes, amphibologiæ, & reſtrictiones ejusmodi æquivalent mendacils. *Fromageau.* Vide Caſ. 6. & *Reus.* caſ. 1. 2. 3. & 8.

MERCATOR.

Generale principium eſt, minoris emi quid licite non poſſe eo prætextu, quod numerata ocyus pecunia, aut, ut quandoque contingit, etiam anticipato ante traditionem mercis mercatori ſolvatur, niſi forte in caſu lucri ceſſantis aut damni emergentis ex parte emptoris. Minoris tamen emere licet, ſi ſolutio anticipatur, & probabiliter fore creditur, ut merx minoris valeat eo tempore, quo a mercatore tradenda eſt emptori.

CASUS Titius negotiator margaritarius ſapphirum emit a Mævio 35. florenis, eamque denuo vendidit Cajo 165. florenis. Tutane id conſcientia?

℟. Tenetur Titius in conſcientia reſtituere exceſſum pretii exorbitantis, & quidem, ſi pretium, quo ſapphirum emit a Mævio, fuit nimis exiguum, venditori Mævio; ſi autem pretium illud fuit juſtum ac legitimum, emptori Cajo. *Fromageau.*

Vide *Emptio.* *Societas.* *Venditio.*

MERCES.

1. *Merces* & *Salarium* ſunt termini ſynonymi, qui definiri poſſunt, quod ſint *retributio ex pacto ſaltem tacito debita ac proportionata labori.*

2. Famulus aut operarius jure petit juſtam mercedem a domino, cui ſerviit, quamvis de qualitate aut quantitate mercedis pacto expreſſo non convenerit cum eo. Graviſſimum eſt peccatum, cujus clamor ad cœlum usque penetrat, digna mercede defraudare mercenarium.

3. Difficultas tamen eſt quoad operarium, qui conſtituto tempore opus ſuum non perfecit, de quo actum eſt in titulo *Locatio*: item quoad famulum, qui ſe pro determinato annorum numero obſtrinxit ad ſervitium, & ante lapſum hujus temporis vel ultro diſcedit a domino, vel ab eo dimittitur, qua de re ſermo erit caſu 2.

CASUS I. Liberius, cum quatuor annorum ſerviiſſet Ferdinando viro in dignitate conſtituto, quin unquam de ſa-

lario inter eos convenerit, tandem dimiſſus eſt, eo quod licentius vivere inciperet, & quidem ſine ulla mercede; quam cum peteret Liberius, ſe nihil debere, repoſuit Ferdinandus, cum non promiſiſſet, & ipſe non petiiſſet mercedem. Addebat Ferdinandus, etiam ſervitia ſibi male fuiſſe impenſa.

℞. Ferdinandus non poteſt ſubtrahere Liberio juſtam & præſtitis ſervitiis condignam mercedem, ejusque excuſationes ſunt prorſus inſufficientes: nam 1. ſalarium debetur ſervo jure naturali, & *dignus eſt operarius mercede ſua.* 2. Cum famulus nil mercedis expreſſe petierit, præſumendum eſt, id ex reverentia aut ex metu factum, eumque nunquam habuiſſe intentionem gratis & absque ſalario ſerviendi. 3. Querelis Ferdinandi de male ſibi impenſo ſervitio haud multum deferendum eſſe, ex eo deſumitur, quod per quatuor annos ſuo illum in ſervitio detinuerit. De cætero juſtum ſalarium determinari debet ex conſuetudine & ex legibus æquitatis, ſicut pretium naturale rerum venalium. *Pontas.*

CASUS II. Poſito quod Ferdinandus Liberium conduxerit ad ſex annos pro annuo ſalario 25. florenorum, eumque poſt quadriennium dimiſerit; teneturne illi mercedem pro ſexennio perſolvere? Aut ſi Liberius diſceſſerit ex ſervitio tertio aut quarto anno, an tenetur Ferdinandus illi mercedem dare his tribus aut quatuor annis proportionatam?

℞. *Quoad* 1. Ferdinandus tenetur ſolvere integram ſex annorum mercedem, ſi Liberius ex hac dimiſſione patiatur damnum, eoquod non reperiat aliud ſervitium; aut ſi Ferdinandus juſtam eum dimittendi cauſam non habuit. *Qui operas ſuas locavit*, inquit Lex, *totius temporis mercedem accipere debet, ſi per eum non ſtetit, quominus operas præſtaret.* Si autem vel juſta dimiſſionis cauſa ſubſit, vel Liberio mox aliud obveniat ſervitium, ſolum ipſi debetur merces pro ratione temporis in ſervitio inſumpti. *Quoad* 2. non videtur Ferdinandum eximi poſſe ab obligatione ſolvendi ſalarium tempori in ſervitio impenſo proportionatum, niſi Liberius cum Domino ſuo convenerit de privatione totius ſalarii in caſu, quo ante expletum ſexennium diſcederet, aut Ferdinandus ex præmaturo diſceſſu famuli damnum pateretur. *Pontas.*

Vide *Compenſatio. Locatio. Reſtitutio.*

MERI-

MERITUM.

Meritum generaliter acceptum eſt opus præmio aut ſupplicio dignum. Theologi duo meritorum genera diſtinguunt, ſcilicet meritum *de congruo*, & meritum *de condigno.* Meritum de congruo eſt *opus bonum retributione divina dignum ex decentia & gratuita liberalitate*; quin detur ex parte Dei obligatio juſtitiæ. Meritum de condigno eſt *opus bonum, cui ex ſua operantisque dignitate merces debetur ex juſtitia* : quamvis, ſi juſtitia ſumatur in ſenſu rigoroſo ac ſtrictiſſimo, hæc merces non debeatur ex juſtitia; quia omne meritum provenit a gratia actuali & habituali. Ad meritum de condigno requiruntur quinque conditiones, recenſendæ in reſponſione ad caſum primum.

CASUS I. Paſchalis & Paulus ſtudioſi Theologiæ diſputant de merito eleemoſynæ, quam prior cuidam pauperi erogaverat. Unus eorum ad merendum abſolute neceſſarium non eſſe tenet, ut quis ſit in ſtatu gratiæ, ſed ſatis eſſe, ſi bonum opus fiat ex motivo charitatis imperfectæ. Alter vero contendit, neminem mereri poſſe, niſi ab omni peccato mortali immunis ſit. Cujusnam ex parte ſtandum?

℟. Ut ex bono opere ſibi meritum quis aquirat, quinque conditiones requiruntur : 1. ut actio ſit libera; quia actio violenta & invito agente peracta omnis meriti eſt incapax. 2. Ut operans ſit viator; *quia poſt hanc vitam non eſt ſtatus merendi,* ut ait S. Thomas. 3. ut opus bonum procedat ex gratia tanquam principio, 4. Ad opus meritorium de condigno requiritur, ut operans ſit in ſtatu gratiæ. 5. ut opus bonum ſaltem virtualiter fiat ex motivo charitatis*: pondus enim amoris eſt*, ut ait S. Bonaventura in 2. diſt. 29. art. 8. q. 2. C. *quod dat valorem operibus meritoriis.* Itaque ſentiendum cum altero ex hisce Theologis, dummodo non excludat reliquas conditiones ad meritum requiſitas; & dicendum, nullum fieri poſſe opus meritorium de condigno, niſi operans ſit in ſtatu gratiæ. *Pontas.*

CASUS II. Jacobus totus in opera charitatis effuſus tempus pomeridianum ordinarie in inſtructione ac ſublevatione pauperum infirmorum inſumit; quæ tamen opera ſæpe non refert ad Deum. Suntne tunc meritoria? Et Gregorius presbyter ſingulis diebus dominicis & feſtis tempus matutinum conſecrat excipiendis confeſſionibus, ita huic operi intentus, ut quandoque id Deo offerre oblivifcatur. Privaturne ſic omni merito operis?

℟. Dantur duæ intentiones; una *actualis*, qua quis actionem eo, quo fit, tempore Deo offert; altera *virtualis*, quæ conſiſtit in relatione dependentiæ, quam effectus habet ad intentionem actualem præcedentem, quæ „ quamvis ipſa non ſubſiſtat amplius, in ſua tamen virtute perſeverat. Quod ſi Jacobus ab initio operis ſuas inſtructiones & inviſiones infirmorum, aliaque charitatis opera, quibus diem impenſurus erat, Deo obtulit, omnia hæc opera vi intentionis actualis præteritæ, in ſua virtute adhuc perſeverantis & in actiones ſubſequentes influentis ſunt meritoria; dummodo non deſit alia ex conditionibus ad meritum requiſitis. Idem dicendum de Gregorio. *Ad hoc, quod aliqua actio ſit meritoria,* inquit S. Bonaventura in 2. diſt. 41. art. 1. q. 3. ad 6. *non oportet, quod ſemper quis eam referat actualiter in Deum; ſed ſufficit relatio habitualis. Habitualem autem relationem voco . . . quia in primordio operationis illius vel alterius, ad quam illa conſequenter ſe habet, intentionem habet ad Deum directam.* Addit S. Doctor, quod, ſi quis bonum opus interrumpit, & convertit ſe ad aliam actionem differentis naturæ, neceſſaria ſit renovatio intentionis, ut hæc actio fiat meritoria: *Si autem opus alterius generis inciperet, oporteret, quod intentio renovaretur ad hoc, ut opus eſſet meritorium, Pontas.*

Nota. S. Bonaventura hic per intentionem *habitualem* idem prorſus intelligit, quod nos cum omnibus jam Theologis intelligimus per virtualem.

CASUS III. Proſper errogat florenum in pauperem animo munifico & ex ſpiritu liberalitatis; idem præſtat Antonius, ſed cum quadam repugnantia. An utriusque meritum eſt æquale, cum uterque ex motivo charitatis agat?

℟. Ut citra omnem errorem judicari poſſit de æqualitate vel inæqualitate meriti Proſperum inter & Antonium, ſciendum eſt, utrum repugnantia, quam ſentit Antonius, proveniat ex inordinato amore terrenorum; dein examinandum eſt, utrum ea affectio ſit aliquo modo voluntaria, vel Antonium invadat invitum & renitentem, ita ut ad eam labefactandam vel omnino opprimendam omnes vires adhibeat, & contra inclinationem internam ad temporalia ſtudioſe eleemoſynas eroget; in hoc poſteriori caſu dicendum, quod eleemoſyna Antonii non obſtante oppoſitione naturali erogata fuerit amplioris meriti, ac eleemoſyna Proſperi cum delectatione ac promptitudine interna erogata. Ratio eſt; quia magnitudo meriti creſcit ex magnitudine charitatis, ex qua quis operatur; charitas autem major eſt cæteris paribus,

ubi

ubi major eſt deliberatio; & iſta major eſſe ſolet, ubi major eſt difficultas. *Quantitas meriti*, inquit S. Thomas in 3. diſt. 24. art. 3. quæſtiunc. 3. C. *attenditur ſecundum radicem charitatis . . . quanto magis quis voluntarie facit, tanto magis meretur.* Si vero Antonius eam repugnantiam voluntatis pateretur ex inordinato amore terrenorum, nec eum conaretur vincere, haud dubie minus mereretur quam Proſper. *Pontas.*

Nota. In operatione Antonii concurrunt duo diverſæ rationis merita; nempe victoriam ſui, & actum miſericordiæ. In genere miſericordiæ actus Proſperi eſt perfectior: *hilarem enim* datorem diligit Deus. 2. Cor. 9. v. 7.

METUS.

Vide *Contractus. Impedimentum metus. Ordo* Caſ. 17. *Peccatum* Caſ. 10. *Promiſſio* Caſ. 6.

MISSA.

1. Quidquid ſit de etymologia hujus nominis *Miſſa*, ſive ea deducatur a voce latina *miſſio*, ſive a Græca *Muesis operatio myſtica*, ſive ab Hebraica *Miſſath oblatio*; certum ſane eſt, hanc vocem *Miſſa* a multis retro ſæculis jam receptam fuiſſe. Eſt autem miſſa juxta definitionem Theologicam *Sacrificium incruentum corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini.* Per verbum *Sacrificium* intelligitur *Oblatio externa rei ſenſibilis per realem mutationem a legitimo miniſtro facta Deo in teſtimonium ſupremi dominii ipſius & noſtræ ſubjectionis.* Unde & hoc ſacrificium dicitur *latreuticum.* Per verba autem, *per realem mutationem* intelligitur mutatio ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti. Dogma fidei eſt juxta Tridentinum Seſſ. 22. Can. 1. quod in miſſa verum Deo offeratur ſacrificium.

2. Offertur hoc ſanctum ſacrificium ſuper ſepulcra ſanctorum Martyrum, ut juxta explicationem S. Auguſtini Deo grates referantur pro victoriis, quas ii Dei gratia adjuti ac confortati retulerunt, nobiſque eorum interceſſione neceſſaria a Deo auxilia conferantur ad ſequenda eorum veſtigia, imitandaque virtutum exempla, ac faciendos identidem majores in pietate Chriſtiana progreſſus. Verum, ut idem S. Auguſtinus docet, ſacrilegium committeret, qui hoc ſacrificium immediate Sanctis offerret, quod unice ſuppremæ ac divinæ majeſtati debetur, ut cultus *latreuticus.*

3. Sacrificium miſſæ dicitur a Theologis inſuper *propitiatorium*, *euchariſticum* & *impetratorium*, ut fideles eidem aſſiſtentes intelligant, ſe debere ſimul Deo offerre ſacrificium internum ſpiritus ac cordis igne charitatis inflammati, cordis contriti ac humiliati, cordis amore ac gratitudine exæſtuantis erga ſupremam bonitatem Dei, qui ſolus eſt principium ac fons omnium gratiarum, naturalium ac ſupernaturalium, cordis denique ab omni inordinata affectione erga mundum, creaturas & bona terreſtria emundati, ac ſincero deſiderio repleti indies magis proficiendi in puritate, ſanctitate, & unione cum Deo.

4. Ceremoniæ miſſæ ab Eccleſia inſtitutæ immutari, aut omitti, vel privata authoritate novæ addi non poſſunt absque peccato; nec licet ſacerdotibus celebrantibus adiicere orationes privatas ſub prætextu devotionis, ut olim factum fuiſſe obſervat Maldonatus *de ceremoniis in genere* part. 2. Graviter peccat, qui celebrat non jejunus, exceptis tamen quibusdam caſibus, de quibus per decurſum hujus articuli fiet mentio. Regulariter loquendo ſemel tantum quolibet die celebrare licet. Qui celebrat in ſtatu peccati mortalis, committit ſacrilegium.

5. Parochi diebus Dominicis & feſtis de præcepto miſſam pro parochianis applicare tenentur.

6. Sine ſpeciali Epiſcopi licentia non licet miſſam celebrare niſi in loco conſecrato aut ſaltem benedicto. Unus ſaltem miſſæ interſit miniſter, qui celebranti reſpondeat. Ornamenta & veſtimenta ad uſum miſſæ deſtinata debent eſſe benedicta ab Epiſcopo vel presbytero ad id poteſtatem habente.

7. Ad ſacrificium miſſæ in nullo unquam caſu poteſt adhiberi alius panis, quam triticeus; nec aliud vinum, quam de vite.

8 Omnes fideles diebus Dominicis & feſtis ſub peccato mortali corpore & ſpiritu tenentur intereſſe miſſæ; niſi cauſa juſta ac legitima eos excuſet. Datur etiam obligatio diebus Dominicis ac feſtis principalioribus aſſiſtendi miſſæ parochiali.

9. Verum eſt, quod primis ſæculis Eccleſia peccatores certis quibusdam gravibus criminibus coinquinatos a participatione ſacrorum myſteriorum excluſerit, imo nec iis adeſſe permiſerit, cum celebrarentur; rigor tamen diſciplinæ hujus jam adeo remiſit, ut Eccleſia ſemper pia & erga peccatores indulgentiſſima non ſolum eos intereſſe concedat, ſed & præcipiat celebrationi miſſæ iis diebus, quibus omnes fide-

fideles ad id obligantur ; dummodo per ſpecialem cenſuram a Divinis nominatim non arceantur, iisque interſint animo contrito ac pœnitenter & cum ſincero deſiderio ex iis fructum percipiendi.

10. Tenentur autem fideles diebus Dominicis & præcipuis anni feſtivitatibus non ſolum in parochiis ſuis intereſſe ſolemni miſſæ ſacrificio, quod pro neceſſitatibus eorum ſpiritualibus ac corporalibus a parochis offertur; ſed & inſtructionibus, exhortationibus, concionibus ac catecheſibus, quæ hisce diebus fieri debent; ut hac occaſione ſimul percipiant, quæ ipſis ex cathedra denunciantur circa feſta & jejunia ab Eccleſia præcepta, circa monitoria, contractus ſponſalitios, variaque decreta Pontificia vel epiſcopalia: ad quod etiam per cenſuras aliasque pœnas eccleſiaſticas compelli poſſunt.

11. Sacerdos ad intentionem cujuspiam miſſam celebrans absque omni peccato oblatum ſibi honorarium accipere poteſt; dummodo id fiat ſine præcedenti pacto, & ſine importuna exactione, idque ſolum ut eleemoſynam accipiat.

12. Licet primis Eccleſiæ temporibus miſſa celebrata fuerit idiomate ab omnibus perceptibili, non tamen abſolute neceſſarium eſt, ut ea ubique celebretur idiomate vulgari. Quoad hoc obſervandus eſt præſcriptus cujuslibet eccleſiæ ritus; & ſi populus non intelligat idioma miſſæ, parochorum ac ſacerdotum eſt eum docere de iis, quæ in miſſa leguntur & aguntur.

13. Quilibet tenetur miſſam audire integram ejusdem ſacerdotis.

14. Circa hanc de ſacrificio miſſæ materiam Clerus Gallicanus anno 1700. damnavit ſequentes propoſitiones.

PROPOSITIO 73. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes, imo quatuor ſimul, a diverſis celebrantibus audit.* Cenſura eſt hæc: *Hæc propoſitio abſurda eſt, ſcandaloſa, illuſoria, communique Chriſtianorum ſenſui repugnat.*

PROPOSITIO 77. *Nullus in foro conſcientiæ parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem, nec ad miſſas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, quæ ibi in catecheſibus annunciantur & docentur.*

PROPOSITIO 78. *Talem legem in hac materia nec Epiſcopi, nec Concilia provinciarum nec nationum ſancire; nec delinquentes aliquibus pœnis aut eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt.*

PROPOSITIO 79. *Plebs virtute Concilii Tridentini cogi non poteſt cenſuris & pœnis eccleſiaſticis, ut eat ad ſuam parochiam diebus Dominicis ad audiendam miſſam parochialem.* Cenſura harum trium propoſitionum eſt hæc: *Harum propoſitionum doctrina falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, jam a Clero Gallicano graviter condemnata, ſacris Canonibus, Concilio Tridentino & Apoſtolicæ traditioni contraria, dicente Apoſtolo*: Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibusdam. Heb. 10. v. 13.

CASUS I. Didacus presbyter interdum ante celebrationem miſſæ abſorbet duas guttulas cujusdam liquoris confortativi ob debilitatem ſtomachi; & alia vice eluendo guttur caſu demiſit duas aquæ guttulas, aut exiguas ciborum reliquias in dentibus ex die antecedente reſiduas. An ſic celebrando Miſſam peccavit mortaliter?

℟. In primo caſu peccavit Didacus mortaliter. Ita Concil. Conſtant. Seſſ. 3. & S. Thomas 3. part. Sum. q. 80. art. 8. ad 4. *Placuit Spiritui Sancto*, inquit S. Auguſtinus Ep. 55., *ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Chriſtiani corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur.* In ſecundo autem caſu non cenſetur violaſſe jejunium; & hinc absque peccato celebrare potuit. Rationem aſſignat D. Thomas; quia reliquiæ cibi in ore remantes non deglutiuntur per modum nutrimenti aut medicamenti, ſed per modum ſalivæ. *Pontas.*

CASUS II. Juſtinus parochus, cum ad celebrandum haud obligari ſe exiſtimaret, unicum duntaxat hauſtum aquæ ſumpſit. Vocatus autem ad providendum moribundum non invenit hoſtiam conſecratam. An in urgenti hac neceſſitate potuit celebrare?

℟. Certum eſt, Juſtinum ſine gravi peccato non potuiſſe celebrare: prohibitio enim Eccleſiæ hac ſuper re adeo expreſſa, antiqua & generalis eſt, ut nullam patiatur exceptionem aut limitationem; prout & nulla reperitur in antiquis Canonibus, exceptis ſolum duobus caſibus, de quibus ſermo erit per decurſum hujus articuli. Sylvius in 3. part. Sum. S. Thomæ hanc affert rationem; *eo quod receptio hujus Sacramenti minoris eſt neceſſitatis & majoris reverentiæ, propter quam Eccleſia non diſpenſat ſuper jejunio in hujusmodi caſu. Pontas.*

Nota. Parochus, licet in die non feſto *directe* non fuerit obligatus ad celebrandam miſſam, fuiſſet tamen *indirecte* obligatus ob defectum hoſtiæ conſecratæ pro viatico infirmis miniſtrando. Et hinc etiam

ex

ex hoc capite graviter peccavit, dum violando jejunium celebrationem ſibi illicitam reddidit.

CASUS III. Clarius parochus ex inadvertentia in Natali Domini in prima miſſa ſumpſit ablutionem; & ſi non celebret duas alteras, aut ſaltem tertiam; major pars parochianorum miſſa privabitur. An ad minimum tertiam ad evitandum ſcandalum celebrare poteſt?

℞. Juxta Sylvium *loco citato q.* 80. *art.* 8. *ſub fin.* præſens caſus non debet excipi a regula generali, quæ celebrantem vult eſſe jejunum; nec ſcandalum, quod ſecuturum ſupponitur, eſt ſufficiens ratio & legitima, qua ſuffultus parochus hic poſſit celebrare tertiam miſſam. Parochiani in hoc caſu debent ſe conſiderare quaſi parocho deſtitutos, & interea alio pergere præcepto Eccleſiæ ſatisfacturi, ſi id ipſis non ſit nimis arduum. Inſignes Theologi, inter quos eſt memoratus Sylvius, duos tantum caſus admittunt, in quibus ex una eademque ratione non jejuno celebrare licet, dum ſcilicet alias Sacrificium maneret imperfectum. *Quando id neceſſarium eſt*, ait Sylvius, *ad perficiendum vel conſummandum Sacrificium, ut ſi ſacerdos ſubita ægritudine correptus non poteſt inchoatam miſſam perficere, nec reperitur alius jejunus, poteſt non jejunus illud abſolvere & communicare; vel ſi una ſpecies erat per alterum conſecrata.* Vide Reſponſ. ad Caſ. 19. 20. & 22. *Pontas.*

Nota. Cum defectus jejunii non ſit notorius publice, & ſcandalum ſit majus malum; cenſeo, Juſtinum caſ 2. memoratum & Clarium non ſolum poſſe, ſed etiam debere celebrare.

CASUS IV. *Medericus* presbyter poſt ſumptam ablutionem, dum adhuc altari adſtat, vel dum jam rediit in ſacriſtiam, advertit, aliquam particulam conſecratam adhuc hærere in patena. An illam abſumendo non peccat?

℞. Dum adhuc conſiſtit ad altare, licite eam abſumit; cum, antequam ab altari diſcedat, ſacrificium non cenſeatur eſſe perfectum, ut docet Navar. Manual. c. 25. n. 89. Si vero jam rediit in Sacriſtiam, particulam ſumere non licet, niſi ſine manifeſto alicujus irreverentiæ periculo ſarvari non poſſit. *Pontas.*

CASUS V. *Balduinus* presbyter ſumpta prima ablutione advertit, aliquot vini guttulas, quas in calicem, ut conſecraret, infuderat, oræ calicis adhærere. An habendæ ſunt pro conſecratis, & conſequenter ſumendæ; an vero purificatorio abſtergendæ?

℟. Si hæ vini guttæ calici adhæſerunt foris, habendæ ſunt pro non conſecratis, & purificatorio abſtergendæ; ſi vero ſint intra calicem, opinio communior, quæ verior eſſe videtur, tenet, eas non habendas eſſe pro conſecratis, niſi ſpecialem habuerit eas conſecrandi intentionem; quamvis ſit convenientius, ſecuriusque, ſi cum ablutione abſumantur. Non tamen Balduinus alicujus peccati arguendus, ſi bona fide, exiſtimans eſſe licitum, eas guttas purificatorio extergit. Nihilominus in ſimili caſu presbyter debet eas guttas vel cum prima vel cum ſecunda ſimul ablutione abſumere. *Pontas.*

CASUS VI *Andreas* presbyter quandoque ante celebrationem miſſæ ſumit tabacum, aut mandit. An violat jejunium naturale vel non?

℟. Jejunium naturale nunquam frangitur, niſi aliquid trajiciatur in ſtomachum per modum nutrimenti, aut per modum medicinæ. *Sylv. in 3. part. Sum. S. Thom. q. 89. art. 8.* Tabacum hauſtum naribus non deſcendit in ſtomachum; idem dicendum de maſticatione foliorum tabaci, nam foliorum illorum ſuccus non abſorbetur. Quodſi parum aliquid deveniret in ſtomachum fortuito cum ſaliva, id non impediret celebrationem, prout contingit in eluendo ore. Sed presbyter tali modo ſumens tabacum ad purgandum cerebrum ſummopere eſſet vituperabilis: ejusmodi enim indecentia toleranda facilius in milite eſſet quam in ſacerdote, qui mox eſt ſumpturus corpus Jeſu Chriſti. Urbanus VIII. per Bullam ſuam de 30. Jan. A. 1641. omnibus, cujuscumque fuerint conditionis, in Eccleſiis tabacum ſumere prohibuit, & principaliter presbyteris celebrantibus, ſub pœna excommunicationis *ipſo facto* incurrendæ ab his, qui huic interdictioni contravenerint. Ad hæc, ſi vel parum fumi etiam caſu fortuito in fumigatione trajiciatur in ſtomachum, frangitur jejunium naturale; & ſic ſacerdos impeditur a celebratione illa die, & laicus a communione, ut cum pluribus Theologis ſentit Paulus Zacchias Tom. 1. q. q. Medico - legalium Lib. 9. Tit. 7. ubi ait: *Si aliqua folii particula per os ad ſtomachum trajiciatur, tunc ea tabacci particula impediret Euchariſtiæ ſumptionem; quemadmodum impedire dicunt Canoniſtæ aquæ communis ſtillam, quæ neque cibi, neque rei alimentalis rationem habet. Pontas.*

CASUS VII. Salluſtius parochus ruralis in feſtivitate, dum vult celebrare, deprehendit, caſulam furto ablatam. An poterit celebrare ſine caſula, maxime ſi plures alias non poſſent audire miſſam, ſimulque providendus eſſet infirmus

ad

ad confinia mortis jam deductus, & deeſſet hoſtia conſecrata?

℞. Abſolute parochus non poteſt celebrare ſine caſula; peccaretque graviter contra debitam ſacro myſterio reverentiam. *Abſque ſacris hiſce veſtibus celebrare*, inquit Sylvius in 3. part. q. 83. art. 6. quæſito 3. §. *Sextum. grave admodum foret peccatum mortale, partim propter præcepti eccleſiaſtici transgreſſionem in re notabili; partim propter magnam irreverentiam, quæ contra tantum Sacramentum committeretur.* Hujus reſponſionis rationem allegans addit: *Præceptum autem divinum de ſumendo viatico ſolum obligat infirmum pro illo tempore, quo ipſe poteſt ſine indecentia vel irreverentia illud habere. Eccleſiaſticum quoque de miſſa audienda tunc duntaxat fideles obligat, quando poſſunt eam audire celebratam, ſecundum Eccleſiæ conſtitutionem. Pontas.* Vide Caſ. 2.

CASUS VIII. *Lentulus* presbyter cum teneretur die feſto celebrare, ne plures perſonæ privarentur miſſa, celebravit ſine cereis accenſis, in ſacello ſito in ſaltu vaſto, ad hæc inſtabat jam meridies. Peccavitne?

℞. Non eſt dubium, quin ſic celebrando grave peccatum commiſerit. *Caveant Epiſcopi*, inquit Concilium Tridentinum Seſſ. 22. *ne ſacerdotes ritus alios, aut alias ceremonias & preces in miſſarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili uſu receptæ fuerint.* Graviter quoque peccaret ſacerdos, qui ſaltem extra caſum gravis neceſſitatis uteretur aliis luminibus, quam ex cera factis. *Qui citra neceſſitatem celebraret cum alio lumine*, inquit Sylvius l. c. *non effugeret peccatum mortale. Ubi tamen haberi non poſſet lumen ex cera, & ſcandalum abeſſet, probabile eſt, quod ſufficeret lampas aut lucerna ex oleo, non ſimiliter candela ſebacea; niſi forte magna eſſet celebrandi neceſſitas, nec haberi poſſet lumen ex cera vel oleo. Pontas.*

CASUS IX. *Sidonius* parochus cum eſſet providendus moribundus, nec adeſſet hoſtia conſecrata, nec inſuper præſentem haberet miniſtrum, celebravit ſine miniſtro, ut conſecraret & adeſſet S. Hoſtia, qua ægrum reficeret. An peccavit?

℞. Regulariter loquendo non licet celebrare, quin unus ſaltem celebranti miniſter aſſiſtat. *Non enim ſolus Presbyter*, ait Alexander III. Cap. *Propoſui.* 6. Lib. 1. Tit. 17. *miſſarum ſolemnia poteſt ſine miniſtri ſuffragio celebrare.* Idem ſtatuunt plures variorum Conciliorum Canones. Videtur tamen, Canones hoſce ſolum intelligendos eſſe de caſu, in quo nulla urget gravis neceſſitas; quæ cum in hoc caſu intervenerit, juxta

juxta S. Beuve & plures alios Theologos ac Canoniſtas Sidonius abſque miniſtro celebrans peccati inſimulandus non eſt. *Pontas.*

CASUS X. *Hubertus* presbyter conſecravit calicem, in quem infuderat tertiam aut dimidiam partem aquæ cum vino. An peccavit graviter?

℞. Conſuetudo Eccleſiæ univerſaliter recepta eſt, ut quando conſecrandum eſt, plus infundatur vini, quam aquæ; quæ conſuetudo confirmata eſt per Decretalem Honorii III. Cap. *Perniciofus.* 13. Lib. 3. Tit. 41. Hubertus igitur grave peccatum commiſit, dimidiam aquæ partem vino commiſcens. Si vero tertiam ſolummodo aquæ partem commiſcuiſſet vino, peccatum non foret adeo grave: in rigore enim ſufficit ad validam conſecrationem, ſi in calice contineantur duæ tertiæ partes vini, & una tertia pars aquæ, ut Concilium Tiburienſe declarat, & adhuc uſuvenit in Eccleſia occidentali. Nihilominus tamen peccavit Hubertus agendo contra conſuetudinem univerſalem Eccleſiæ, quæ ſolet tantum parum aquæ vino affundere. *Pontas.*

CASUS XI. *Titius* ſub celebratione miſſæ recordatur, ſe nullam aquam commiſcuiſſe vino. Quid illi agendum?

℞. Si Titius hujus ſuæ omiſſionis recordatur ante conſecrationem calicis, licet hoſtia conſecrata jam ſit, quantocyus debet affundere aquam, peccaretque id negligens graviter; quamvis conſecratio ſolius vini foret valida. Si vero Titius hujus omiſſionis nonniſi poſt conſecrationem utriusque ſpeciei recordatur, debet ſacrificium abſolvere, nec aliquid affundere; cum permixtio aquæ non ſit de eſſentia Sacramenti, & aliunde Eccleſia ordinaverit aquam affundendam & commiſcendam vino, non ſanguini Jeſu Chriſti, qui tunc eſt in calice. *S. Thom.* 3. *part. ſum. q.* 83. *art.* 6. *ad* 4. *Pontas.*

CASUS XII. *Delphius* presbyter in die Natali Domini tertiam miſſam celebrans, poſt conſecrationem advertit, ſe tantum aquam in calicem infudiſſe. Quid illi agendum?

℞. Si id advertat ante ſumptionem Corporis Chriſti, juxta S. Thomam l. c. art. 6. ad 4. effuſa aqua debet calici immittere vinum & parum aquæ, ac conſecrare. Si vero id advertat primum poſt ſumptionem Corporis Chriſti, novam debet apponere hoſtiam, & immiſſo in calicem vino cum modica aqua utrumque conſecrare ac ſumere. Curandum tamen in præſenti caſu, ut evitetur omne ſcandalum. Rubricæ Miſſalis expreſſe idem præſcribunt. *Si hoc advertat*, ajunt, *poſt ſumptionem Corporis vel hujusmodi aquæ, apponat aliam hoſti-*

hoſtiam iterum conſecrandam, & vinum cum aqua in calice: offerat utrumque, & conſecret & ſumat, quamvis non ſit jejunus... Sed ſi miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut ſupra, conſecrare at ſtatim ſumere. Pontas.

CASUS XIII. *Caſpardus* miſſam celebrans advertit, in calice eſſe araneam vel muſcam. Quid agendum?

℞. Si id advertat ante conſecrationem, aliud vinum ſumere, & illud conſecrare debet. Si vero id poſt conſecrationem advertat, araneam vel muſcam caute captam lavare, comburere, & in Sacrario ablutionem cum cineribus reponere debet. Si aranea in calice fuiſſet mortua, & ſuum venenum jam communicaſſet ſpeciebus conſecratis; aut aliunde conſtaret in calice eſſe venenum, presbyter non teneretur illud ſumere, ſed deberet in alio vaſculo proprio repoſitum conſervari, usque dum vini ſpecies totaliter corrupta fuerit. Et ne illud ſacrificium remaneat imperfectum; aliud debet aſſumi vinum & conſecrari; & ſi hoſtiam jam ſumpſiſſet, novam conſecrare deberet, niſi ſcandalum exinde timeretur. Sic docent S. Thomas & S. Antoninus. *Pontas.*

CASUS XIV. *Carolus* in excipiendis confeſſionibus, viſitandis infirmis, aliisque negotiis valde occupatus, ordinarie celebrat ante diluculum; quia alias non poſſet celebrare niſi hora meridiana cum quarante. Peccatne alterutra hora celebrando?

℞. Regulariter loquendo nec ante auroram nec poſt meridiem miſſam celebrare licet, niſi in caſibus per ſacros canones exceptis. *Miſſæ*, ait S. Carolus Conc. Mediol. 1. *nec ante auroram nec poſt meridiem, niſi ex cauſa jure permiſſa celebrentur.* Nihilominus Navarrus Manual. c. 25. n. 85. non ſine ratione exiſtimat, non improbandam eſſe conſuetudinem ante auroram celebrandi, ſi alias plures non poſſent audire Sacrum; id quod fieri ſolet in pluribus civitatibus Galliæ, Belgii & ſuperioris Germaniæ, ubi celebratur tribus aut quatuor horis ante ortum ſolis; quin ullus Ordinariorum id improbet. Ex eadem ratione juxta S. Leonem Can. *Neceſſe.* 51. de Conſecr. diſt. 1. licet miſſam celebrare poſt horam meridianam, ſi legitima eo usqne celebrationem differendi cauſa ſubſit. Inter alias autem legitimas cauſas primum poſt meridiem celebrandi poſſunt eſſe ſequentes: 1. Quando urget neceſſitas Hoſtias conſecrandi pro miniſtrando infirmis Viatico. 2. Quando ceremoniæ exequiales eo usque extenduntur; eo quod citius inchoari haud potuerint. 3. Quando in feſto ſolemni concio primum finitur

tur poſt meridiem. 4. Quando ſcitur adeſſe populum, qui prius non potuit audire miſſam. 5. Quando presbyter itinerans ante meridiem non pervenit in locum, ubi celebrari poteſt. Pariſiis & Rothomagi fiunt quandoque, v. g. ingruente publica calamitate, ſolemniſſimæ proceſſiones, quibus licet hora quinta aut ſexta veſpertina finitis primum celebratur miſſa. Ex quibus manifeſte ſequitur, Carolum ex memoratis rationibus, utpote legitimis, ante auroram vel poſt meridiem celebrantem non peccare. *Pontas.*

CASUS XV. Gervaſius parochus celebrans miſſam, immediate poſt communionem & ante ablutionem monetur, ab infirmo parochiano peti Viaticum. Poteſtne abſque peccato celebrare ſecundam miſſam pro conſecranda Hoſtia, ſi conſecratam non inveniat? Poſſetne in eadem circumſtantia id fieri, ſi petat adveniens in ſolemni feſto Epiſcopus aut Princeps, qui miſſam necdum audierant, prout cenſet Panormitanus in cap. *Conſuluiſti. De celebrat. Miſſ.*? Aut ſi eodem die celebrandæ eſſent exequiæ, prout permittit Alexander II. Can. *Sufficit.* 3. *de Conſecrat.* diſt. 1.? Aut denique ſi alias non poſſet ſatisfieri fundationi?

℟. Rariſſimum quidem eſt, non reperiri conſecratam Hoſtiam pro miniſtrando Viatico; ſi tamen id contingat, probabiliter dici poſſe videtur, parochum celebrando ſecundam miſſam non peccare, ſaltem mortaliter; dummodo id fiat ſine ſcandalo, & cum conſenſu Epiſcopi, ut non nulli exiſtimant. Nihilominus ſententia oppoſita longe eſt probabilior, & in praxi unice ac abſolute tenenda. Ratio eſt; quia conſuetudo Eccleſiæ univerſaliter recepta eſt, ut ab eodem ſacerdote non niſi unica in die miſſa dicatur, excepto Natali Domini, & eo caſu, quo idem parochus duas regendas haberet parochias, quarum neutra ſeorſim ſpectata ſufficientes ad congruam ſuſtentationem reddítus præberet; & tunc quidem ſolum diebus Dominicis ac feſtis, & non niſi de conſenſu Epiſcopi liceret bis celebrare. Itaque dicendum, Gervaſium in memoratis caſibus non poſſe celebrare ſecundam miſſam. *Pontas.*

CASUS XVI. *Patritius* parochus in feſto Corporis Chriſti celebrans miſſam parochialem recordatur, S. Hoſtiam, in proceſſione ſolenni circumferendam, jam fuiſſe conſecratam ante duos menſes; & quia credit, S. Hoſtiam debere eſſe novam, illam abſumit, & loco illius recenter in hac miſſa conſecratam ſubſtituit. Peccavitne?

℟. Celebrans debet ſumere ſpecies a ſemet ipſo in eadem miſſa conſecratas. Sic reſpondet Sylvius in 3. part. Sum.

S.

S. Thom. q. 83. art. 4. Ratio ipſius eſt: *quia ſacerdos ſic agens non participaret de utraque ſpecie tunc conſecrata, ac per conſequens non integre compleret hoc Sacrificium. Pontas.*

CASUS XVII. Florius parochus, cum moribundus peteret S. Viaticum, & pro conſecratione ſolum unica adeſſet minor hoſtia, eam ad miſſam adhibuit & conſecravit, ac pro infirmo reſervavit; ipſe autem ſub unica duntaxat vini ſpecie communicavit. An non peccavit mortaliter?

℞. Indubitato Florius peccavit mortaliter. *Neceſſe eſt*, ait S. Thomas part. 3. q. 82. art. 4. C. *quod ſacerdos, quotiescumque conſecrat, ſumat integre hoc Sacramentum.* Communio ſacerdotis juxta omnes Theologos eſt ſaltem pars integralis Sacrificii; & hinc Eccleſia ſemper ordinavit conformiter ad verba Chriſti, *Manducate ex eo omnes*, *bibite ex eo omnes*, ut celebrans in ſacrificio a ſe oblato ſumat utramque ſpeciem; & ita quidem, ut, ſi emergente fors caſu inopinato id a celebrante fieri non poſſet, alius ſacerdos, etiam non jejunus, defectum ſupplere deberet, ne ſacrificium maneret imperfectum. *Pontas.*

Nota. In ejusmodi caſu vix non metaphyſico hoſtia minor deberet dividi in duas partes, utraque pars conſecrari, & una ad ceremonias miſſæ adhiberi, ac a celebrante ſumi, altera vero pars moribundo præberi.

CASUS XVIII. Auxilius ſæpe celebrat ex motivo, ut habeat ſuſtentationem ſuam ex oblato ſtipendio. An peccat?

℞. Si hoc ſit motivum celebrandi principale, peccat mortaliter. Ita S. Thomas Opuſc. 65. de Offic. Sacerd. vel quicumque demum eſt author. *Non poteſt ſacerdos*, ait, *illa intentione celebrare vel officiare, ut ex hoc pecuniam conſequatur; quia peccaret mortaliter. Pecunia ergo non debet eſſe cauſa celebrandi, ſed occaſio excitans & inducens.* Idem Angelicus in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. ad 4. ait: *facere pactionem de miſſa celebranda eſt Simoniacum ſemper; ſi tamen non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio miſſam cantare, poteſt accipere denarios, ſicut conducti ſacerdotes faciunt, non quaſi pretium miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ.* Itaque ſi Auxilius pro fine principali habeat honorem Dei, & tantum pro fine ſecundario ſuſtentationem vitæ, non peccat. *Pontas.*

CASUS XIX. Vincentius ſub celebratione miſſæ apoplexia tactus obiit; & alius ſacerdos, licet non jejunus, incho-

atam miſſam] complevit. Potuitne aut etiam debuit complere miſſam?

℟. Si ille caſus accidit ante conſecrationem, alius ſacerdos nec potuit nec debuit complere ſacrificium. Si vero accidit poſt conſecrationem, ſacrificium a Vincentio necdum ad finem perductum juxta D. Thomam part. 3. q. 83. art. 6. ad 1. ab alio ſacerdote compleri debuit, etiam non jejuno, ſi jejunus haberi non potuit. *Pontas.*

CASUS XX. Lucianus, qui Vincentio proxime memorato ad aram ſervierat, adeo erat diſtractus, ut aſſeverare haud potuerit, num Vincentius obierit ante vel poſt conſecrationem. An hoc non obſtante ſacrificium complendum eſt per alium ſacerdotem? & qua ratione agendum?

℟. In hoc dubio ſacerdos ſupplens ſacrificium de novo inchoare debet integram miſſam aſſumpta nova hoſtia, & illam Vincentii in altari interim ſeponere; ut docet idem S. Thomas in 4. diſt. 8. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 2. C. *Pontas.*

CASUS XXI. Oroſius parochus cum die Dominica vel in feſto de præcepto populo ad Sacrum audiendum jam congregato celebrare deberet, & nec haberet copiam confeſſarii, nec alius ſacerdos adeſſet, qui vices ſuppleret, dubitat, utrum in ſtatu peccati mortalis, quo ſe irretitum ſentiebat, ſine novo peccato celebrare poſſit, aut utrum veroſimile motivum fingere debeat, quo a celebratione miſſæ excuſaretur.

℟. Parochus hic elicito actu contritionis perfectæ cum firmo propoſito confitendi, quamprimum fieri poterit, non ſolum ſine ſacrilegio aut novo peccato poteſt, ſed & tenetur in his circumſtantiis celebrare. Ita cum omnibus Theologis S. Thomas *ad Hannibal.* in 4. diſt. 9. art. 3. ad 5. Et hæc doctrina conformis eſt Concilio Tridentino Seſſ. 13. c. 7. quod, poſtquam declaraverat, quemlibet ſacerdotem in ſtatu peccati mortalis exiſtentem, ſi habeat copiam confeſſarii, non poſſe celebrare ſine prævia confeſſione, *quantumvis ſibi contritus videatur*, mox addit: *Quod ſi neceſſitate urgente ſacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Et hæc declaratio Concilii verum continet præceptum, non nudum conſilium, ut quidam laxi Theologi arbitrati ſunt, quorum doctrinam Alexander VII. 8. Martii 1666. in ſequentibus propoſitionibus cenſura confixit. 1. *Mandatum Tridentini factum ſacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.* 2. *Illa particula, quamprimum, intelligitur,*

num ſacerdos ſuo tempore confitebitur. Scandaloſas has propoſitiones quiſcumque docuerit aut in praxin revocaverit, *ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit, prœterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.* Pontas.

CASUS XXII. Valentinus inchoata jam miſſa recordatur, ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, vel ſe eſſe excommunicatum, vel non jejunum. Quid ipſi agendum ſaltem in duobus caſibus poſterioribus, ut in conſcientia ſecurus eſſe poſſit?

℟. Cum in triplici hoc caſu Valentinus absque ſcandalo non poſſit recedere ab altari, etſi nemo alius præter miniſtrum aſſiſtat, absque peccato poteſt, imo tenetur continuare miſſam; dummodo prius conetur pro viribus elicere contritionem perfectam cum firmo propoſito proxima occaſione humiliter petendi abſolutionem a peccatis aut a cenſura. Ita docet S. Thomas part. 3. q. 83. art. 6. ad 2. *Pontas.*

CASUS XXIII. Toſſanus celebrans & mox conſecraturus comperit, magno numero irruere hæreticos, ſeque trucitatum iri, ni fugam capeſſat. Poteſtne ab altari diſcedere, ſi jam inchoavit Canonem aut ipſam conſecrationem?

℟. Si evidens ſit periculum mortis, & necdum inchoavit conſecrationem, poteſt relicto altari fugere; imo etiam poſt conſecrationem id licet, dummodo omiſſis omnibus precibus ac ceremoniis reſiduis ocyus ſumat conſecratas ſpecies. Idem dicendum in caſu, quo eccleſia ruinam minitaretur; ſi tamen fieri poſſet absque omni periculo, deberet conſecratam Hoſtiam cum calice transportare ad aliud altare, ibique miſſam continuare. Cardinalis Toletus exiſtimat, quod, ſi nihil eorum, quæ dicta ſunt, fieri poſſit, celebranti ad ſalvandam vitam ſuam liceat fugere relicto ſacrificio imperfecto, & hanc opinionem probabilem cenſet Sylvius in 3. part. Sum. S. Thom. q. 83. art. 6. quæſit. 2. ubi tamen addit hanc exceptionem: *Si tamen in fidei contemptum vellet quis eum occidere, niſi a Sacro deſiſteret, teneretur continuare & mortem ſubire. Pontas.*

CASUS XXIV. Marſilius perochus die feſto celebrans jam pervenit ad lectionem epiſtolæ, cum rogatur, ut expectaret adventum Toparchæ, qui alias miſſam audire haud poſſet. Aquieſcit ille, & duabus horis expectans, comparente tandem Domino loci continuat aut de novo inchoat miſſam. Potuitne ſic interrumpere miſſam absque peccato?

℟. Excepto caſu urgentis neceſſitatis miſſa ſemper ſine interruptione celebrari debet. Hinc parochus juxta Sylvium ibid. quæſit. 3. ſine gravi peccato tamdiu exſpectare haud potuit: celebratio enim miſſæ eſt actio ſacra una, totalis ac continua, quæ fieri debet ſucceſſive, & ſine interruptione aut diſcontinuatione notabili, ut poſſit dici una actio. Juxta eundem Theologum videtur excipi poſſe caſus, quo Cardinalis, Archiepiſcopus, Epiſcopus aut Princeps ejusmodi interruptionem peteret; quod tamen nequaquam extendendum ad ſimplices Dominos loci territoriales, qui populo parochiali tenentur præire bono exemplo, ac ſtatis ac conſuetis horis cum ipſo comparere ad Officium divinum. *Pontas.*

Nota. Graviter indubitato peccant parochi rurales, qui diebus Dominicis ac feſtis ex præpoſtera complacentia erga Nobiles aut Dominos loci; contra conſtitutiones ſynodales & eccleſiaſticas rem Divinam differunt, usque dum ejusmodi delicatulis diſcuſſo ſomno ac compto corpore comparere commodum ſit; & dein, ne iis moleſtum accidat, nudam miſſam deproperant cum neglectu Verbi Divini aut Catecheſis, non ſine juſtiſſimis parochianorum pie ſentientium murmurationibus, ac graviſſimo ſalutis animarum diſpendio.

CASUS XXV. Euſtratius parochus ante inchoationem Canonis monetur, ad eccleſiam pro recipiendo Baptiſmo allatum eſſe infantem in præſentiſſimo mortis periculo conſtitutum. Licitene relicto altari baptizat infantem, & poſtea miſſam continuat?

℟. Juxta Sylvium citatum id licet ante conſecrationem; non autem poſt conſecrationem: tunc enim celebrans ſemper tenetur continuare ac conſummare ſacrificium. Idem dicendum exiſtimat præfatus Author, ſi celebrans vocaretur ad excipiendam confeſſionem moribundi, aut miniſtrandam extremam unctionem ei, qui haud amplius confiteri poſſet. *Pontas.*

Nota. Vide Caſ. 63. ubi Gavantus in ſimili eventu etiam poſt conſecrationem interruptionem miſſæ permittit. Nec Sylvius in 3. part. q. 83. art. 6. q. 3. reſponſionem ſuam multum alligare videtur circumſtantiæ inchoati vel non inchoati Canonis; conſecrationis peractæ vel non peractæ.

CASUS XXVI. Martinus parochus ſub miſſa vocatus ad parochianum moriturum, omittit in Canone quasdam preces non pertinentes ad eſſentiam ſacrificii, ut citius abſolveret miſſam. An urgens hæc neceſſitas excuſat eum a peccato?

℟.

℟. Indubitato graviter peccavit Martinus. Ita docet S. Thomas in 4. ad Hannib. diſt. 23. art. 2. C. Ubi ait S. Doctor, quædam in ſacrificio miſſæ eſſe *eſſentialia*, ut materiam panis & vini, formam verborum, Ordinem miniſtri & intentionem; & quædam *accidentalia*; & addit, ex omiſſione eſſentialium ſacrificium fieri nullum; omiſſis accidentalibus autem id quidem ſubſiſtere, nihil tamen eorum omitti poſſe *ſine gravi peccato*. Nihilominus patitur hæc regula exceptionem in caſu neceſſitatis prorſus extraordinariæ, qualis ſupra caſu 23. allegatus fuit. *Pontas*.

CASUS XXVII. Aurelius presbyter in aliqua regione in qua vinum eſt valde rarum & carum, ex parſimonia poſt communionem duas ablutiones perficit ſola aqua. An peccat graviter?

℟. Concilium Tridentinum Seſſ. 22. de celebr. miſſ. expreſſe prohibet omnem mutationem ceremoniarum in miſſa. Cum ergo detur ſtricta obligatio non ſolum vi conſuetudinis generalis, ſed etiam vi præcepti eccleſiaſtici ad primam ablutionem adhibendi vinum; &, licet fors non exiſtat tale præceptum expreſſum ac formale circa ſecundam ablutionem, generalis tamen conſuetudo vigeat, quæ habet vim legis, etiam ad ſecundam ablutionem adhibendi, Aurelius haud excuſandus videtur a peccato mortali maxime cum & iſtud adverſetur Concilio Tridentino, quod l. c. ait: *Ne ritus alios aut alias ceremonias & preces in miſſarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili uſu receptæ fuerint*, *Pontas*.

CASUS XXVIII. In eccleſia Cathedrali Segorbienſi, in qua alias in uſu eſt Miſſale Romanum, immemorialis viget conſuetudo, vi cujus in fine miſſæ Canonicalis non datur benedictio. Decanus & octo Canonici accedente authoritate Epiſcopi vellent libenter abrogare hunc morem, utpote contrarium omnium aliarum eccleſiarum conſuetudini; quibus tamen ſe opponunt quadraginta duo Canonici, antiquæ inſiſtentes conſuetudini. Poſſuntne ſalva conſcientia perſiſtere in ſua oppoſitione?

℟. Hic caſus anno 1670. quibusdam Doctoribus Sorbonæ fuit propoſitus, & ſic deciſus. 1. Benedictio ſacerdotis in fine miſſæ non eſt admodum antiqua; cum in nullo manuſcripto Miſſali antiquo reperiatur. 2. In tomo 10. Bibliothecæ Patrum reperitur tractatus, cui titulus, *Expoſitio miſſæ*, ex quo manifeſte eruitur, populum mox poſt illa verba, *Ite miſſa eſt*, diſceſſiſſe ab eccleſia. 3. Si benedictio illa

conſtitueret partem miſſæ, populus non ante, ſed poſt benedictionem per illa verba, *Ite miſſa eſt*, dimitti deberet; quod tamen non fit. Hinc, cum conſuetudo eccleſiæ Segorbienſis ſit immemorialis, & cæremonia Benedictionis in miſſa Canonicali ab hominum memoria nunquam fuerit obſervata, prædicti quadraginta duo Canonici tuta conſcientia poſſunt inſiſtere praxi hucusque uſitatæ. *Pontas.*

Nota, Si ſtricti juris, & non decoris habeatur ratio, hæc reſponſio fors ſpernenda non eſt. Sed cui bono hæc obſtinatio contra obſervantiam generalem? Uniformitas in Divinis etiam circa minutiſſima quæque univerſam condecorat Eccleſiam. Dein ritus benedicendi populo ad finem miſſæ non eſt adeo novus; cum de eo jam fiat mentio in Concilio Agathenſi anno 506. habito, ubi Can. 31. dicitur: *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordinatione præcipimus, ita ut ante benedictionem ſacerdotis egredi populus non præſumat; quod ſi fecerint, ab Epiſcopo publice confundantur.*

CASUS XXIX. Fabianus a diverſis perſonis ſex florenos accepit, ut pro iis legeret viginti quator miſſas. Cum autem vi conſuetudinis aut ſtatuti epiſcopalis pro ſtipendio unius miſſæ dari deberent viginti crucigeri, ſolum legit octodecim miſſas. An id licet?

℞. Certum eſt, Fabianum ex debito juſtitiæ obligari ad legendas viginti quatuor miſſas; cum ſex florenos cum hoc onere acceperit, & contractus ex conventione legem accipere dignoſcantur. Eadem prorſus ratio eſt de presbytero acceptante Beneficium tenue, cujus redditus non ſufficiunt ad congruam ſuſtentationem; hic vel tenetur explere omnia onera Beneficio annexa, vel eidem renunciare, ut declaravit Alexander III. Hinc & ſacerdos, qui in ſe ſuſcepit onus legendarum certo numero miſſarum pro ſtipendio determinato licet modico, tenetur abſolute vel omnes miſſas legere, vel ſtipendium reddere iis, a quibus accepit. *Pontas.*

Nota. Stipendium miſſarum conſuetudine aut lege ſemel taxatum ſacerdoti nec licet augere, nec univerſim diminuere ſine conſenſu Epiſcopi: hoc enim ſorditiem, & illud ſapit avaritiam. Licet tamen amplius ſtipendium accipere, ſi quis ultro offerat; ſicut pauper licite accipit copioſiorem elemoſynam ultro oblatam. Imo cum miſſa pro quopiam poſſit legi gratis, poteſt ex miſericordia & charitate etiam legi ad petitionem pauperis pro minore ſtipendio, ac taxatum eſt.

CASUS XXX. Albertus pro ſex miſſis legendis accepit ſex ſtipendia valde modica; miſſæ legendæ erant pro converſione cujusdam peccatoris. Albertus autem tantum legit unicam;

eam; eo quod juxta omnes Theologos miſſæ unius ſacrificium ſit infiniti valoris, & eundem effectum producere poſſit, quem plura. An non peccavit contra juſtitiam aut charitatem? Teneturne & reliqua quinque miſſas legere?

℟. Peccavit mortaliter contra juſtitiam, fidelitatem, charitatem, ac ipſam etiam religionem, dum rem ſacratiſſimam traxit in materiam avaritiæ. Et hinc tenetur ſupplere quinque reliquas miſſas, aut ſtipendia reſtituere. *Quamvis virtus Chriſti*, ait S. Thomas in 4. diſt. 45. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 2. *quæ continetur ſub Sacramento Euchariſtiæ, ſit infinita, tamen determinatus eſt effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Pontas*

CASUS XXXI. Victorius a duabus perſonis pro duabus miſſis accepit duo ſtipendia. Poteſtne ſatisfacere unica miſſa, applicando alteri perſonæ fructum ſuum ſpecialem, quem ex ſacrificio percipere poſſet qua celebrans?

℟. Novum hoc fidelium pietatem defraudandi artificium a quibusdam Caſuiſtis inventum condemnavit Urbanus VIII. in Bulla. *Cum ſæpe contingat*, anno 1622. edita, ubi declarat Pontifex, ſacerdotes obligari ad totidem miſſas legendas, quot receperunt ſtipendia, licet ſint exigua, & quantitatem ab Epiſcopo determinatam non adæquent. Alexander II. anno 1665. ut falſas ac ſcandaloſas confixit ſequentes propoſitiones. 1. *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre; neque etiam contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.* 2. *Duplicatum ſtipendium poteſt ſacerdos pro eadem miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Urbani VIII.* Hinc Victorius peccaret contra fidelitatem & juſtitiam, ſi pro duobus ſtipendiis unicam tantum miſſam legeret, tenereturque ad reſtitutionem. *Pontas.*

CASUS XXXII. Demophilus pro legendis quatuor miſſis accipit duos florenos; ipſe vero eas legendas curat a ſacerdote rurali, cui tantum dat florenum cum dimidio, triginta crucigeris ſibi retentis. Licitene?

℟. Lucrum hoc eſt manifeſte injuſtum ac turpe, nec a peccato excuſari poteſt Demophilus, vel quivis alius, qui indignum ejusmodi commercium exercet. Alexander VII. damnavit 1665. ſequentem propoſitionem: *Poſt decretum Urbani VIII. poteſt ſacerdos, cui miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Urbanus VIII. in Bulla, *cum ſæpe con-*

tingat, inſuper prohibet, ne ii, qui miſſas in eccleſiis legendas curant, quidpiam ſibi reſervent ſub prætextu ſumptuum in panem, vinum, luminaria & paramenta, niſi eccleſia non habeat ſufficientes redditus ad ea ſuppetidanda: & in hoc ipſo caſu de quolibet ſtipendio haud plus permittit detrahi, quam præciſe ad has expenſas requiritur. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Servius parochus ultra centum miſſas quolibet anno in eccleſia parochiali legendas habet, ex quarum ſingulis non niſi decem crucigeri ſtipendii loco ipſi proveniunt; & cum non reperiret ſacerdotem, qui pro tam exiguo ſtipendio, non ſufficiente ad quotidianum victum, miſſam legeret, legit aut legendas curat tantum quinquaginta miſſas, ita ut cuilibet miſſæ correſponderent viginti crucigeri. Tutane id conſcientia?

℟. Reductio miſſarum non pertinet ad parochum, ſed ad Epiſcopum, qui ſolus eſt authenticus interpres voluntatis ac intentionis fundatorum defunctorum. *In commutationibus ultimarum voluntatum*, ait Concilium Tridentinum Seſſ. 12. de reform. c. 6. *quæ non niſi ex juſtitia & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi ſummarie & extrajudicialiter cognoſcant.* Hinc certe peccavit Servius propria authoritate miſſas reducendo; teneturque recurrere ad Epiſcopum, & ipſius judicio ſe conformare. *Pontas.* Vide Caſ. 66.

CASUS XXXIV. Theophilus poſſidet Beneficium, cujus litteræ fundationis ſolum exigunt, ut diebus Dominicis ac feſtis hora ſexta legat miſſam, & non exprimunt, ad cujusnam intentionem legenda ſit; hinc applicat eam pro ſe, aut pro aliis ſtipendium offerentibus. An licite agit?

℟. Theophilus tenetur miſſam applicare juxta intentionem fundatoris. Ratio eſt; quia in ejusmodi dubiis eligendum eſt id, quod eſt veroſimilius, & communius fieri ſolet juxta id Eugenii Papæ Cap. *Juvenis*. 3. Lib. 4. Tit. 1. *In his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus.* Veroſimilius autem eſt, intentionem fundatoris non fuiſſe, ut ex ſuis bonis eccleſiæ collatis nullum obtineat utilitatem; conſuetudo quoque generalis aliorum fundatorum eſt, ut velint pro ſe offerri preces & ſacrificia, ad obtinenda hoc modo facilius bona ſpiritualia ac æterna. Accedit, quod alias Theophilus ſeſe exponeret periculo agendi contra juſtitiam. *Pontas.*

Nota. Cum fundator determinaverit horam, præſumendum eſt, eum pro fine tantum habuiſſe commoditatem & fructum eorum, qui ſolemni miſſæ parochiali intereſſe non poſſunt, ut & iſti diebus Dominicis ac feſtis miſſam audiendi occaſionem nanciſcantur; præ-

ſertim

ſertim ſi ea fundatio tenuis, aut ſæculo decimo quinto anterior eſt, quo tempore necdum viguerunt ſtipendia paſtitia miſſarum, aut fundatorum reſervationes applicationum pro ſe ſolis. In dubio deque conveniendus erit Epiſcopus, qui pro ratione circumſtantiarum ſors determinabit quædam anni feſta primaria, quibus pro fundatore applicandum.

CASUS XXXV. In quodam religioſo Ordine extat peculiare ſtatutum, ut in quovis monaſterio quotidie legatur miſſa privata *de Beata*. Religioſorum quidam, cui a pluribus jam annis eam legere incumbit, applicat illam vel ſibi ipſi, vel aliis perſonis petentibus; eo quod in ſtatuto expreſſa non ſit intentio. Licitene agit?

℟. Religioſus iſte non niſi pro bono Ordinis generali aut ſui monaſterii particulari hanc miſſam applicare poteſt. Rationem Sylvius reſol. var. v. *Religioſus*. 17. allegat hanc; quia præſumi debet, intentionem conditorum hujus ſtatuti fuiſſe, non ſolum ut in quolibet monaſterio ſpecialis cultus exhibeatur beatiſſimæ Virgini, ſed etiam ut per interceſſionem ejus Religioſis a Deo impetrentur neceſſariæ gratiæ ac benedictiones tam quoad temporalia, quam quoad ſpiritualia. Peccat igitur Religioſus hic agendo contra intentionem legislatorum. *Pontas*.

Nota. Valet hæc reſponſio, niſi ejusmodi ſtatutum obſervantia contraria jam abrogatum ſit: ſi enim Ordo obligationem hanc poſuit, haud dubie poterit eam mutare, abrogare, vel conſuetudinem notorie contrariam tacite approbare.

CASUS XXXVI. Adelhaida monialis profeſſa in monaſterio adeo paupere, ut ſæpe in eo miſſa non legatur, eo quod ſtipendium ſolvendo non ſit, comperit, patrem ſuum miſſam quotidianam fundandi conſilium agitare; hinc rogat eum, ut eam fundare velit in eccleſia ſui monaſterii, ut moniales quotidie miſſam audire poſſint. Annuit pater, & fundationi miſſæ quotidianæ addit adhuc aliam, duorum ſcilicet ſolemnium anniverſariorum pro anima ſua & pro animabus defunctorum ex familia ſua. Debetne miſſa quotidiana applicari pro fundatore, qui circa eam mentem ſuam non ita diſtincte expreſſit, ut circa officia anniverſaria?

℟. Et juſtitia & æquitas videntur exigere, ut applicatio hujus miſſæ fiat in favorem fundatoris: in ejusmodi enim caſibus præcipua ratio habenda eſt intentionis, quam fundator habuit; præſumptio autem ſtat pro hac intentione, u miſſa in bonum animæ ſuæ applicetur. Licet fundator termi nis formalibus id non expreſſerit, ut circa duo anniverſaria neque tamen declaravit, eam applicationem eſſe liberam

hinc æquitati, charitati ac gratitudini magis conformis eſt in dubio interpretatio, quæ cedit in favorem fundatoris; maxime cum & alias ejusmodi fundationes ordinarie fiant cum hac intentione. Ita cenſet Sylvius ibid. v. *Miſſa*. 8. *Pontas*. Vide Caſ. 34.

CASUS XXXVII. Arcudius ſingulis feriis ſecundis ex fundatione tenetur dicere miſſam *de Requiem* pro defuncto fundatore. Contingit autem frequenter, ut in eum diem incidat feſtum duplex, & tunc miſſam legat de feſto juxta præſcriptum Rubricarum. An ſatisfit fundationi?

℟. Quamvis miſſa *de Requiem* ſpecialiter inſtituta ſit in ſolatium defunctorum, Arcudius tamen eo die, in quem incidit feſtum duplex, poteſt, imo tenetur miſſam privatam legere de feſto, eamque applicare pro defuncto fundatore. Ita docet S. Thomas in 4. diſt. 45. art. 3. q. 3. ad 5. *In officio miſſæ, ait, non ſolum eſt ſacrificium, ſed etiam ſunt ibi orationes; & ideo miſſæ ſacrificium continet duo horum, quæ hic Auguſtinus enumerat, ſcilicet orationes & ſacrificium. Ex parte igitur ſacrificii oblati miſſa æqualiter prodeſt, de quocumque dicatur; & hoc eſt principium, quod ſit in miſſa: ſed ex parte orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iſte defectus recompenſari poteſt per majorem devotionem, vel ejus qui facit dici, vel iterum per interceſſionem Sancti, cujus ſuffragium in miſſa imploratur. Pontas.*

Nota. Idem jam fuit declaratum per recentiores rubricas.

CASUS XXXVIII. Baſilius vi Beneficii ſui ſingulis feriis quartis tenetur legere miſſam *de Requiem* ad altare privilegiatum. Cum autem in feſtis duplicibus per rubricas non liceat legere miſſam privatam *de Requiem*, legit eam de Feſto. An privilegium altaris nihilominus ſuum ſortitur effectum?

℟. Per ſe applicationem privilegii altaris pro defunctis nihil refert, utrum legatur miſſa *de Requiem* vel *de feſto*, ſi Pontifex ad lucrandas indulgentias altaris nihil aliud requirat quam applicationem miſſæ. Si vero Breve Pontificium requirat ad applicationem privilegii in favorem defunctorum miſſam de Requiem, non valebunt indulgentiæ, niſi ea legatur; quia juxta Gloſſam indulgentiæ *tantum proſunt, quantum verba ſonant*: quod tamen ſolum intelligendum eſt de iis diebus, in quibus licet dicere miſſam de Requiem; & quoad hoc quilibet ſacerdos ſe conformare debet ritibus uſitatis in ea eccleſia, in qua celebrat. *Pontas.*

Nota.

Nota. Extant iteratæ declarationes Congregationis Indulgentiarum, quod valeant in feſto indulgentiæ altaris privilegiati pro defunctis, etſi miſſæ dicantur de feſto.

CASUS XXXIX. Iſidorus parochus, cum incolæ cujusdam viculi partinentis ad ſuam parochiam diebus Dominicis ac feſtis, maxime cœlo pluvio, non accederent ad eccleſiam ſuam parochialem cùm neglectu miſſæ parochialis ac verbi divini, ſed tantummodo miſſam audirent in ſua capella ibi fundata, cum conſenſu eorum, qui fundatorem repræſentabant, miſſæ hujus celebrationem transtulit in diem ferialem, ut ſic incolæ loci venire debeant ad ſuam parochiam. An jure ſic egit?

℟. Parochus privata authoritate ſic agere haud potuit, etſi acceſſerit conſenſus repræſentantium perſonam fundatoris; ſed recurrere debuiſſet ad Epiſcopum. Ita reſpondet Sylvius reſol. var. v. *Miſſa*. Ratio eſt; quia nec parochus poteſt derogare voluntati fundatoris, nec repræſentantes eum; ſed potius tenentur pro viribus urgere executionem fundationis quoad omnes circumſtantias, & ſe opponere omnibus diſpenſationem fundatoris violare tentantibus, donec ad majorem Dei gloriam & pro ſalute fidelium aliud ab Eccleſia ordinatum fuerit. *Pontas*.

CASUS XL. Cœleſtinus presbyter ex titulo fundationis ſingulis ſeptimanis tenetur legere tres miſſas. Poteritne ſalva conſcientia eas anticipare aut differre, ſi per unam vel alteram ſeptimanam ab earum celebratione impeditum ſe fore prævideat?

℟. Si has miſſas ſine ſufficienti cauſa differt, peccat; quia per dilationem grave præjudicium infertur vivis & defunctis, pro quibus offerendæ ſunt. Si vero eas anticipat, eo quod prævideat, præſcripto tempore illas legi non poſſe, juxta Authorem *Conferentiarum Condomienſium* Tom. 2. Conf. 6. ſect. 1. non peccat; niſi tabulæ fundationis aliud exprimant. *Pontas*.

CASUS XLI. Aponius accipit a Paulo ſtipendium trium miſſarum, legendarum pro felici terminatione litis intra ſex dies decidendæ. Verum Aponius celebrationem harum miſſarum ultra menſem diſtulit, lite interea contra Paulum definita. Teneturne Aponius reſtituere ſtipendium harum miſſarum?

℟. Cum negligentia ſua has miſſas diſtulerit, adeoque ſpeciali intentioni Pauli non ſatisfecerit, omnino tenetur ad reſtitutionem. *Si ad obtinendum aliquem ſucceſſum*, ait Caſſa-

baſſutius L. 16. c. 14. n. 18. *petita miſſa fuerit eo usque dilata, ut occaſio prætervierit ante celebrationem. Sic enim fruſtrata per ſacerdotis culpam intentione petentis, non poteſt retineri ſtipendium oblatum; quia violatur commutativa juſtitia. Pontas.*

Nota. Idem prorſus dicendum foret, ſi quis reciperet ab infirmo ſtipendia miſſarum legendarum pro bona morte decumbentis, easque ex culpabili negligentia aut avaritia differret, usque dum ille jam obierit.

CASUS XLII. Emilia a Mahometiſmo ad fidem catholicam converſa rogat Leandrum ſacerdotem, ut pro ſuo marito adhuc in infidelitate perſiſtente offerat SS. Sacrificium. Licetne id Leandro?

℟. Sive quis ſit infidelis, ſive paganus, ſive idololatra, ſive etiam fidelis publice excommunicatus, pro eo offerri poteſt miſſæ ſacrificium, dummodo ad altare non exprimantur nomina eorum. *Obſecro igitur*, ait Apoſtolus 1. Timoth. 2. *primum fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate: hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ita & docent Patres ac Theologi in hæc Apoſtoli verba. Ratio autem eſt; quia Sacrificium operatur ſuum effectum per modum impetrationis, quæ non neceſſario præſupponit diſpoſitionem ex parte illius, pro quo offertur. Itaque totum, quod ſacerdos facere poteſt offerendo pro infideli ſacrificium, conſiſtit in eo, ut impetret illi ab infinita bonitate Dei donum veræ pœnitentiæ ac ſinceræ converſionis gratiam. Licite igitur Leander pro memorato Turca offert miſſæ ſacrificium. *Pontas.*

CASUS XLIII. Euprepius ſacerdos, cujus ſuſtentatio unice pendet ex miſſarum ſtipendiis, cum per octiduum ruri ſe detinere cogeretur, & ſtipendia non obtineret, quotidie celebrat & applicat miſſam pro iis, qui primi a reditu ſuo in urbem oblaturi eſſent ſtipendia. Redeunti ocyus offeruntur decem ſtipendia; &, cum jam legiſſet octo miſſas, addit adhuc duas ad intentionem offerentis. Licitene?

℟. Hæc praxis perverſiſſima, ac ſordidam redolens avaritiam a S. Congregatione Rituum 5. Nov. 1605. merito condemnata eſt. *Citius quoque celebrando peccatur*, ait Gavantus *Manual. Epiſcop.* v. Miſſa. n. 33. *anticipata ſcilicet applicatione ſacrificii, nempe incerta pro eo, qui poſtea eleemoſynam dederit, cum ſuſpenſione effectus ſacrificii; quæ anticipata*

ta applicatio prohibita fuit a Paulo V. velut avaritiæ fomes. Pontas.

CASUS XLIV. Hoſpitale quoddam in civitate fundatum fuerat pro pauperibus loci, & pro miſſa quotidie ibi legenda. Cum vero ſucceſſu temporis numerus pauperum nimium accreſceret, ita ut redditus pro duplici hac fundatione non amplius ſufficerent, adminiſtratores reduxerunt onus quotidianæ miſſæ, eamque ſolum diebus Dominicis ac feſtis legendam curarunt. Num jure?

℟. Salva conſcientia non potuerunt reducere numerum miſſarum a fundatore præſcriptarum. Hinc curare tenentur, ut quotidie celebretur miſſa, & reſiduum ex redditibus, in ſublevamen pauperum expendatur. Omiſſas quoque miſſas ſuppiere tenentur, ſi quid ex redditibus ſuperſit; ſecus nulla pro præterito obligatio manet. *Si hoſpitale*, inquit Sylvius reſol. var. v. *Miſſa.* Reſp. 3. ad q. 2. *ſit æque fundatum cum onere miſſæ quotidianæ, atque ſub onere excipiendi pauperes, omnes iſtæ miſſæ ſic perſolvi debent ex bonis hoſpitalis, ut, quod præter ea, quæ pro miſſarum celebratione ſunt neceſſaria, ſuperfuerit, in pauperum exceptionem expendatur juxta decretum Concilii Tridentini Seſſ. 25. de reform. c. 8.* De cætero ſi neceſſaria ſit mutatio fundationis, ea authoritate Epiſcopi fieri debet. *Pontas.*

CASUS XLV. Lampadius miles a pluribus jam annis in ſtatu peccati mortalis ac pravæ conſuetudinis vivit, cum propoſito in ea perſeverandi. In peſſimo hoc ſtatu diebus Dominicis & feſtis aſſiſtit miſſæ. An peccat audiendo miſſam? An non melius faceret, ſi non audiret miſſam, & ſic evitaret novum peccatum?

℟. Haud dubie graviter peccat, qui cum propoſito perſeverandi in ſtatu peccati mortalis aſſiſtit ſacrificio miſſæ inſtituto ad conteſtandam noſtram ſubjectionem erga Deum, & ad placandam divinam juſtitiam pro peccatis. Ejusmodi homo comparari poteſt cum Juda, qui cœnæ Domini accumbere auſus eſt in actuali propoſito tradendi Chriſtum, & perfidiam ſuam texit oſculo, ſigno alias externo ac ſenſibili pacis ac amicitiæ; aut cum reo criminis læſæ majeſtatis, qui poſt plures ſeditiones in Principem motas rogat veniam, dum actu conſpirat cum hoſtibus. Ideo tamen non poteſt Lampadius omittere miſſam, utpote ſub peccato mortali ad eam audiendam obligatus; ſed id fieri debet in ſpiritu pœnitentiæ, & animo penitus renunciandi pravæ conſuetudini. Et ſi ita diſpoſitus aſſiſteret miſſæ, non ſolum non peccaret, etſi denuo relabatur; ſed etiam ſi perſiſteret in hac ani-

mi

mi diſpoſitione, ſucceſſive ex virtute S. ſacrificii, ut ſpes eſt, obtineret tandem perfectæ converſionis gratiam. Neque ex hoc ſequitur, quod Eccleſia, dum omnes fideles diebus Dominicis ac feſtis ad audiendam miſſam obligat, laqueum iniiciat iis, qui ſe convertere nolunt; quia hoc præceptum ſolum tendit ad facilitanda media obtinendi veniam & converſionis gratiam. Ita reſpondet Author *Conferentiarum Rupellenſium* de Sacrif. q. 57. 58. & 59. *Pontas.* Vide Caſ. 57.

CAUS XLVI. Dorothea nobilis vidua poſt mortem ſui mariti viginti diebus domi ſe detinuit in ſignum luctus, idque pro more nobilium illius provinciæ. An non peccavit mortaliter integro hoc tempore non audiendo miſſam?

℟. Sunt authores, qui hujusmodi viduas a peccatò mortali excuſant in locis, in quidus viget hæc conſuetudo, non contradicènte Epiſcopo. Hos inter recenſentur S. Antoninus, Cardinalis Cajetanus, Navarrus & S. Carolus Borromæus, qui ſaltem ejusmodi conſuetudinem tolerare videntur. Eo non obſtante dicendum, quod conſuetudo iſta non poſſit derogare præcepto Eccleſiæ generali toties renovato de obligatione audiendi miſſam; & quod viduæ nobiles tempore luctus non audientes miſſam diebus Dominicis ac feſtis peccent mortaliter, a quo peccato eas excuſare haud poterit conſuetudo contraria, quæ ſuperſtitioſum potius paganiſmi ritum ſapit quam piam obſervantiam religionis Chriſtianæ. *Conſuetudo*, inquit S. Cyprianus Can. *Conſuetudo.* 8. diſt. 8. *quæ apud quosdam obrepſerat, impedire non debet, quo minus veritas prævaleat & vincat. Nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt: propter quod relicto errore ſequamur veritatem. Pontas.*

CASUS XLVII. Herculus die Dominica ex negligentia ſero venit ad audiendum ſacrum, cujus tertia pars jam prætерlapſa erat. Peccatne mortaliter ſi ſolum reſiduis duabus miſſæ partibus interſit?

℟. Non ſatisfecit præcepto, & peccavit mortaliter juxta S. Antoninum, qui 2. part. Summ. Theol. tit. 9. c. 10. §. 1. ait: *Dicendum eſt, quod, qui dimittit aliquam partem miſſæ, puta Introitum, judicandus eſt ſervator præcepti. Sed ſi dimitteret notabilem partem, puta mediam vel tertiam partem, ſecus.* Sylvius tamen in 3. part. Sum. S. Thomæ q. 83. art. 6. q. 3. exiſtimat, quod ille ſatisfaciat præcepto, qui ex ratione legitima primum ad miſſam compareat finito Evangelio, & aliam audire nequeat. Cum autem hæc opinio ſit incerta, quilibet conari debet, ut mox ad initum miſſæ jam adſit. *Pontas.*

CASUS XLVIII. Germanus feria ſecunda Paſchatis conſitetur, & confeſſionem ſuam incipit eo momento, quo ſacerdos miſſam inchoat, ac finit paulo ante præfationem. Num ſatisfecit præcepto a præfatione miſſæ aſſiſtens; maxime cum alia miſſa non celebraretur?

℟. Non cenſetur ſatisfeciſſe: attentio enim, quæ debetur confeſſioni, longe alia eſt, ac exigit S. Sacrificium Miſſæ. *Quamvis confeſſio ſacramentalis ſit actus religionis*, inquit Cabaſſutius L. 2. c. 32. n. 4. *tamen talis actus cum colloquiis, quæ fiunt inter ſacerdotem & pœnitentem ad explorandas peccatorum circumſtantias aliam exigit attentionem, quam quæ in miſſa requiritur: attentio enim, quam miſſa requirit, debet eſſe per modum orationis, qualis non adeſt in perſcrutandis culparum momentis & circumſtantiis, & in dialogismis intervenientibus inter pœnitentem & confeſſarium. Pontas.*

Nota. Aliud dicendum, ubi alioquin eſſet omittenda confeſſio, vel ubi contraria viget conſuetudo. Et certe perſonas, quas neceſſitas ab audiendo alio Sacro excuſat, conſuetudo notoria tacite approbata excuſat quoad attentionis perfectionem.

CASUS XLIX. Helenæ maritus graviter decumbit, & periculum eſt, ne grave illi malum accidat, ſi eo relicto pro audienda miſſa ad eccleſiam pergat. Eſt autem dies Paſchatis, nec habet, cujus curæ maritum committat. Peccatne non aſſiſtendo miſſæ? Num peccaret, ſi domi haberet tenellos infantes, qui exponerentur notabili periculo abſente matre?

℟. In neutro caſu Helena peccat. Leges quidem ordinarie non faciunt exceptionem, cum impoſſibile ſit, ut legislator attendat ad omnes caſus in praxi occurentes; eas tamen in ejusmodi caſibus interpretari licet, prout æquitas & præſumptâ rationabiliter legislatoris intentio exigunt. In concurſu duarum legum, quarum utraque ſimul obſervari non poteſt, ſervanda eſt ea, quæ eſt altioris ordinis; hic autem obligatio aſſiſtendi infirmo marito, aut invigilandi teneris prolibus eſt juris naturalis, & obligatio audiendi miſſam die feſto ſolum juris eccleſiaſtici. *Excuſantur*, ait S. Antoninus 2. part. Sum. Theol. Tit. 9. c. 10. §. 2. *a præcepto audiendi miſſam ſervitores infirmorum, qui non poſſunt dimittere infirmos propter periculum; & matres, quæ non poſſunt dimittere parvulos ſine periculo; & alii, qui impedimenta legitima habent, vel ardua negotia, quæ non poſſunt dimittere ſine magno detrimento, ſcandalo vel periculo. Pontas.*

CASUS L. Vobertus & Gervaſius Theologi agitarunt quæſtionem, meliusne eſſet, ſi ſacerdos frequenter celebret, aut ſi raro. Quid tenendum? ℟.

℟. Frequentior celebratio præferenda videtur rariori; dummodo ſacerdos non ponat voluntarium obicem, nullum foveat affectum ad peccatum etiam veniale, ſacrificium celebret in unione amoris cum Deo. S. Antoninus 3. part. Tit. 13. c. 6. §. 15. ſex motiva affert ad frequentem celebrationem allicientia, quæ ſunt 1. *Nobilitas Sacramenti.* 2. *Suavitas & utilitas.* 3. *Benevolentia, quam celebrans non indigne a Chriſto ſponſo ſuo & ſponſa Eccleſia reportat.* 4. *Multiplex fructuoſitas in aſſiſtentibus celebrationi.* 5. *Officii commiſſi fidelis executio.* 6. *Periculum in mora.* Advertit autem idem S. Doctor, quod, ſi ſacerdos eſſet, aut ſe eſſe exiſtimaret in ſtatu peccati mortalis, haud liceret ei celebrare, donec ſinceram depoſuerit confeſſionem, veramque pœnitentiam egerit; &, ſi impedimentum celebrandi ex propria malitia aut negligentia proveniat, ſacerdos haud dubie teneatur removera indignitatem oratione ac piis operibus. Nihilominus improbandum non eſt, ſi ſacerdos ex humilitate interdum ab alteri ſe ſubtrahat, ſicque ſe diſponat ad dignius perficiendum hoc ſacrificium. *Pontas.*

Nota. Quæ hic de celebratione miſſæ ac celebrante dicuntur, etiam de communicantibus ac frequenti communione intelligenda ſunt.

CASUS LI. Alexius presbyter per tres jam aut quatuor annos ex mero motivo humilitatis a celebratione miſſæ abſtinet. Peccatne? An non ſub peccato celebrare tenetur ſaltem in Paſchate & aliis ſolemnioribus anni feſtivitatibus?

℟. Juxta S. Thomam in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. q. 1. C. ſacerdos, etſi ex obedientia celebrare non teneatur, nec habeat curam animarum, ob negligentiam tamen peccat, ſi poteſtatem in ordinatione ſibi traditam non exerceat in honorem Dei, ſalutem propriam & aliorum fidelium, tam vivorum quam mortuorum in eo ſtatu, ut ipſis prodeſſe poſſit miſſæ ſacrificium. Hinc peccat Alexius tanto tempore nunquam celebrans; & quidem graviter, ut cenſet Gavantus Comment. in Rubr. part. 3. Tit. 11. n. 6. Concilium Tridentinum Seſſ. 23. de reform. c. 14. ait: *Curet Epiſcopus, ut ſacerdotes ſaltem diebus Dominicis & feſtis ſolemnibus; ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, miſſas celebrent. Pontas.*

CASUS LII. Peccantne mortaliter fideles, fornicarii presbyteri miſſæ ſcienter contra eccleſiæ prohibitionem aſſiſtentes?

℟. Eos mortaliter peccare juxta mentem D. Thomæ Quodl. 11. art. 6. C. ſi presbyter ille eſt fornicator publicus, non autem ſi ſit occultus. *Proprie dicuntur publici*, ait S. Do-

Doctor l. c. *quando judicio & ſententia Eccleſiæ vocantur publici.* Quod quidem verum eſſe aſſerit, etiamſi a Prælato per negligentiam, vel timorem, aliave ſimili de cauſa in miniſterio toleraretur. *Pontas.*

CASUS LIII. Flavianus copioſæ civitatis incola ex peculiari devotione fere ſemper diebus Dominiis ac feſtis ad audiendam miſſam ſe confert ad eccleſiam Regularium domui ſuæ vicinam. Confeſſarius vult eum obligare ad audendam ſummam miſſam in eccleſia ſua parochiali ſaltem diebus Dominicis ac feſtis ſolemnioribus; qui tamen ſe excuſat dicendo, ſub peccato ad id ſe non teneri. An legitima eſt hæc excuſatio?

℟. Plura Concilia, generalia & provincialia decernunt, parochianos teneri miſſæ parochiali intereſſe diebus Dominicis ac feſtis; ſeduloque monendi ſunt fideles de hac obligatione. S. Antoninus tamen 2. part. Summ. Theol. Tit. 9. §. 2. aſſerit, ejusmodi decreta in locis, ubi conſuetudo contraria jam prævaluit, nullam amplius habere vim obligandi, niſi Epiſcopus ſuis conſtitutionibus urgeat obligationem; licet Epiſcopo haud conſulendum exiſtimet, ut contra conſuetudinem generaliter receptam quidquam ſtatuat, propter ſiniſtras ſequelas & ſcandala, quæ oriri poſſent. Confeſſarius memoratus tenetur Flaviano ob oculos ponere obligationem aſſiſtendi miſſæ parochiali diebus Dominicis ac feſtis ſaltem ſolemnioribus: ad id tamen adſtringendus haud videtur per denegationem abſolutionis, niſi a parochia abeſſe velit ex contemptu formali eccleſiæ, vel parochi ſui, aut ſine omni cauſa legitima. *Pontas.*

Nota. S. Antoninus aſſertione ſua nimium faviſſe videtur Ordinibus mendicantium. Certe diſciplina Eccleſiæ univerſalis ante originem Ordinum mendicantium, & ſubſequens ſaltem Eccleſiarum particularium præcipuarum, maxime in Gallia, ubi eſſentialia Religionis inconcuſſo ſtant pede, contraria eſt in hoc aſſertioni S. Antonini. Si tam facile tollitur obligatio parochianorum comparendi ad miſſam parochialem, brevi etiam actum erit de obligatione parochorum applicandi diebus Dominicis ac feſtis pro parochianis, prædicandi verbum Divinum ac catechizandi. Contraria conſuetudo, quam Ordines mendicantium pepererunt, ſollicite nutrierunt, ac ad annos conſiſtentiæ perduxerunt, inter corruptelas proſcribenda eſt, utpote boni ordinis circa Divina, ac reverentiæ amorisque erga matrices eccleſias everſiva. Vide Caſ. 71. & 72.

CASUS LIV. Artus miles diebus Dominicis ac feſtis Sacro quidem intereſt; ſed excepta elevatione genua nunquam flectit; oculos hinc illinc circumfert, & quævis data occa-

occaſione cum aliis confabulatur. An ſatisfacit præcepto Eccleſiæ?

℟. Non ſolum requiritur præſentia corporalis, ſed & mentalis, & hæc potiſſimum. Conſiderari deberet, Jeſum Chriſtum poſt conſecrationem realiter præſentem eſſe in altari, eumque in ſtatu profundiſſimæ exinanitionis ſe victimam offerre Deo Patri pro peccatis noſtris, ac denique eccleſiam vere eſſe domum Dei, in qua Deus paratum ſe exhibet ad excipiendas noſtras preces, conferendasque, quas petimus, gratias. Cum ergo Artus ſacrificio miſſæ ſolum præſens ſit corpore, ſine fide, ſine pietate, ſine religione, præter peccatum graviſſimum irreverentiæ ac ſcandali reum ſe conſtituit ſpecialis peccati mortalis; eo quod non ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ. Comparari meretur Artus cum Judæis flexo poplite Chriſto inſultantibus ac illudentibus Matth. 27. v. 29. *Genu flexo ante eum illudebant ei;* aut militibus cruento ſacrificio, quod Chriſtus in Calvario pro ſalute omnium Patri ſuo obtulit, vere præſentibus, ſed absque omni ſpe & animo ex effuſione ſanguinis & morte Salvatoris fructum percipiendi. *Pontas.*

CASUS LV. Marcellinus vir nobilis ac hæres Leandri in extera provincia defuncti vi teſtamenti curare tenetur, ut preces pro defuncto fiant & miſſæ legantur. Jam dubitat, utrum miſſæ legi debeant in loco, ubi Leander obiit; vel in proprio ſacello ſuo domeſtico legi poſſint. Quid tenendum?

℟. Certum eſt, quod hæres teneatur exequi voluntatem teſtatoris. Si ex teſtamento haud ſatis liquet, nec prudens præſumptio habetur, quo loco legendæ ſint miſſæ, conſulendus eſt Epiſcopus, & ipſius judicio inſiſtendum. Sordida foret avaritia, ſi Marcellinus has miſſas ſubſtitueret aliis jam alias pro ſua commoditate aut ex obligatione in ſacello domeſtico legi ſolitis. *De Lamet.*

CASUS LVI. Norbertus ſacerdos raro celebrare ſolitus, ut non nullis alioquin miſſam non audituris obſequeretur, bis celebravit, ſed absque conſecratione; eo quod peccati mortalis ſibi conſcius eſſet. An in excommunicationem incidit? & quænam ipſi pœnitentia injungenda?

℟. Excommunicationem quidem non incurrit; ſed enorme peccatum commiſit. Pro pœnitentia ipſi injungendum eſt, ut per notabile tempus a celebratione omnino abſtineat; jejuniis vacet, eleemoſynas eroget, inceſſanter orationi incumbat, ac per aliquod tempus in ſeminarium vel monaſterium ſe recipiat, ut opportunius hiſce & aliis pœnitentiæ operibus totum ſe dare poſſit. *Fromageau.*

CA-

CASUS LVII. Deſiderius miſſam audit in ſtatu pravi habitus & actualis affectus ad peccatum mortale. An peccat?

℟. Opinio eorum, qui dicunt, miſſæ auditionem cum habitu peccaminoſo & affectione ad mortale peccatum eſſe graviſſimum, & quandoque mortale peccatum, non nititur fundamento ſolido, & longe minus probabilis eſt ac oppoſita; nec tamen commune quid habet cum errore damnato in Concilio Tridentino Seſſ. 6. Can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri, anathema ſit;* vel cum propoſitione Baij a Pio V. damnata: *Quidquid facit peccator vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Tenetur autem peccator ſacrificio miſſæ aſſiſtere attende, reverenter, ac in ſpiritu religionis. *Fromageau.* Vide Caſ. 45.

CASUS LVIII. Bonifacius parochus diebus Dominicis, aut feſtis quandoque miſſam applicat pro offerente ſtipendium. An juſte?

℟. Certum eſt, quod parochus ſingulis diebus Dominicis ac feſtis de præcepto miſſam celebrare teneatur pro parochianis. Si tamen parochus nec Beneficii qualitate, nec quodam diœceſis ſtatuto, nec vi conſuetudinis extra dies Dominicos & feſtos celebrare tenetur, poteſt reliquis diebus celebrare, & miſſam pro ſtipendio applicare ad intentionem privati petentis. Quod numerum miſſarum attinet, quas parochus extra dies Dominicos & feſtos celebrare tenetur pro parochianis, ſi dubium eſt, conſulendus Epiſcopus, aut vir prudens ac doctus. Si parochus die feſto pro privato celebravit offerente ſtipendium, tenetur reſtituere, & omnia ſacrificia omiſſa ſupplere, per ſe vel per alium. *Fromageau.*

Nota. Juxta recentiores declarationes Romanas licet parocho non habenti ſuſtentationem congruam diebus Dominicis & feſtis accipere ſtipendium, ſi forte offeratur, & miſſa ad eum diem petatur; dummodo miſſa parochialis ſuppleatur per hebdomadam.

CASUS LIX. Felicianus ſacerdos prolapſus eſt in amentiam; & tamen adhuc celebravit ex mero habitu; idque ſciente ac tolerante Superiore. Num bene factum?

℟. Sacerdoti mentis impoti abſolute permitti non poteſt celebratio miſſæ, ſive ea ſpectetur ſub ratione ſacrificii, ſive ſub ratione Sacramenti. Superior id permittens peccat mortaliter; &, ſi non prohibeat, denunciandus eſt Epiſcopo, ut tanquam irreligionis & rerum ſacrarum profanationis complex puniatur. *Fromageau.*

CASUS LX. Barnabas interdum necdum recitato Matutino miſſam legit. Peccatne ?

℟. Non exſtat lex ſub reatu peccati mortalis obligans ad recitationem Matutini præmittendam celebrationi miſſæ ; & hinc Barnabas non peccat mortaliter, niſi interveniat formalis contemptus praxis plerumque in Eccleſia receptæ. Nihilominus tamen juxta communiorem ſententiam a peccato veniali haud excuſaretur, qui ſepenumero & absque legitima cauſa celebraret nondum recitato matutino. *Fromageau.*

Nota. Quælibet cauſa rationabilis circa hoc eſt etiam cauſa legitima.

CASUS LXI. Landulphus Epiſcopus, cum ſtipendium quindecim crucigerorum in diœceſi hactenus pro miſſa dari ſolitum haud ſufficeret ad diurnam ſuſtentationem congruam ſacerdotis, nova conſtitutione auxit ſtipendium, & viginti quatuor crucigeros determinavit pro miſſa. Titius jam antiquæ conſuetudini inſiſtens cuidam in urbe presbytero quatuor florenos offert pro ſedecim miſſis legendis : presbyter acceptat ; ſed novæ conſtitutioni ſe conformans tantum legit decem miſſas, ne quidem monito deſuper Titio. Num juſte ?

℟. Conſtitutio Epiſcopi omnino ſervanda, populusque, ut eidem ſe conformet, monendus eſt ; peccat quoque ſacerdos quindecim ſolum crucigeros pro miſſæ ſtupendio recipiens. Nihilominus memoratus presbyter abſolute tenetur legere ſedecim miſſas ; cum acceptando quatuor florenos pro determinato numero miſſarum cenſeatur renunciaſſe conſtitutioni epiſcopali, & aquieviſſe voluntati offerentis. Sic ſtatuit Urbanus VIII. & ejus authoritate Congregatio Cardinalium Tridentini interpretum, ut refert Fagnanus in Cap. *Fraternitatem.* n. 66. his verbis : *Si pro pluribus miſſis etiam ejusdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia quantumcumque incongrua & exigua, ſive ab una, ſive a pluribus perſonis ſollata fuerint, aut conferentur in futurum ſacerdotibus. . . Sacra Congregatio ſub obteſtatione divini judicii mandat ac præcipit, ut abſolute tot miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint ; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur. De Lamet.* Vide Caſ. 29.

CASUS LXII. Odulphus Superior hoſpicii ſacerdotum ad eccleſiam ruralem expoſitorum, ad quam frequentiſſimus concurſus peregrinantium, miſſas petentium ad aram imaginis thavmaturgæ, quæ ibi colitur, cum adverteret, ſtipendiis indies accreſcentibus, omnes miſſas ad illud altare legi haud poſſe, plurimas in alia eccleſia, aut ſuis ſacerdotibus in itinere conſtitutis, ubicumque divertant, legendas curat. Licitene?

℟. Intentio fidelium miſſas petentium ad determinatum altare eſt bona: Deus enim quasdam gratias concedit in uno loco, ubi Sanctos honorari vult, quas non concedit in alio; hinc pia fidelium conſuetudo peregrinandi ad varia loca devota ac ſancta. Unde ſequitur, quod Odulphus offerentes ſtipendia decipiat & peccet, ſi miſſæ non legantur ad illud altare, quo ferebatur eorum intentio. Urbanus VIII. anno 1625. decretum Congregationis Cardinalium confirmavit, quod ſic ſtatuit: *Eleemoſynas manuales & quotidianas pro miſſis celebrandis ita demum accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omnino abſtineant ab ejusmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis.* Si miſſæ ad determinatum altare petitæ ubivis legi poſſent, in vanum vetuiſſet Pontifex nova ſtipendia recipi, niſi prioribus jam ſatisfactum fuerit: quotquot enim miſſarum obligationes recipiantur, facillime iis ſatisfieri poſſet per ſacerdotes aliis in locis celebrantes. *Fromageau.*

CASUS LXIII. Baſilius ad altare jam conſiſtens vocatur ad infirmi morti proximi confeſſionem excipiendam, vel ad conferendam eidem abſolutionem, aut ad miniſtrandam extremam unctionem. Poteſtne miſſæ ſcrificium interrumpere?

℟. Poteſt quandoque ſacerdos a miſſæ ſacrificio, maxime ad Canonem necdum perducto, ad tempus deſiſtere, ut proximo in gravi ſalutis diſcrimine opituletur; imò ſunt, qui id charitatis officium extreme indigenti, etiam Canone jam inchoato, & peracta conſecratione, impendendum exiſtimant; ut ſi hominis in extremis agentis confeſſio excipienda, vel illi ſola abſolutio aut ſola extrema unctio conferri poſſit, aut ſi infanti in eccleſia nato & jamjam morituro baptiſmus adminiſtrandus. Gavantus p. 3. Tit. 10. in Rubr. Miſſ. n. 18. ita habet: *Quæritur, an poſſit interrumpi & diſcontinuari miſſa ob aliquam cauſam. Reſpondeo, ob concionem & publicationem edictorum, quæ fiunt a parochis; præterea ad confeſſionem audiendam moribundi, cuſtodita, ſi opus eſt, interim ab alio*

Euchariſtia, vel ad unguendum infirmum, cui nullum aliud Sacramentum adminiſtrari poteſt. Fromageau.

Vide Caſ. 25.

CASUS LXIV. Mentonius ſacriſta ſtipendia miſſarum determinato die legendarum accipit, licet prævideat, eas petito die legi haud poſſe, ſed in longum quandoque tempus differendas eſſe. Num juſte?

℟. Miſſarum celebratio in alium diem, ac offerens ſtipendium poſtulat, differri non poteſt, niſi moneatur ac conſentiat offerens. Ipſa acceptatio ſtipendii ſub conditione, ut certo die legatur, jam eſt tacita promiſſio, quæ omnino ſervari debet, ut ad hanc ipſam quæſtionem Congregatio Cardinalium probante Urbano VIII. reſpondit: *non poſſe differri, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt.* Peccat igitur Mentonius differendo Miſſas ultra diem candictum. *Fromageau.*

Vide Cas. 41.

CASUS LXV. Benno Beneficiatus, unicus in loco presbyter, petit pro miſſa majus ſtipendium, ac per diœceſin taxatum eſt. Num juſte?

℟. Taxandi ſtipendium miſſæ poteſtas penes ſolum Epiſcopum eſt, cui circa ea, quæ ad celebrationem miſſæ ſpectant, a Concilio Tridentino Seſſ. 22. decret. *de obſerv. ac evit. in celebr. miſſ.* & Seſſ. 25. de reform. c. 4. plena authoritas conceſſa eſt. Hinc Benno abſque injuſtitia ultra taxam ab Epiſcopo conſtitutam nec obolum exigere poteſt. *Fromageau.*

Vide Caſ. 29.

CASUS LXVI. Marcus adminiſtrator eccleſiæ ruralis, ad quam copioſiſſima fit peregrinatio, cum videret, fundum pro ſuſtentatione miniſtrorum congrua haud ſufficere, miſſas a peregrinis petitas reducere cogitat. Juſtene?

℟. Antequam ad reductionem miſſarum deveniatur, dona ac anathemata a fidelibus oblata vendenda ſunt, & redacta exinde pecunia in fundum convertenda. Quod ſi nec id ſufficiat, authoritate Epiſcopi miſſarum reductio fieri poteſt; peregrinis tamen de hac reductione ad mentem Epiſcopi facta commonitis. *Fromageau.*

Vide Caſ. 33.

CASUS LXVII. Canonici eccleſiæ Collegiatæ miſſam ſolemnem collegialem quotidie poſt *Tertiam* celebrari ſolitam applicant pro fundationibus miſſarum peculiaribus. Num bene?

℟. Miſſam collegialem quotidie in eccleſiis collegiatis canendi ſpecialis obligatio eſt, ut habetur Cap. *Cum creatura.* 11. Lib. 3. Tit. 41. S. Carolus in Concilio Mediol. IV. ſtatuit

tuit, Canonicos, cum miſſam collegialem omiſerint, illius diei diſtributionibus mulctandos, miſſamque alio die ſupplendam eſſe. Gavandus in Rubr. Miſſ. part. 3. Tit. 11. n. 7. & 8. affert hac ſuper re plures declarationes Congregationis Cardinalium. Cum ergo teneantur Canonici ex ſpeciali titulo cantare miſſam collegialem, non poteſt per eam ſatisfieri alteri obligationi diſtinctæ ex alio titulo debitæ. *Fromageau.*

CASUS LXVIII. Marcellianus Canonicus & parochus in eccleſia Cathedrali juſſu Epiſcopi miſſam legit feria quinta in cœna Domini & Sabbato ſancto pro commoditate eorum, qui ſolemni miſſæ & ceremoniis uſitatis intereſſe non poſſunt. Licitene?

℟. Nullo Canone, nulloque juris textu expreſſe prohibetur, ne memoratis diebus aliæ miſſæ celebrentur præter ſolemnem in eadem eccleſia. Hinc bene egit Marcellianus, imo debuit obſequi Epiſcopo. Convenit tamen, ut dicta feria quinta miſſa privata legatur ante, & ſabbato ſancto poſt celebrationem Divinorum ſolemnium. *Fromageau.*

CASUS LXIX. Silverius ſacerdos in natali Domini in prima mediæ noctis miſſa purificationem ſumpſit; & tamen, ne ſcandalum præberet, reliquas duas miſſas celebravit. An non peccavit?

℟. Peccat quidem; cum tamen non ex præſumptione ſic egerit, pœnam Canonicam non incurrit. *De Lamet.*

Vide Caſ. 3.

CASUS LXX. Raymundus ſacerdos ſæcularis interdictus a ſuo Epiſcopo ingreditur ordinem regularem exemptum in eadem diœceſi. Poteſtne in Novitiatu miſſam celebrare?

℟. Non poteſt, niſi prius ab eodem Epiſcopo fuerit abſolutus. *Fromageau.*

Nota. Inſpicienda ſunt quoad hoc privilegia authentica Ordinis.

CASUS LXXI. Paulinus parochus cum adverteret, plures parochianorum ſuorum rariſſime diebus Dominicis ac feſtis ad divina parochialia comparere, graviter eos redarguit, & peccati mortalis infimulat; eo quod in re gravis momenti, plurimumque conducentis ad ſalutem animæ, agant contra diſciplinam conſtanter in Eccleſia obſervatam, imo & contra præceptum eccleſiaſticum. Daturne verum præceptum ſub peccato obligans parochianos ad audiendam miſſam parochialem diebus Dominicis ac feſtis in propria parochia?

B. Datur ſane præceptum, quod ex ſequentibus manifeſtum fiet. 1. Miſſa parochialis eſt fidelium ſub uno eodemque paſtore conventus, in quo conjunctis viribus publicæ ac communes preces fiunt, quibus haud dubie major vis ineſt ac privatis; in quo præſentes participes fiunt ſacrificii, quod pro ipſis offertur, vel ipſi per miniſterium ſacerdotis ſui offerunt; in quo denique, quidquid credendum, ſciendum & agendum, populus edocetur. De ejusmodi conventibus fidelium jam tempore Apoſtolorum fit mentio Act. 2. v. 42. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Hic fidelium conventus poſtea *Synaxis* dicebatur ſeu *congregatio ſolemnis*, *Conventus ſolemnis Eccleſiæ*, *fidelium legitimus ordinariusque conventus*, ut in Concilio Cartaginenſi IV. can. 88. & Agathenſi can. 14. Concilium Eliberitanum ſub initium ſæculi IV. celebratum pænam ſtatuit in eos, qui tribus Dominicis diebus a Miſſa parochiali abfuerint, dum Can. 21. ait: *Si quis in civitate poſitus tres Dominicas eccleſiam non acceſſerit, tanto tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur.* Idem conſtat ex Concilio Sardicenſi anno 347. habiti: *Oſius Epiſcopus dixit: Memini autem, ſuperiore Concilio fratres noſtros conſtituiſſe, ut, ſi quis laicus in ea, qua commoratur, civitate tres Dominicos dies, id eſt per tres ſeptimanas non celebraſſet conventum, communione privaretur. Univerſi dixerunt, placere ſibi.* 2. Concilium Baſileenſe ſæculo XV. inter alias Mendicantium propoſitiones referente Spondano ad annum 1443. n. 8. damnavit ut erroneam etiam hanc: *parochianos non teneri de jure Dominicis & ſolemnibus diebus miſſas in propriis eccleſiis parochialibus audire.* Et Sixtus IV. Cap. *Vices illius.* 2. Extrav. Comm. Lib. 1. Tit. 2. exorta inter quosdam parochos Germaniæ & Regulares controverſia 1478. præcepit Mendicantibus, ut *non prædicent, populos parochianos non teneri audire miſſam in eorum parochiis diebus feſtivis & Dominicis, cum jure cautum ſit, illis diebus parochianos teneri audire miſſam in eorum parochiali eccleſia, niſi forſan ex honeſta cauſa ab ipſa eccleſia ſe abſentarent.* 3. Concilium Tridentinum eandem obligationem diſſertiſſime inſinuat, dum Seſſ. 22. in Decreto de obſerv. & evit. in Celebrat. miſſ. ait. *Moneant.* (Epiſcopi) *eundem populum, ut frequenter ad ſuas parochias ſaltem diebus Dominicis & majoribus feſtis accedant... atque ad ea inviolate ſervanda cenſuris eccleſiaſticis aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant, non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac conſuetudinibus quibuscumque.* Et Seſſ. 24.

de

de Reform. c. 4. *Moneatque Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commode fieri poſſit, ad audiendum verbum Dei.* S. Carolus, qui mentem Concilii optime aſſecutus eſt, veroque zelo ad inculcanda ejusdem decreta ducebatur, L. 3. Act. Tit. de paroch. n. 43. Concil. Mediol. VI. declarat, id non novum præceptum eſſe, ſed antiquam Eccleſiæ diſciplinam, dum ait: *Canonum ratio & diſciplina eccleſiaſtica id maxime poſtulat, ut ad Eccleſiam parochialem fideles quam frequentiſſime conveniant, id quod ab Epiſcopis accurate eos moneri œcumenica Synodus Tridentina pie ſalutariterque decrevit.* Ex ejusmodi loquendi rationibus manifeſte colligi debet, frequentationem miſſæ parochialis non eſſe meri conſilii, ſed præcepti, ac ſtrictæ obligationis continua veteris Eccleſiæ traditione firmatæ. 4. Ipſa naturalis ac mutua correlatio paſtorem inter & oves, & ſtricta obligatio parochi erga parochianos ſubverſa jacet, niſi oves rigoroſo præcepto teneantur ſequi paſtorem. Obligatio parochi eſt, ut cognoſcat oves; huic autem obligationi ſatisfieri nequit, niſi reciproca quoad oves ipſas obligatio ponatur, ut nempe ſuo ſe ipſæ paſtori conjungant, & ſpirituale pabulum recepturæ ad ipſum accedant; quandoquidem is eſt, ut loquitur Tridentinum, *a quo ſolo licite Sacramenta ſuſcipiant.* Siqua autem dies eſt, qua fideles convenire debeant, ut neceſſaria ad ſalutem ſuam edoceantur, ea certe dies Dominica aut feſta eſt, prout ſancte ab Apoſtolicis ad hæc usque tempora cuſtoditum fuit. Declarat id luculenter ac diſtincte Filleſacius Lib. *de origine parœciarum.* c. 7. his verbis: *Tenentur itaque parœci ſuos parochianos inſtruere, quod nec melius nec fructuoſius, niſi diebus Dominicis & in miſſa parœciali fit. Tenentur ergo parœciani tunc temporis parœcum audire docentem & monentem. Quod ſi illi parœciali miſſæ adeſſe non teneantur, quæ ratio æqui & boni parœcos magis obligare poteſt, ut doceant ſuos. Itaque par ratio obligationis utrosque conſtringit, aut pari facilitate ab omni onere ſolventur.* 5. Obligationem audiendi miſſam parochialem etiam *gravem* eſſe, ex ſequentibus patebit. Fideles olim ne quidem permittebantur audire miſſam extra ſuam parochiam: presbyteri enim diebus Dominicis ac feſtis ante miſſam plebem interrogare jubebantur, an non adeſſet parochianus exterus, & ſi quis inventus fuerit, ex eccleſia eiiciebatur, & ad ſuam parochiam redire compellebatur. Innocentius IV. teſte Azorio Inſt. mor. Tom. 1. L. 13. c. 1. q. 1. Bullam edidit, qua Regularibus prohibuit, *ne conciones haberent ad populum in ſuis templis, donec omnia in ſingulis*

parochiis miſſarum ſacrificia facta eſſent. Joannes Epiſcopus Nannetenſis in ſuis ſtatutis Synodalibus anno 1383. prout Martene de ant. rit. eccleſ. Tom. 1. l. 1. c. 3. memorat, *Inhibemus*, inquit, *ſub pœna excommunicationis, ne ante magnas miſſas prædictas in dictis parochialibus eccleſiis celebratas, dictis diebus Dominicis aliquis presbyter in capellis vel eccleſiis veſtrarum parochiarum miſſas aliquas celebrare præſumat, propter quarum celebrationes retroactis temporibus parochiani ad ſuas eccleſias dictis diebus pro miſſis & præceptis audiendis accedere non curabant.* Concilium Senonenſe anno 1528. ſtatuit, ut, ſiquæ miſſæ privatæ dicendæ ſint diebus Dominicis aut feſtis, eæ primum finita miſſa parochiali, & poſt verbi prædicationem dicantur. Idem ſancit Concilium Colonienſe anno 1536. S. Carolus Act. Mediol. L. 4. de Miſſ. paroch. n. 7. præcipit: *Quod ſi die feſto etiam per iſtud miſſæ ſacrificium, quod in aurora fit, populus a parochiali miſſa avocetur, tunc Epiſcopus illud etiam feſto die poſt miſſam parochialem fieri jubeat.* Notandum vel maxime, quod Concilium Burdegalenſe primum anno 1624. celebratum art. 3. de Div. Offic. ordinavit. Sic ait: *Nullum autem Sacrum privatum durante ſolemni, publico, & parochiali fieri prohibentes, Patrumque ultimi Provincialis veſtigiis inhærentes decernimus vetus illud decretum... omnibus & ſingulis concionatoribus & confeſſariis præcipientes, ut inter concionandum, & audiendum confeſſiones, conſulendumque privatim exhortentur & moneant populum; miſſæ parochiali interſit devote ad verbum Dei & ad divina Officia audienda. Si quis autem concionator, confeſſarius, aut Theologiæ profeſſor eo temeritatis deveniſſe reperiatur, ut contra hoc decretum aliquid prædicare, conſulere, docere publice vel privatim auſus fuerit, eum ipſo facto ſuſpenſionem & interdictum incurrere decernimus, nulloque eum in loco provinciæ noſtræ, utpote contumacem & ſacris Canonibus adverſantem, ad functiones ſuas unquam admittendum eſſe mandamus; eoque fine Epiſcopus, in cujus diœceſi patrata fuerit hæc rebellio, hominem audacem ad Metropolitanum deferat, cæteros conprovinciales Epiſcopos certiores facturum, ne virum contumacem & ſacris Canonibus adverſarium uſpiam recipiant; ſed a ſe abiiciant, quo ſcilicet ſuo periculo diſcat eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordinem haudquaquam eſſe turbandum.* Denique plurima Concilia tam provincialia quam diœceſana Concilium Tridentinum antecedentia & ſubſequentia, plurima ſtatuta Synodalia & Ritualia in eos, qui abſque legitima excuſatione tribus Dominicis continuis a miſſa parochiali abfuerint, vel excommunicationem ſtatuunt, vel eam comminantur;

mantur ; vel generatim pœnas commeritas intentant, vel demum, licet determinatam pœnam expreſſis verbis non deſignent, ejusmodi tamen omiſſionem neceſſariam confeſſionis materiam eſſe pronunciant, confeſſariosque hortantur, ut ex pœnitentibus inquirant, an obligationi audiendi miſſam parochialem ſatisfecerint. Sunt antiqua ſtatuta Synodalia eccleſiæ Remenſis, ut refert Martene de ant. Eccl. rit. Tom. 1. c. 3. a. 9. pag. 332. quæ eos, qui ſolemnibus & Dominicis diebus a miſſa parochiali bis in anno abſunt, privant ingreſſu eccleſiæ & paſtorali ſepultura. Plures Synodi & Ritualia ſevere interdicunt Regularibus, ne tempore Divinorum parochialium ſolemnitates aut conventus Confraternitatum inſtituant ; imo in non nullis locis ne quidem miſſas privatas eo tempore legere, vel ſaltem ſigno campanæ quempiam eo vocare ipſis licet, ne populo occaſio præbeatur negligendi miſſam parochialem. Accedit, quod plures libri & propoſitiones hanc parochianorum obligationem impugnantes aut nimium extenuantes & laxantes fuerint ſolemniter proſcripti ac publice damnati. Nonne tanta Conciliorum ac Epiſcoporum ſollicitudo in ſtabilienda circa miſſam parochialem diſciplina, tam ſevera negligentium caſtigatio, tam frequens hujus obligationis inculcatio, & iterata ſæpius oppoſitæ doctrinæ condemnatio veram ac ſtrictam legem indigitant, & quidem ſub peccato gravi obligantem ? Poſſent adhuc enumerari bona quam plurima ac inſignia, quæ redundant in fideles ſedulo miſſam parochialem frequentantes, & ingentia ſalutis detrimenta, quæ ex ejusdem neglectu conſequuntur ; ut jam olim advertit Filleſacius de Orig. Parœciar. pag. 624. dum ait : *Cogitemus, obſecro, quæ tam multis vicinis regnis & provinciis ex neglectis ſacris illis ſolemnibus paſtorum legitimorum acciderunt ; dum populus ſpreto illo ſacro conventu paræciali in effrenem ruit licentiam ; ac quando ſibi pro arbitrio pietatem in dies ſingulos novam affingit, tandem ſpreto paſtoris ſtudio & cura & ſanctis monitis, aut adulterinam aliquam ſuſcepit & prurientem religionem, aut nullam omnino retinuit. Majores noſtri*, ſubjungit idem pag. 661. *huic diſciplinæ adhæſerunt ; quod eam tanquam catholicitatis, ſeu fidei catholicæ profeſſionis notam ſpectarent : ecquis enim neſcit, Chriſtianum aliquem, ſi vel Judæorum ſynagogas, vel hæreticorum conciliabula non ſemel, ſed multoties adeat, Judaiſmi aut hæreſeos impietate teneri.* Sed his omnibus ac pluribus aliis prætermiſſis id ſolum animadvertendum, quod ex adductis Conciliis, quæ primum poſt trinam omiſſionem miſſæ parochialis pœnam decernunt, erui non debeat, tunc

primum

primum peccari quoque : peccatur enim etiam per unicam omiſſionem, ſi abſque omni juſta ac legitima cauſa fiat ; & quidem pro ratione circumſtantiarum leviter vel graviter. Ex hiſce omnibus ſequitur evidenter, quod Paulinus parochianos ſuos quoad hoc negligentes juſtiſſime peccati arguerit. *Fromageau.*

NOTA. Si impune & abſque peccato a Divinis parochialibus diebus Dominicis ac feſtis abſque legitimo impedimento abeſſe licet, brevi una pars gregis poſt alteram dimiſſo paſtore & doctore a Deo conſtituto ſub variis vanis prætextibus dilabetur, & parochus cum eccleſia ſua ſedebit ſolitarius ; ſtudium ipſius ſenſim decreſcet, fervor frigeſcet, præparatio ad conciones & catecheſes tepeſcet, & omnis labor langueſcet, ſemper incertus, cui & quorum bono fiat. Erit demum non vivorum & vegetorum, ſed parochus languidorum, debilium, infirmorum ac mortuorum, quorum cadavera eccleſiæ parochiali traduntur, etſi vivos vix noviſſet. Fors & Clemens XIII. eo reſpexit, dum anno 1759. omnes totius orbis eccleſias parochiales ſpeciali gratia Altaris privilegiati quotidiani ad ſeptennium benigne decorare voluit. Breve deſuper conceſſum ſic incipit : *Ut erga parochiales eccleſias, quæ ob earum tum dignitatem tum antiquitatem magno ſemper in honore habitæ ſunt, Chriſti fidelium amor magis magisque augeatur, utque ſuam erga eas benevolentiam peculiarem demonſtraret SS. D. N. Clemens &c.* Vide Caſ. 53. & 72.

CASUS LXXII. Didacus Franciſcanus præſes conferentiarum pro materia hebdomadariæ conferentiæ diſcutiendam proponit hanc quæſtionem : *Peccantne fideles contra præceptum Eccleſiæ de audienda miſſa diebus Dominicis ac feſtis, ſi eam audiant extra ſuam parochiam in eccleſiis mendicantium ?* & tuetur negativam. Rationes ipſius præcipuæ ſunt 1. Quia non extat præceptum : Tridentinum enim ſolum dicit : *Moneant Epiſcopi populum, ut frequenter ad ſuas parochias ſaltem diebus Dominicis & majoribus feſtis accedant &c.* Et denuo : *Moneat Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commode fieri poſſit, ad audiendum verbum Dei.* Vere præcipiens non utitur hac loquendi formula, non *monet*, ſed *mandat* ; nec impletionem præcepti *commoditati* ſubditorum relinquit. Ad hæc ſolummodo dicit, *ad audiendum Verbum Dei* quemvis teneri, non *ad audiendam miſſam.* 2. Plures Pontifices, ut Leo X. anno 1517. Pius V. 1567. Clemens VIII. 1592. & Urbanus VIII. 1625. declararunt, fideles ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audienda miſſa, ſi eam audiant in eccleſiis Mendicantium. Suntne ſolida hæc argumenta ?

℟. Omni prorſus ſoliditate carent. Nam *quoad* 1. dum Concilium dicit, *Moneant*, non immorandum cortici hujus

vocis, ſed inſpicienda res, de qua fideles monitos vult; & hæc eſt res veræ obligationis, verique debiti, cui ut fideles ſatisfaciant, ab Epiſcopis monendos præcipit Concilium; quam mentem ſuam ſufficienter exprimit, dum dicit: *Moneat Epiſcopus, teneri unumquemque &c.* Uſa eſt ſacra Synodus hoc termino, *Moneant* & *Moneat*, eoquod manifeſtum eſſe voluerit, non novam ſe legem condere, ſed ſolum urgere antiquam a Conciliis ac ſummis Pontificibus inſtitutam, omniumque ſæculorum uſu ab ipſis Eccleſiæ incunabulis confirmatam: voluit tantum hujus legis praxin commendare, & Epiſcopos cohortari, ut ejuſdem obſervantiæ ſedulo ac diligenter invigilent. Et quis credat, Concilium mandaſſe Epiſcopis, ut moneant fideles de re prorſus indifferente, quæ ex eorum penderet arbitrio, & ſive fiat ſive non fiat, perinde eſſet? Quis veroſimile exiſtimet, Concilium voluiſſe, ut Epiſcopi ad rem meri conſilii *populum fidelem cenſuris eccleſiaſticis aliiſque pœnis compellant?* Ubi nulla præcepti transgreſſio, ibi pœna locum habere non poteſt. Neque ex hoc rigor præcepti labefactatur, quod Concilium hanc conditionem apponat: *ubi id commode fieri poſſit.* Nequaquam per hanc loquendi formulam Concilium innuere voluit, quod parochiani diebus Dominicis ac feſtis in quavis alia eccleſia extra ſuam parochiam miſſam audire poſſint, ſi id ipſis commodius fuerit; ſed ſenſus hujus adverbii *commode* hic eſt: ſi legitimum impedimentum non obſtet, ſi juſta excuſatio non ſuppetat, ſi id ſine notabili detrimento, aut ſine periculo incurrendi ejuſmodi detrimentum, vel ſine gravi diſpendio negotiorum aut officiorum charitatis indigenti proximo exhibendorum fieri poſſit. Sic mentem Tridentini explicant ſaniores Theologi, Ritualia diœceſana, Concilia tum provincialia tum diœceſana, & varia ſtatuta Synodalia. Denique dum Concilium ait, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe *ad audiendum Verbum Dei*, neutiquam excludit ſacrificium miſſæ parochialis, quam ſemper conſiderat per modum unius concreti ex ſacrificio & annunciatione Verbi divini, quod *inter* miſſarum ſolemnia populo annunciari præcipit. Seſſ. 22. c. 8. ait: *Mandat S. Synodus paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter miſſarum celebrationem vel per ſe vel per alios ex iis, quæ in miſſa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera ſanctiſſimi hujus ſacrificii myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis & feſtis.* Et Seſſ. 24. c. 7. de Reform. præcipit parochis, *ut inter miſſarum ſolemnia aut Divinorum celebrationem ſacra eloquia, & ſalutis monita vernacula lingua*

ſingu-

ſingulis diebus feſtis vel ſolemnibus explanent. Ridiculum foret utique, ſi Tridentinum obligaret populum ad audiendum verbum Dei, partem Divinorum parochialium intermediam, & eximeret a miſſa parochiali, parte ſcilicet antecedente & ſubſequente. Et hæc vetus Eccleſiæ diſciplina eſt, ut concio haberetur poſt Evangelium, finitaque concione miſſa continuaretur. S. Carolus quoque, qui mentem Concilii certe noverat quam perfectiſſime, hæc duo nunquam ſejunxit, miſſam ſcilicet, & prædicationem Verbi divini. Sic & Concilia Tridentinum antecedentia & ſubſequentia ſub appellatione miſſæ parochialis ſemper comprehendunt etiam concionem aut catecheſin. *Quoad* 2. facilis eſt reſponſio. Bullas Pontificum Leonis X. & Pii V. revocavit Gregorius XIII. alia Bulla, quam refert Navarrus Manual. c. 27. adeoque nulla amplius earumdem habetur ratio. Bulla Clementis VIII. nihil evincit adverſus obligationem audiendi miſſam parochialem: imo cum Pontifex ea tantum conditione Regularibus privilegium induiſerit, ut paſſim fideles ad parochialem miſſam audiendam excitent & cohortentur, non eſt veroſimile, eum declaraſſe, quod fideles huic obligationi ſatisfaciant, ſi diebus feſtis ac Dominicis miſſam audiant extra ſuam parochiam. Loquitur ergo Pontifex de peculiaribus tantum miſſis, quas præfatis diebus apud Regulares audire licet, quin aliam ſpecialem obligationem abolere intenderit, qua fideles miſſæ parochiali aſſiſtere tenentur. Et in hoc ſenſu Bulla explicanda eſt, ne Pontifex ſibi contradixiſſe, aut quidpiam ſtatuiſſe videatur, quod evidenter univerſali Concilio Tridentino adverſetur. Bulla Urbani VIII. ne quidem reperitur in Bullario; & hinc ſuppoſititia cenſetur. *Fromageau.*

Nota. Neſcio, qua veritatis ſpecie Lucius Ferraris Franciſcanus in Biblioth. Canon. V. *Miſſæ Sacrificium.* art. 16. adducat declarationem S. Congregationis Conc. Trid. quæ eſt; *non poſſe Ordinarium mulctis & pœnis cogere populum ad audiendam miſſam aut concionem in propria parochia, etiam in caſu negligentiæ aut contumaciæ.* Prorſus afficta eſſe videtur hæc propoſitio Sacræ Congregationi, cujus eſt interpretari, & non ſubvertere conſtitutiones Concilii. Indubitatum autem eſt, quod S. Facultas Theologica Pariſienſis 3. Feb. 1665. ut *falſam & decreto Concilii Tridentini contrariam* damnaverit ſequentem propoſitionem: *Populus Chriſtianus vi Tridentini Concilii cogi non poteſt per cenſuram & pœnam eccleſiaſticam, ut Dominicis diebus miſſam parochialem audiat.* Clerus etiam Gallicanus in generali conventu anni 1700. ſequentes propoſitiones cenſura perſtrinxit. 1. *Nullus in foro conſcientiæ parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad audiendum verbum Dei, Divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catecheſibus annunciantur & docentur.* 2. *Talem legem in hac materia nec Epiſcopi, nec Concilia provinciarum,*

nec

næ nationum ſancire , nec delinquentes aliquibus pœnis aut eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt, 3. *Plebs virtute Concilii Tridentini cogi non poteſt cenſuris , & pœnis eccleſiaſticis , ut eat ad ſuam parochiam ad audiendam miſſam (parochialem ſcilicet.)* Cenſura harum propoſitionum eſt hæc : *Harum propoſitionum doctrina falſa eſt , temeraria , ſcandaloſa , jam a Clero Gallicano graviter condemnata , ſacris Canonibus , Concilio Tridentino & Apoſtolicæ traditioni contraria , dicente Apoſtolo Heb.* 10. *v.* 25. *Non deſerentes collectionem noſtram , ſicut conſuetudinis eſt quibusdam.* Dictis hactenus ſolum addere lubet ex Alexandro Natali Theol. Dogm. L. 2. c. 6. art. 5. Reg. 10. ..ca , quæ ſtatuta Synodalia Eccleſiæ Rothomagenſis de anno 1344. hac ſuper re decernunt, ſcilicet , *Parochianus exiſtens in parochia , ſi tribus diebus Dominicis continuis ad miſſam non venerit, excommunicetur , & ſic frequenter in eccleſiis publicetur. Item inquirat ſpecialiter a pœnitentibus parochianis , ſi venerint diebus Dominicis & feſtivis ad ſuam matrem eccleſiam parochialem, cum ad hoc teneantur tam de jure divino quam humano , tam naturali quam poſitivo : & quod non ſint deterioris devotionis , quam Judæi & Saraceni , qui in ſuis ſolemnitatibus Sabbatinis in ſuis conveniunt Synagogis. Quod ſi non venerint, prout tenentur , ipſam taliter in proſperitate contemnendo , debent merito formidare , ne ipſa ſua parochialis eccleſia ipſos , vel ſuos liberos deſpiciat in adverſitate , utpote in ſuis infirmitatibus , vel in morte.* Vide Caſ. 53. & 71.

CASUS LXXIII. Fures omnes veſtes ſacerdotales ex Sacriſtia abſtulerunt præter unicam caſulam nigri coloris & pertinentia ad eam. Poteſtne , aut etiam tenetur parochus die feſto celebrare hac caſula nigra indutus , ut parochiani poſſint audire Sacrum ?

℟. Monito prius populo de eo , quod contigit , & in caſu , quo veſtes proportionatæ feſto aliunde aſportari facile haud poſſint , poteſt parochus nigris paramentis uſus celebrare , quin vel minimum peccet : Rubricæ enim varios colores præſcribentes pro varietate temporum ac feſtorum potiori ex parte ſunt ſolum directivæ; licet peccaret , ſi quis ſine rationabili cauſa iiſdem ſeſe non conformaret. Imo, cum in hoc caſu ex parte parochianorum adhuc ſubſiſtat præceptum audiendi miſſam , parochus etiam tenetur celebrare , ut ii poſſint ſatisfacere præcepto. C. B. Vide Caſ. 7.

CASUS LXXIV. Titius ante mortem fundavit miſſam *de Requiem* in die anniverſario obitus ſui quotannis celebrandam. Cum autem in diem illum aliquando incidiſſet feſtum ſub ritu duplici primæ claſſis , parochus eam miſſam tranſtulit in diem ſequentem , quo agebatur feſtum ſub ritu duplici minori. Licitene ?

℟. Male fecit parochus : ut enim celebrari poſſint miſſæ *de Requiem* occurrente feſto duplici ſive majori ſive minori , requiritur juxta decreta S. Congregationis Rituum 22. Nov.

1668.

1668. & 25. Sept. 1669. ut ejusmodi miſſa expreſſe ſit præſcripta a teſtatore, & dies, qua miſſa celebratur, ſit vere dies obitus. Cum autem dies, in quam parochus miſſam transtulit, non fuerit dies obitus, peccavit contra Rubricas celebrando miſſam de Requiem in die feſto ſub ritu duplici. Debuiſſet itaqne hanc miſſam differre ad diem, in quam non incideret feſtum duplex. C. B.

Nota. Hac ſcrupuloſitate jam opus haud eſt, cum per decreta recentiora etiam in feſto duplici liceat anniverſaria pro defunctis celebrare in paramentis nigri coloris, ſaltem miſſa de Requiem ſolemni & cantata.

CASUS LXXV. Lucius die feſto Sacro aſſiſtens voluntarie immoratur impuris cogitationibus. Satisfacitne præcepto?

℞. Si cogitationes impuras deliberate fovet per notabile miſſæ tempus, non ſatisfit præcepto de audienda miſſa. Si autem per modicum tantum tempus eiſdem deliberate inhæreat, peccat quidem graviter in genere luxuriæ, non tamen videtur graviter peccare contra præceptum audiendi devote Sacrum. In confeſſione harum cogitationum non eſt neceſſario exponenda circumſtantia miſſæ, niſi iiſdem inhæſerit ex formali contemptu Sacrificii miſſæ. C. B.

Nota. Circumſtantia miſſæ, quæ eſt actus religionis die feſto ex præcepto Deo exhibendus, ſaltem referenda eſt inter circumſtantias notabiliter aggravantes peccatum laſcivarum cogitationum, & eo ipſo in confeſſione exponenda. Vide Caſ. 54. & 88.

CASUS LXXVI. Bertha die feſto ſub miſſa confitetur, nec poteſt audire aliam. An adimplet præceptum Eccleſiæ de audienda miſſa?

℞. Non adimplet. Ratio eſt; quia, licet confitens ſit præſens corpore, imo & mente, dum ſcilicet habet intentionem audiendi hanc determinate miſſam, cum tamen Eccleſia præcipiat attentam miſſæ auditionem inter preces vel meditationem, & hæc peculiaris attentio a confitente haberi non poſſit, qui unice curat, ut peccata ſua rite exponat, & opportuna confeſſarii conſilia excipiat, dici non poteſt, quod miſſæ inſtar orantis aſſiſtat. Vel poteſt diſtingui: aut enim curta eſt ipſius confeſſio vel admodum prolixa: ſi ſecundum, adeo ut ſacerdos durante confeſſione notabilem miſſæ partem abſolverit, non ſatisfit præcepto Eccleſiæ; cum pœnitens totus ſit in exponendis peccatis, & excipiendis confeſſarii admonitionibus, quæ mentem abſtrahunt ab iis,

quæ

quæ in Sacrificio fiunt. Si primum, & pars miſſæ, a qua avocatur attentio per confeſſionem, non ſit de ſubſtantia Sacrificii, ut ſunt oblatio, conſecratio & ſumptio, ſatisfacit præcepto, quod recipit parvitatem materiæ. Si autem per confeſſionem etiam breviſſimam inſumeretur pars ſubſtantialis ac aſſentialis Sacrificii, non ſatisfieret præcepto Eccleſiæ; quia, licet iſtæ partes modicæ ſint quoad durationem, maximæ tamen cenſentur, utpote pertinentes ad eſſentiam Sacrificii. C. B.

Nota. Penſandæ ſunt in ejuſmodi caſu circumſtantiæ. Sic v. g. famulus vel ancilla, quibus ob multa vocationis ſuæ negotia vix unicæ miſſæ intereſſe licet, & confeſſionem ac communionem ad profectum ſuum ſpiritualem neceſſariam ducerent, eaque Sacramenta nec ante nec poſt miſſam cum debita devotione percipere poſſent, non cenſentur transgredi præceptum Eccleſiæ, ſi ſub miſſa confiteantur. Vide Caſ. 48.

CASUS LXXVII. Duo ruſtici ſub miſſa per notabile tempus, interpolatum tamen, de negotiis ſuis domeſticis conferunt. An ſatisfaciunt præcepto?

℟. Non ſatisfaciunt: ejusmodi enim collationes non compatiuntur, imo poſitive excludunt attentionem neceſſario requiſitam ad hoc, ut quis devote interſit miſſæ, & ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ. Sic & ille non ſatisfaceret, qui iteratis vicibus diſcederet a miſſa, & denuo rediret. C. B.

CASUS LXXVIII. Apollonius interdictus ab ingreſſu eccleſiæ propter transgreſſionem præcepti eccleſiaſtici de communione paſchali frequenter audit miſſam in Oratorio privato. Poteſtne hoc fieri ſine peccato & violatione interdicti?

℟. Nec peccat Apollonius, nec violat interdictum; ſiquidem, quando Eccleſia interdicto percutit eos, qui ſæpius moniti præceptum de communione paſchali adimplere neglexerunt, eosdem quidem privat omni participatione ſacrorum myſteriorum, quæ in eccleſia celebrantur, non tamen ipſis interdicit preces aut alia Religionis exercitia, quæ extra eccleſiam obire poſſunt; adeoque cum ſub nomine Eccleſiæ, maxime in odioſis, juxta regulam juris 15. & 49. in 6. non comprehendatur capella, ſacellum aut Oratorium privatum, concludendum eſt, hominem interdicto ſubjacentem poſſe intereſſe Sacro, Sacramentaque Pœnitentiæ & Euchariſtiæ obire in ſacello privato, quin peccet aut interdictum violet. C. B.

CASUS LXXIX Lucius audita una miſſa in Natali Domini ad aliam eodem adhuc die audiendam haud obligari ſe exiſtimat. Num bene ?

℞. Re ipſa non tenetur ſub peccato plures miſſas audire: licet enim ad magis fovendam fidelium devotionem in die, quo memoria recolitur ſingularis myſterii nati Dei, introducta ſit conſuetudo legendi & audiendi tres miſſas, nullum tamen præceptum ex hac conſuetudine firmatum eſt. C. B.

CASUS LXXX. Valerius die feſto Patroni eccleſiæ ſummo mane ex pago ſuo abiit, & perrexit in alium locum, ubi idem feſtum agebatur. Teneturne audire Sacrum ?

℞. Tenetur abſque omni dubio, niſi jam miſſam audierit ante abitum ſuum; fundaturque hæc obligatio in communi conſuetudine ac praxi univerſaliter recepta unanimi omnium fidelium conſenſu. C. B.

CASUS LXXXI. Coriolanus civis Bononienſis in die feſto urgentium negotiorum cauſa ſummo mane proficiſcitur Mutinam, ubi feſtum non agebatur. Teneturne audire Sacrum ? & ubi ?

℞. Nullibi tenetur; quia præceptum audiendi miſſam die feſto, utpote affirmativum, obligat quidem toto illo tempore, quod concluditur ab aurora ad meridiem usque, ſed non obligat pro aliqua determinata dicti temporis hora. Coriolanus igitur, antequam iter aggrederetur, non tenebatur implere præceptum, ſed poterat differre usque ad meridiem. Si igitur circa hanc horam jam creditur eſſe extra territorium, a quo liberum illi erat egredi, in ipſo Sacrum audire non tenebatur. Sed neque tenetur extra territorium; quia ibi feſtum non agebatur, & ſic non urgebat præceptum audiendi miſſam, quippe quod locum afficit, non perſonas Limitant tamen quidam hanc ſententiam alioquin communem, & dicunt, non dari obligationem audiendi miſſam, ſi iter faciens circa meridiem jam ſit extra territorium ſuum, vel ſi cauſa egrediendi ſit legitima & abſit fraus, vel denique ſi nullum adſit periculum ſcandali. C. B.

Nota. Ex hac reſponſione manifeſte deducitur, Coriolanum, etſi facile poſſit ante abitum ſuum miſſam audire, & prævideat, ſe aliam audire haud poſſe, non teneri eam audire; quia non exſtat præceptum hanc præciſe miſſam & hoc determinato tempore audiendi. Sed ſanioris Theologiæ principiis imbutus aſpernatur hunc luſum circa præcepta eccleſiaſtica. Dicendum ergo, Coriolanum obligari ad audiendam miſſam vel in loco, quo egreditur, vel in quem tendit, quacumque demum hora ea legatur, ſi id ſine notabili diſpendio negotiorum ſuorum fieri poſſit. Neque id verum eſt, quod præceptum audiendi miſſam in hoc caſu locum affici-

at

at & non perſonas; eſt enim præceptum mixtum ex locali ac perſonali.

CASUS LXXXII. Athanaſius parochus advertit, plures miſſam audire, conſiſtentes ante januam vel feneſtras eccleſiæ; licet commode ingredi poſſent eccleſiam. Peccatne, ſi eos ingredi non jubeat?

℟. Non peccat: ſatisfaciunt enim præcepto; quia non cenſentur remoti ab eccleſia, etſi non ſint ſtricte in eccleſia. Aliud foret, ſi objectum quoddam intermedium eos ſejungeret ab eccleſia. C. B.

CASUS LXXXIII. Domum Balthaſari anguſta ſolum platea ſejungit ab eccleſia, ita ut hic ex feneſtra domus ſuæ & ſacerdotem ad aram conſiſtentem, & omnia, quæ in miſſa aguntur, commode obſervare poſſit. Satisfacitne præcepto Balthaſar, ſi ex feneſtra domus ſuæ miſſam audiat?

℟. Non ſatisfacit; quia, cum Balthaſar conſiſtit ad feneſtram domus ſuæ, nec phyſice nec moraliter miſſæ aſſiſtere cenſetur, niſi multitudo populi ſit tanta, ut ab eccleſia usque ad domum Balthaſari pertingat. Hinc Balthaſar, etſi exacte videat ac audiat ſacerdotem ad aram operantem, cum tamen non ſit in eccleſia, nec pars populi Sacrificio aſſiſtentis, male exiſtimat, ſatisfacere ſe præcepto miſſam audiendi. C. B.

CASUS LXXXIV. Staphilus famulus domeſticus cujusdam agricolæ diebus feſtis raro audit miſſam; eoquod plerumque durantibus Divinis parochialibus ab hero ſuo jubeatur invigilare domui aut armentis. Sufficitne hæc excuſatio?

℟. Sufficit; cuſtodia enim domus & armentorum neceſſaria eſt, & non obligatur ille ex univerſaliter recepta & uſitata praxi audire Sacrum diebus Dominicis ac feſtis, cui id muneris commiſſum eſt, propter moralem impoſſibilitatem implendi præceptum. C B.

CASUS LXXXV. Euphroſina mater, cum non haberet, cui filioli ſui bimuli curam committeret, eum diebus feſtis ſecum defert ad miſſam, cum autem frequenter ploratum ederet & matrem turbat, & alios præſentes una cum celebrante. An mater, ſi cum filiolo domi maneret, non peccaret omittendo Sacrum?

℟. Non ſolum non peccaret, ſed melius faceret, ſi omiſſo Sacro etiam diebus feſtis puerulum ſecum domi retineret; vel quia reverentiæ loco ſacro & tremendo Sacrificio debitæ adverſatur ploratus infantium, vel quia non datur obligatio etiam diebus feſtis audiendi miſſam, ſi id ſine gravi tum proprio tum aliorum incommodo fieri non poteſt. C. B.

CASUS. LXXXVI. Julia vidua ex fornicatione gravida, ne turgeſcente ventre proſtitueretur, & crimen ſuum patefaceret, domi ſe occultat, & nec diebus feſtis egreditur ad audiendam miſſam. An non peccat?

℞. Non peccat, ſi ſine proſtitutione propria miſſæ intereſſe, aut eam audire non poſſit primo mane vel in Oratorio remoto: præcepta enim eccleſiaſtica non obligant, quando iis ſatisfieri non poteſt niſi cum gravi aut vitæ aut honoris diſpendio. C. B.

CASUS LXXXVII. Clotildes in confeſſione ſe accuſat, quod per integrum jam annum nec jejunaverit, nec diebus feſtis miſſam audierit ex hoc unico motivo, ut obediret marito id præcipienti, & duriſſima quæque, ni pareret, comminanti. Poteſtne excuſari a peccato?

℞. Si maritus præciſe ideo jejunium interdicit uxori, ut habeat eam in cœna ſociam, & ex zelotypia domo egredi non permittit ad audiendam miſſam, Clotildes non peccavit; quia leges humanæ non obligant, ſi iisdem ſatisfieri non poteſt ſine gravibus malis, qualia erant, quæ in hoc caſu maritus uxori comminabatur. Si vero Clotildes ſcit, id maritum tantum prohibere ex formali contemptu Religionis ac præceptorum Eccleſiæ; tunc, cum hoc ſit intrinſece malum, tenetur uxor potius mortem & duriſſima quæque ſuſtinere, quam obtemperare marito. In hac ergo ſecunda ſuppoſitione Clotildes a peccato excuſari non poſſet. C. B.

CASUS LXXXVIII. Roſa fere toto miſſæ tempore in die feſto voluntarie de negotiis ſuis domeſticis cogitat. An ſatisfacit præcepto?

℞. Probabilius non ſatisfacit. Ratio eſt; quia Eccleſia directe præcipit auditionem miſſæ ut actum Religionis ac latriæ Deo exhibendum; Deo autem hic cultus non exhibetur per præſentiam ſolum corporalem, mente hinc inde circa profana oberrante, & quidem voluntarie. C. B.

Nota. Clerus Gallicanus anno 1700. hanc propoſitionem: Præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro ſatisfit per reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntarie in aliena imo & prava cogitatione defixo, temerariam, ſcandaloſam, impietati faventem, & præcepto Eccleſiæ illudentem judicavit & declaravit. Vide Caſ. 54. & 75.

Vide *Calix. Conſecratio. Corporale. Ornamenta eccleſiæ.*

MISSI-

MISSIONARII S. LAZARI.

Presbyteri *Miſſionarii S. Lazari* Congregationem efficiunt a S. Vincentio de Paulo anno 1626. inſtitutam. Primum eorum ac præcipuum munus eſt, docere populos ruri aut in civitatibus minoribus ſede Epiſcopali carentibus degentes, ac eorum ſalutem promovere miſſionibus de authoritate Epiſcoporum & cum conſenſu parochorum obeundis. Alterum eorum munus eſt, Clericorum in pietate ac ſtudiis ſtatui congruis profectum juvare, eundemque promovere per Seminaria hunc in finem erecta, exercitia Ordinandorum, conferentias eccleſiaſticas, ac receſſus ſpirituales, ad quos etiam laici cujusvis conditionis admittuntur. Primaria hujus Congregationis ſedes eſt domus S. Lazari Pariſiis; unde & *Lazariſtæ* dicti ſunt. In hac eadem domo recipiuntur ii, qui de gremio eſſe cupiunt, vocanturque *Seminariſtæ*, donec elapſo integro biennio vota emiſerint, in quibus Generalis diſpenſare poteſt. Congregatio iſthæc complectitur ſeptem provincias, quæ ſunt Inſulæ Franciæ, Campaniæ, Pictaviæ; Aquitaniæ, Lugduni, Italiæ & Poloniæ. Et in his provinciis numerantur domus circiter viginti quatuor.

Nota. Sereniſſimus Princeps ac Elector palatino-Bavarus Miſſionarios iſtos primum anno 1781. in Palatinatum recepit.

CASUS. Camillus miſſionarius S. Lazari vel ob contractam ægritudinem, vel ob indigentiam fratrum aut ſororum ſuarum, quibus ſuccurrendum, vel ob oblatam ſibi parochiam dimiſſionem quærit. Hinc tempore Jubilæi a confeſſario vel Epiſcopo diſſolutionem votorum ſuorum, utpote tantum ſimplicium petit. Poteſtne confeſſarius vel Epiſcopus tempore Jubilæi ob allatas rationes ejusdem vota diſſolvere?

℟. Nec confeſſarius, imo nec Epiſcopus poteſt circa hæc vota diſpenſare etiam tempore jubilæi; quia Papa poteſtatem in iis diſpenſandi aut ſibi aut Superiori Congregationis generali reſervavit. Cauſæ allegatæ nec ſeorſim nec conjunctim ſpectatæ ſufficiunt ad hoc, ut poſſit Camillus tuta conſcientia ex Congregatione, in qua poſt biennium probationis vota emiſit, diſcedere, excepto ſolo caſu, quo patri aut matri vere indigentibus, nec aliunde opem obtenturis neceſſario ſubveniendum foret. *Fromageau.*

MOLENDINUM.

1. Multiplex *molendinorum* genus eſt; in hoc tamen articulo non niſi de molendinis ad molendum frumentum deſtinatis ſermo erit, quorum alia ſunt *aquaria*, quæ aquarum vi circumaguntur, & alia *pnevmatica*, quæ vi ventorum verſantur.

2. Non licet conſtruere molendina ad fluvios aut amnes navigabiles, niſi Princeps, ad quem jure proprio ſupremum illorum dominium pertinet, expreſſe conceſſerit, idque in publicum detrimentum nullatenus vergat. Licet autem etiam privatis ædificare molendina ad amnes neo ſpatioſos nec navigabiles; dummodo exſtruantur in loco, ubi quis dominium proprietatis habet, & extra limites prædii clientelaris, cui molendini bannalis jus annexum eſt, neque etiam vicinorum fundis notabile damnum inferant.

3. Molendina tam aquaria quam pnevmatica quandoque inter bona immobilia, & non nunquam inter mobilia referuntur; & hinc variæ locorum conſuetudini quoad hoc inſiſtendum eſt.

4. Molendina ſunt aut publica aut privata. Molendina publica vocantur *bannaria*. In jure Romano tam veteri quam recentiori nec verbulum de jure *bannario*, quibusdam hodie moletrinis, furnis ac torculis annexo, occurrit.

5. Origo juris bannarii ſæculo decimo antiquior haud eſt; ac vi & iniqua occupatione dominorum, ſummaque ſubditorum ac vaſallorum inopia, quibus molendinorum exſtruendorum aut facultas aut animus deerat, inductum eſt.

CASUS I. Julius dominus territorialis trium parœciarum plura habet molendina, eaque conſtructa ad amnem quemdam prædia ſua irrigantem, & ex arcis *quadratis* a tempore jam immemoriali conſtantia. Parochus obligare vult eum, ut arcis rotundis ea inſtruat; eo quod molitoribus omnes farinæ per angulos quadratos diſſipatæ accreſcant in damnum privatorum, qui frumentum ſuum ad dicta molendina molendum deportare tenentur. Accedit, quod eapropter majori pretio molendina hæc Julius elocet. Julius vero ſe fundat in poſſeſſione immemoriali; ac inſuper in eo, quod in arcis quadratis juris molituræ loco minus præſtari ſoleat, ac in arcis rotundis; ac denique, quod privati ad molendina hæc accedentes id perbene norint, & tamen nullam querelam moveant. Quid juris hac in re?

R.

℞. S. Beuve tom. 3. caſ. 211. reſpondet, quod Julius, ſi in ejusmodi regione degat, ubi vi conſuetudinis molendina ſunt, & poſſunt eſſe inſtructa arcis quadratis, non ſit obligandus, ut molendina ſua in novam formam reducat, ac arcis rotundis inſtruat; ſaltem niſi obſtet lex aut edictum Principis legitime promulgatum, quod ejusmodi immutationem fieri præcipiat. *Pontas.*

CASUS II. Periander dominus cujusdam prædii molendinum habet, cui annexum eſt jus banni, vi cujus vaſalli frumenta ſua illuc molenda deportare, & decimam ſextam farinæ partem ſolvere tenentur. Aequumne eſt jus iſtud? An vaſalli frumenta ſua ad alia molendina deportantes, ut ibi molantur, pœnæ ſubilci poſſunt?

℞. Jus, quo Periander gaudet, æquum eſt, ſi præter poſſeſſionem legitimo innititur titulo, id eſt, contractui cum communitate vaſallorum libere ac voluntarie inito. Sique hoc jus Periandri eſt legitimum, ut ſupponitur, non licet vaſallis & ſubditis adire alia molendina ad molendum frumentum, quin ad compenſandum molitori inde emergens damnum teneantur, ni legitima ipſis ſuppetat excuſatio; qualis v. g. eſſe poſſet 1. nimia diſtantia domuum ſuarum a molendino Periandri. 2. Si molendina ſint defectuoſa, aut detritæ nimio uſu molæ, ita ut absque damno adiri non poſſint. 3. Si copia frumenti tanta ſit, ut intra ſpatium viginti quatuor horarum frumentum moli non poſſit. 4. Quando ſubditus frumentum extra limites prædii dominialis emptum cum commodo notabiliter majore alibi molendum curavit. Pœnas quod attinet, quæ adverſus fraudantes jus bannarium decernuntur, eæ ſtatuendæ ſunt & commenſurandæ pro conſuetudine locorum. *Pontas.*

CASUS III. Valentinus jurisdictione gaudens territoriali, qui poſſidet molendinum cum jure bannario, petit ab incolis trium pagorum, ut frumenta ſua in ejus molendinum deportent molenda; quod tamen incolæ recuſant, his rationibus adducti: 1. Quia a longo jam tempore fuerunt in poſſeſſione juris eligendi molendinum pro ſuo arbitrio. 2. Quia viæ, quæ ad molendinum Valentini ducunt, nimis aſperæ ſunt ac difficiles, præſertim tempore hyemali ac tempeſtate pluvia. An Valentinus jus habet eos ad hoc compellendi?

℞. Si major pars incolarum agnoſcit & acceptat jus moletrinæ bannalis, omnes eidem ſeſe ſubmittere tenentur; ſaltem niſi certa exemptionis ſuæ habeant argumenta. Valentini autem eſt curare, ut viæ reficiantur. *Pontas.*

CASUS IV. Georgius dives admodum agricola propria privataque authoritate molendinum ædificare cogitat ad quemdam amnem, cujus ripas ex utraque parte contingunt ducenta fundi arabilis jugera ad ipſum ſpectantia. An ipſi obſtaculum poni poteſt ſine injuſtitia, amne terras ipſius irrigante & contingente ?

R. Si amnis iſte eſt navigabilis, Georgio non competit jus ædificandi molendinum, niſi obtenta ab ipſo Principe ad id copia. Quodſi etiam Princeps id permiſerit, ea amni latitudo conſervanda eſt, ut expeditæ navigationis curſus nec minimum impediatur. Si amnis non eſt navigabilis, poteſt Georgius conſtruere molendinum, ſed cum conſenſu domini, intra cujus jurisdictionem decurrit amnis. Denique ſi prædicti agri dependerent a feudo, quod Georgius poſſidet, poſſet molendinum exſtrui, etſi dominus jurisdictionem exercens gauderet jure molendini bannario. *Pontas.*

MONASTERIUM.

1. *Monaſterium* dicitur domus, ubi perſonæ Religioſæ congregatæ vivunt ſub una eademque regula ab Eccleſia aut ſummo Pontifice approbata.

2. Monaſteria erigi cœperunt in Occidente mox, dum D. Athanaſius Romæ publicaverat hiſtoriam vitæ S. Antonii, quam conſcripſerat. Eo tempore tot fere erant Regulæ, quot monaſteria, donec Ludovicus Pius per Concilium Aquisgranenſe conſtituerit, ut in omnibus regni ſui provinciis pro monachis ſola admitteretur regula S. Benedicti. Verum poſt illud tempus tot excreverunt Ordines, ut Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. novos inſtitui prohibuerit.

3. Periculoſa ac ſcandaloſa conſuetudo, quæ olim viguit, erigendi duplicia monaſteria contigua, in quibus promiſcui ſexus perſonæ degebant, contra expreſſam prohibitionem Novellæ 123. Cap. 36. & Concilii Agathenſis habiti anno 506. Can. *Monaſteria.* 23. Cauſ. 18. q. 2. penitus abolita eſt a Concilio Nicæno II. generali ſeptimo, habito anno 787. Canone 20. ubi dicitur : *Ex hoc definimus, minime duplex fieri monaſterium; quia ſcandalum id & offendiculum multis efficitur. Si vero aliqui cum cognatis abrenunciare, & vitam monaſticam ſectari voluerint, debent quidem viri virorum adire cœnobium, fœminæ vero mulierum ingredi monaſterium*

CA-

CASUS I. Atrium cujuſdam monaſterii Religioſorum ab Epiſcopi jurisdictione exempti incolunt quidam ſæculares, eccleſiaſtici & laici, qui & ipſi jure exemptionis uti ſe poſſe exiſtimantes parochum loci non agnoſcunt pro ſuo, & quidem authoritate Superioris regularis ſuffulti, qui non admittit parochum ad miniſtranda ipſis Sacramenta, utpote domeſticis & monaſterio inſervientibus, ac conſequenter in exemptione comprehenſis. Juſtane hæc prætenſio?

℞. Omnes dictæ perſonæ ſunt veri parochiani, & injuſte ſe ſubtrahunt juribus parochi. Ratio eſt; quia ita usque moris eſt, ut tales perſonæ Sacramenta recipiant a loci parocho; neque confeſſarii hujus monaſterii habent poteſtatem excipiendi confeſſiones ſæcularium ſine expreſſa licentia Epiſcopi, ut habetur in Bulla Clementis V. Clem. *Religioſi*. 1. L. 5. Tit. 7. ubi dicitur: *Religioſi, qui Clericis aut laicis Sacramentum Unctionis extremæ vel Euchariſtiæ miniſtrare, matrimoniave ſolemnizare, non habita ſuper his parochialis presbyteri licentia ſpeciali, præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per ſedem Apoſtolicam duntaxat abſolvendi, nullo Religioſis eisdem ſuper hoc exemptionis; vel alio privilegio ſuffragante.* Eodem modo loquitur Concilium Tridentinum Seſſ. 23. de Reform. c. 15. dum declarat, *nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, aut alias idoneus judicetur, & approbationem obtineat: privilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Solum ii ſæculares, juxta Sylvium Reſol. var. v. *Exemptio*, a parochis exempti ſunt, qui commorantur *intra ſepta monaſterii*, id eſt, in ædibus interioribus & locis regularibus, ſic ut unam cum Regularibus conſtituant familiam, ſub quorum obedientia vivunt. *Pontas.*

Nota. Monachis ex primævo ſtatu laicis parochialitas non competiit, ſed tantum Collegiis Clericalibus.

CASUS II. Monaſterium S. Cordulæ, ut ſe ſubtraheret jurisdictioni Epiſcopi, ante octoginta annos jam aggregavit ſe cuidam Congregationi alterius Ordinis. An hac ratione Epiſcopo omnis jurisdictio eſt adempta, quam prædeceſſores ejus in hoc monaſterium exercuerunt, ita ut nullum amplius jus exercere poſſit?

℟. Juxta S. Beuve Tom. 3. Caſ. 132. monaſterium iſtud, cum non eſſet exemptum, non potuit ſe aggregare Congregationi cuicumque demum, inſcio & non permittente Epiſcopo, cujus jurisdictioni ſubjectum erat; & hinc dicta aggregatio, etſi jam ante octoginta annos facto non præjudicat juribus Epiſcopi. Solis monaſteriis exemptis permittitur, immo a Tridentino Seſſ. 25. de Regular. c. 8. quodammodo præcipitur, ut ſe uniant alicui Congregationi. Sic ait: *Monaſteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent ordinarios regulares Viſitatores, ſed ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione ac directione regi conſueverunt, teneantur infra annum a fine præſentis Concilii ſeſe in Congregationes redigere. Pontas.*

CASUS III. Monaſterium quoddam exhibet Bullam de anno 1562. qua recipitur in protectionem SS. Petri & Pauli. An Pontifex hac expreſſione cenſetur monaſterium immediate ſubjeciſſe Sedi Apoſtolicæ, & exemiſſe a jurisdictione Epiſcopi?

℟. Hæc formula in Bulla contenta non arguit exemptionem a jurisdictione Epiſcopi, etiamſi monaſterium annuum cenſum perſolvat Sedi Apoſtolicæ: poteſt enim etiam alienus ſubditus in protectionem recipi, quin fiat immediatus ſubditus ſui protectoris. *Si Papa*, ait Bonifacius VIII. Cap. *Si Papa.* 10. Lib. 5. Tit. 7. in 6. *in aliquo privilegio vel ſcriptura non facta principaliter ſuper donatione vel ſententia exemptionis ſeu libertatis, aliquam eccleſiam ad jus & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinere, vel conſimilia verba narret, non propterea illius eccleſiæ exemptio eſt probata, niſi de libertate aliter doceatur.... Similiter ſi aliqui recipiantur in proprios & ſpeciales ſubjectos, cenſentur exempti. Non ſic, ſi in proprios & ſpeciales filios Romanæ Eccleſiæ ſint ſuſcepti: tales quippe exempti propterea non exiſtunt.* Sic & Gregorius IX. Cap. *Recepimus.* 8. Lib. 5. Tit. 33. inquit: *Non omnes cenſuales* (Romanæ Eccleſiæ) *ab Epiſcoporum ſubjectione habentur immunes. Inſpicienda ſunt ergo eccleſiarum privilegia, & ipſorum tenor eſt diligentius attendendus, ut ſi fuerit deprehenſum, quod eccleſia, quæ cenſum ſolvit, ſpecialiter B. Petri juris exiſtat, & ad indicium perceptæ libertatis cenſus annuus conſervatur, non immerito poterit ſpeciali prærogativa gaudere. Si vero ad indicium perceptæ protectionis cenſus perſolvitur, non ex hoc juri diœceſani Epiſcopi aliquid videtur eſſe ſubtractum. Pontas.*

CASUS IV. Octavianus Archiepiſcopus Ulyſſiponenſis cum adverteret, in quodam monaſterio Monialium exempto clauſuram non rite obſervari, illud ingreſſus viſitationem inſtituit ſine conſenſu Superioris immediati, cui ſubditum erat monaſterium, Monialibusque fruſtra exemptionem allegantibus. An non incurrit excommunicationem latam a Tridentino in omnes, qui ingrediuntur monaſteria Monialium?

℟. Non incurrit; quia juxta Innocentium IV. Cap. *Quia periculoſum.* 4. L. 5. Tit. 11. in 6. Epiſcopi non comprehenduntur ſub excommunicatione generali, niſi ſpecialiter exprimantur; Concilium autem non exprimit Epiſcopos. Accedit, quod in hoc caſu, dum agebatur de viſitanda clauſura monaſterii Monialium, Epiſcopus illud poſſit intrare, cum ſit de jure communi Superior naturalis omnium domuum regularium & ſæcularium in diœceſi ſua ſitarum. Obſervandum tamen, quod, ſi quæſtio ſit de actu non pertinente ad juriſdictionem Epiſcopi, v. g. de excipienda confeſſione cujusdam Monialis in monaſterio exempto, certum non ſit, an Epiſcopus intrare poſſit monaſterium. Navarrus cum pluribus aliis id fieri poſſe negat ſine licentia a Superiore immediato obtenta; quia Epiſcopi nec aliis poſſunt dare licentiam ingrediendi monaſteria Monialium. Verum alii Authores id permittunt; quia Epiſcopi aliis poſſunt dare hanc licentiam; eo quod Tridentinum dicat: *ſine Epiſcopi vel Superioris licentia.* S. Beuve exiſtimat, utramque ſententiam ut probabilem defendi poſſe; attamen, ut ſecunda poſſit reduci in praxin, requiri juſtam cauſam ingrediendi; alias committi quidem peccatum, cenſuram tamen non incurri. *Pontas*

CASUS V. Cajetanus Epiſcopus prætendit ſibi in monaſterium Monialium exemptum & immediate S. Sedi ſubjectum quædam jura, ſcilicet inſpiciendi Tabernaculum, ſacra Olea, Reliquias & clauſuram Regularium; faciendi ſcrutinium pro electione; prohibendi ſuſceptionem Novitiarum, aut earum admiſſionem ad profeſſionem, antequam a ſe fuerint examinatæ; & cognoſcendi ſuper receptione, ingreſſu & egreſſu puellarum penſionariarum & perſonarum ſæcularium. Verum Abbatiſſa his prætenſionibus opponit exemptionem. Num juſte? Poteſtne Epiſcopus non obſtante exemptione exercere hæc jura?

℟. Si

R. Si Monaſterium hoc non eſt unitum cuidam Congregationi, etſi ſit exemptum a jurisdictione Epiſcopi, ſubjacet tamen directioni ac gubernationi epiſcopali pleno ac generali jure, ut alia Monaſteria non exempta. *Monaſteria Sanctimonialium*, ait Tridentinum Seſſ. 25. c. 9. de Regular. *ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta .... ab Epiſcopis tanquam dictæ Sedis delegatis gubernentur, non obſtantibus quibuscumque.* Non tamen idem dicendum eſt de monaſteriis Monialium exemptis, & ſimul cuidam Congregationi aggregatis: iſta enim tantum ſubjacent Epiſcopis diœceſanis in certis caſibus, qui ſunt ſequentes: 1. Epiſcopi poſſunt exemptos compellere, ut ſe ſubmittant cenſuris & interdictis a ſe pronunciatis. 2. Eos obligare ad obſervandos dies feſtos totius diœceſis. 3. Si quis extra clauſtra notorie deliquerit & cum ſcandalo populi, Superiori præfigere tempus, intra quod delinquens puniatur, & de facta punitione exigere teſtimonium. 4. Punire eos tanquam deſertores inſtituti ſui, qui extra monaſterium ſub quocumque demum prætextu degunt ſine mandato aut licentia Superioris ſui immediati. 5. Monialibus exemptis confeſſarios extraordinarios conſtituere. 6. Conjunctim cum Superiore regulari judicare de valore aut nullitate profeſſionis, ſi quis contra eam reclamet. 7. Cavere, ne quis etiam de gremio concionetur etiam in eccleſia regulari non approbante aut contradicente Epiſcopo. 8. Quicumque extra clauſuram regularem, in ambitu tamen monaſterii exempti habitant, jurisdictioni Epiſcopi quoad ſpiritualia plene ſubjacent, exceptis ſolum iis monaſteriis, in quibus reſident Abbates aut Generales Ordinum, aut in quibus celebrantur generalia Ordinis capitula, & quæ exercent jurisdictionem epiſcopalem & temporalem in eas perſonas, in quas etiam curam animarum habent. 9. Poſſunt Epiſcopi ingredi monaſteria ad viſitandam clauſuram, ad perficiendum ſcrutinium, ad examinandas deſuper Superiorissam & reliquas Moniales: transgredientesque puniendas. A fortiori Epiſcopis competit jus viſitandi Tabernaculum, ſacra olea, Reliquias &c. 10. Iisdem quoque a Tridentino Seſſ. 25. cap. 17. conceſſum eſt jus examinandi admittendas ad ſacrum habitum & ad profeſſionem. Verum hoc Concilii decretum non obſervatur univerſim in omnibus diœceſibus, vel ſaltem non uniformiter: ſunt enim diœceſes, in quibus Epiſcopus a Superiorissa ſolum monetur, dum quædam admittenda ad profeſſionem, non autem dum admittitur ad habitum regularem. 11. Quod attinet ingreſſum perſonarum ſæcularium in monaſteria exempta, in quantum concernit ſolas penſionarias, Epiſcopus non niſi ſimplici

plici jure inſpectionis gaudet in caſu, quo committitur abuſus. Ingreſſum mulierum conjugatarum aut conſanguinearum, ſi ſine ſuo aut Superioris regularis conſenſu fiat, impedire poteſt; eo quod præjudicet clauſuræ. Si Superior regularis hanc licentiam ſine juſta cauſa aut nimis frequenter impertiatur, Epiſcopus eum monere poteſt ac jubere, ut in ea concedenda ſit difficilior. Hæc omnia declarationibus Concilii Tridentini nituntur. *Pontas.*

CASUS VI. Cum Moniales ad S. Urſulam reædificarunt ſuam eccleſiam & clauſtrum, operarii & aliæ perſonæ ſæculares libere ingrediebantur per ruinas dirutorum murorum, ac in dormitorio perambulabant, & quidem conſentiente Superioriſſa; eo quod conſuetudinis & quidem legitimæ eſſe crederetur, ut violato ſic clauſtro usque ad reparationem non obligaret lex clauſuræ. Num ita eſt?

℟. Conſuetudo libere vagandi per clauſtrum in tali caſu non excuſat indiſcriminatim quasvis perſonas ſæculares a peccato & violatione clauſuræ: eſt enim manifeſtus abuſus, & conſtitutionibus canonicis ac legibus Eccleſiæ prorſus contrarius, adeoque abolendus. *Conſuetudo*, inquit Innocentius III. Cap. *Ad noſtram.* 3. Lib. 1. Tit. 4. *quæ canonicis obviat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti.* Concilium Tridentinum ſolam agnoſcit neceſſitatem, ut permitti poſſit ingreſſus intra clauſtra Monialium. *Ingredi autem intra ſepta monaſterii*, ait Seſſ. 25. de Regular. c. 5. *nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis, neque alius ullo modo poſſit.* Ex quibus facile eruitur, ſæculares monaſterium ingreſſos violaſſe clauſuram, & Superioriſſam in id conſentire haud potuiſſe. Ingreſſi tamen bona fide, & nil mali perpetrare ſe exiſtimantes, excommunicationem non incurrerunt. *Pontas.*

CASUS VII. Gertrudes Monialis ac neptis cujusdam presbyteri doctrina & pietate præſtantiſſimi ſubito apoplexia tacta eſt; & Superioriſſa hunc ipſum presbyterum advocat, ut nepti ſuæ aſſiſtat, & Sacramenta miniſtret, ſi ad ea recipienda capacem reperiret. Præſtitit id presbyter ſedulo per duos continuos dies, partim viſitando infirmam, partem colloquendo cum aliis Monialibus ſibi notis. Peccavitne presbyter ingrediendo, aut Superioriſſa eum vocando in monaſterium?

℟. Si

℟. Si non potuit haberi confeſſarius ordinarius vel extraordinarius, qui periculoſe decumbenti conferret ultima Sacramenta, licite potuit hic presbyter ingredi intra clauſtrum, & ſubſidia ſpiritualia præſtare nepti ſuæ, vel cuicumque Moniali in ejusmodi neceſſitate conſtitutæ; quia in tali caſu præceptum charitatis, quod eſt juris divini, prævalere debet legi poſitivæ eccleſiaſticæ. Nec tamen hac occaſione licebat presbytero inſtituere colloquia non neceſſaria cum aliis Monialibus, nec diutius morari intra clauſtrum, quam neceſſitas ægrotantis id expoſceret. Si autem haberi potuiſſet legitimus Superior vel confeſſarius deputatus, qui aſſiſteret moribundæ, haud dubie peccaſſet dictus presbyter ingrediendo intra clauſtrum, & Superioriſſa eum advocando, ac ambo violaſſent legem clauſuræ. *Pontas.*

Nota. Abbatiſſa peſſime egit committendo adminiſtrationem Sacramentorum, etiam pœnitentiæ, proximo agnato moribundæ, ſi alius ſacerdos haberi potuit. In ejusmodi caſibus generaliter quivis ſimplex ſacerdos pius admitti poſſet.

CASUS VIII. Amadæus viſitator monaſterii S. Euphemiæ immediate S. Sedi ſubjecti confeſſiones excepit Monialium pleno jure & ſine approbatione Epiſcopi diœceſani. Num licite & valide?

℟. Nec licite, nec valide: Gregorius enim XV. in Bulla de 5. Februar. 1622. expreſſe declaravit, quod confeſſarii monialium etiam exemptarum debeant eſſe approbati ab Ordinario. Sic ait: *Confeſſores vero ſive ſæculares ſive regulares, quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii ad confeſſiones monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo diœceſano idonei judicentur, & approbationem obtineant.* Cum autem hæc Bulla in Gallia non ſit recepta, Amadeus ibi licite & valide, etſi non approbatus ab Epiſcopo, potuiſſet monialium confeſſiones excipere. *Pontas.*

CASUS IX. Didacus confeſſarius monialium advertit, non exacte cuſtodiri clauſuram: ingrediuntur enim 1. infantes utriusque ſexus a tertio ætatis anno usque ad ſeptimum, quos moniales tenerrime tractant, ac ſubin etiam oſculantur. 2. Pueri & puellæ pauperes, quibus accommodantur veſtes, quas moniales ipſis conficiunt, & xenii inſtar ad novi anni auſpicium ex charitate & miſericordia donant. 3. Infirmi aut vulnerati utriusque ſexus pauperes ad alliganda vulnera, aut recipienda gratis medicamina a duabus vel tribus monialibus artis chirurgicæ & pharmaceuticæ peritis, & o-

peri-

peribus charitatis erga ejusmodi miſeros præfectis. 4. Conſanguinei & conſanguineæ, qui inviſunt moniales propinquas ſuas graviter ægrotantes. 5. Famulantes monaſterio utriusque ſexus & habitantes extra clauſuram, qui & ipſi inviſunt fautrices aut benefactrices ſuas periculoſe decumbentes. 6. Eæ denique perſonæ, quæ ex juſta aut urgente cauſa & cum licentia Superioris ingrediuntur, diutius ac ultra tempus neceſſarium in clauſtro ſe detinere, ac cum monialibus converſari ac confabulari ſolent. Quid agendum confeſſario?

R. Omnes, qui tolerant peſſimas hasce corruptelas, aut eas fovent; peccant graviſſime. Teneritudines ejusmodi ac blanditiæ infantibus exhibitæ facile monialibus eſſe poſſunt occaſſiones delinquendi contra votum caſtitatis, ſpectata maxime infirmitate ſexus. A fortiori non licet introducere pueros profectioris ætatis ſub prætextu accommodandarum veſtium, quod fieri poteſt per famulos aut famulas monaſterii habitantes extra clauſuram. Idem dicendum quoad infirmos aut vulneratos; quia ordinata charitas nunquam officere debet diſciplinæ clauſtrali & conſtitutionibus Eccleſiæ. Dein iſta charitatis ſubſidia facile exhiberi poſſunt per ancillas monaſterii, ſi ad hoc inſtruantur, vel per alias perſonas. Neque etiam propinquis indulgeri poteſt ex motivo viſitandi infirmas moniales ingreſſus in clauſtrum, qui a Concilio Tridentino ſolum in caſu neceſſitatis permittitur; iſtud vero propinquarum ſolatium minime vocari poteſt cauſa neceſſaria. Denique, ſi eæ perſonæ, quæ ex cauſa neceſſitatis & de licentia Superioris ingrediuntur, ubi morantur & confabulantur ultra limites neceſſitatis, dicendum eſt, quod quidem graviter peccent abutendo licentia ſibi indulta; non tamen videtur, quod incurrant excommunicationem. Itaque concludendum, quod confeſſarius teneatur Antiſtitam & moniales ſerio monere de gravi obligatione tollendi hosce abuſus; &, ſi non reſipiſcant, tenetur ipſis differre abſolutionem, ac inſuper monere & adhortari Superiorem, ut interpoſita authoritate ſua malo medelam ferat, & debitum ordinem denuo reſtituat. Quod ſi ſuis conatibus nil proficiat, officio confeſſarii renunciare tenetur. *Pontas.*

CASUS X. In quadam civitate duo monialium diverſi Ordinis monaſteria adeo ſibi vicina ſunt, ut moniales unius & alterius monaſterii ad invicem loqui poſſint. Superior feneſtras, per quas ad invicem loquebantur, muro claudi juſſit; cui tamen conſilio unus conventus totis viribus ſeſe opponit. Peccantne moniales ſic per feneſtras colloquentes? An Superior

rior tenetur oppoſito muro hanc colloquendi occaſionem removere, non obſtante unius conventus oppoſitione ?

℟. Certum eſt, moniales haſce peccare ; quia 1. ejusmodi collocutiones non ſolum prohibentur in conſtitutionibus Ordinum, ſed etiam in variis Conciliis. Sic Concilium Bituricenſe anno 1584. Tit. 37. Can. 24. ait : *Cum monialibus nemo colloquatur, niſi per clathros & rotam, ſive turnum ; idque præſente monaſterii Præfecta, aut duabus ſororibus.* 2. Tales converſationes pugnant contra modeſtiam religioſam ; eo quod fieri non poſſint ſine elevatione vocis majore, quam deceat moniales. 3. Quia ejusmodi libertas ac conſuetudo degenerare poſſet in maximos abuſus, quos hic exprimere haud opus eſt. 4. Quia ſæculares in vicinia aut tranſeuntes id genus collocutiones audire non poſſent ſine ſcandalo. *Quo caſu,* inquit S. Carolus Concil. Mediol. I. part. 3. Tit. 9. *parietes altius tolli & novos ædificari jubeant eorum ſumptibus, quorum Epiſcopi, & ii, qui monaſteriorum curatores ſunt, intereſſe judicaverint, quacumque appellatione remota.* Tenetur ergo Superior in conſcientia ad tollendos hosce peſſimos abuſus feneſtris ſubſtituere muros. *Pontas.*

CASUS XI. In quodam clauſtro monialium a longo jam tempore diſciplina adeo relaxata eſt, ut vix quidquam adhuc primæ regularitatis obſervetur : nam 1. Abbatiſſa ſola ſua authoritate ordinat, quæ receptionem novitiarum & profeſſionem concernunt, diſponitque pro ſuo arbitratu de redditibus monaſterii. 2. Non recipiuntur ad profeſſionem non niſi bene dotatæ, & amplis penſionibus inſtructæ ; etſi monaſterium pingues habeat redditus. 3. Moniales ſingulæ vivunt privatim, id quod diſciplinæ plurimum obeſt ; eo quod quælibet pro ſua identidem ſuſtentatione curare debeat. Plures ex monialibus vere ac ſincere deſiderant, ut omnes abuſus tollantur, & diſciplina reſtauretur. Quid iis agendum ?

℟. Moniales iſtæ in conſcientia tenentur inſtare pro viribus apud Abbatiſſam, &, ſi benevolas iſta aures non præbeat, apud Superiores legitimos, ut ſublatis abuſibus fiat reformatio : nec licet eis ſilere, animo ocyus amplectendi reformationem, quam primum eidem perficiendæ manus admota fuerit ; ſed ipſæmet præſtare tenentur, quidquid rationabiliter poſſunt, ad inſtaurandam diſciplinam regularem ; idque ſine omni periculo peccandi contra obedientiam Superiorıſſæ ſuæ debitam : obedientia enim ſolum debetur ſecundum Deum, & in iis, quæ ſunt juſta & rationabilia, non autem in iis, quæ manifeſte adverſantur voluntati divinæ, bono ſpiritua-

li

li ſororum, emolumento monaſterii, & ſaluti propriæ. *Pontas.*

CASUS XII. An fundatoribus & benefactoribus competit jus ingrediendi monaſteria monialium?

℟. Clauſura monialium in jure, in Conciliis, & ſummorum Pontificum conſtitutionibus adeo commendatur, ut ſine cauſa, quæ rationi conſona, & a Superiore probata fuerit, in earum monaſteria ingredi nemini liceat; neque ab hac lege fundatores & benefactores exempti ſunt. Ad Epiſcopi tamen, aliorumque Superiorum prudentiam ſpectat, ut fundatoribus ac benefactoribus inſignibus ex cauſis evidenter rationabilibus quandoque ingreſſum permittant petentibus, numerum tamen ingreſſum, eorum comitatum, ac moræ tempus definiendo. Titulus ergo fundatoris aut benefactoris non tribuit jus ſine licentia ingrediendi clauſtra monialium, nec a legibus eccleſiaſticis hac in re unquam recedendum eſt. *Fromageau.*

Vide *Fundatio. Monialis. Religioſus.*

MONETA.

1. Per *monetam* ſeu pecuniam intelligitur *Metallum in monetam cuſum.* Soli ſupremo Principi competit jus cudendi monetas, omnibusque ac ſingulis ſubditis ſub pœna capitis id interdictum eſt. Numeratur hoc jus inter præcipua ac antiquiſſima Principum jura & ſupremæ poteſtatis inſignia ſeu *Regalia.* Hinc ſupremi Principes hujus juris ſibi ſolis vendicandi ſemper fuerunt, & ſunt adhuc tenaciſſimi; ita ut illud impune a quopiam violari nunquam paſſi fuerint. Narrat Herodotus, Darium Regem capite plectendum juſſiſſe quemdam Ægypti gubernatorem, qui monetis, quas cuderat, imaginem ſuam inſculpendam temerarie curavit.

2. Falſitas circa monetas committitur 1. dum moneta cuditur ex falſa materia, ut cupro deaurato vel plumbo deargentato, 2. Dum privata authoritate a quopiam cuditur moneta absque permiſſione Principis, licet ea nec in materia nec in pondere deficiat. 3. Si moneta ſit quidem cuſa ex bona materia, non tamen legitimum pondus habeat; vel ſi pondus legitimum quidem, non tamen proba ſit materia. 4. Dum quis monetas adulterinas, quamvis non a ſe cuſas, pro veris diſtrahit.

3. Penes ſolùm ſupremum Principem eſt poteſtas determinandi valorem monetæ, ejusdem pretium augendi vel diminuendi, & ejus uſum in commercio permittendi aut interdicendi.

CASUS I. Guſtavus Princeps ſupremus promulgari juſſit decretum; vi cujus variarum monetarum in ſtatibus ſuis circulantium valorem partim minuit, partim omnino ſuſtulit. Incolæ autem plurium oppidorum remotioris provinciæ ex condicto inter ſe ſtatuunt monetas in priori valore expendere & accipere, non obſtante decreto Principis. Tutane ſic agunt conſcientia?

℞. Tenentur ſe conformare decreto Principis ſtatuentis valorem monetarum in mutuo commercio: leges enim Principum non minus obligant ſubditos ſub pœna peccati in politicis ac temporalibus, quam leges Eccleſiæ in iis, quæ religionem concernunt. Ita S. Paulus Rom. 13. v. 1. 2. 3. 3. 5. 6. & 7. Et S. Thomas 1. 2. q. 96. art. 4. C. *Conſequenter dicimus*, ait Sylvius Reſol. var. v. Moneta. 1. *leges ſuper re monetaria publicatas vel ſimiliter publicandas in foro conſcientiæ, & coram Deo obligare; idque ſub gravis, hoc eſt, ſub mortalis peccati reatu. Sunt leges juſtæ, eæque de gravi ſeu notabili materia præcipientes, ſcilicet juſtum monetarum pretium obſervari. Pontas.*

CASUS II. Joannes Nobilis, ut numeroſam familiam ſuam ſuſtentare poſſet, falſam cudit monetam, pondere & materia æquivalentem monetæ Principis, ut adeo neminem decipiat, nec ulli hominum damnum inferat, ſed ſolum illud lucrum exinde percipiat, quod alias cedit Principi. Peccavitne mortaliter?

℞. Absque dubio peccat mortaliter: agit enim contra legem rigoroſiſſimam in re concernente bonum publicum & Principis; ſicque manifeſto ſe exponit vitam amittendi periculo, ſi res palam fiat. Neceſſitas ſuſtentandi ſuam familiam nunquam admitteretur pro excuſatione legitima. Concilium Lateranenſe anno 1123. ſub Calixto II. habitum ait: *Quicunque monetam falſam ſcienter fecerit, aut ſtudioſe expenderit, tanquam maledictus... & civitatis turbator a fidelium conſortio ſeparetur. Pontas.*

MONIALIS.

1. *Monialis* dicitur, quæ Ordinem religioſum ingreſſa animo in eo perſeverandi proprium ejusdem Ordinis habitum defert.

2. Mo-

2. Moniales vel ſunt novitiæ vel profeſſæ. *Novitiæ* ſunt quæ admiſſæ ad habitum regularem integrum tyrocinii annum decurrunt, intra quem vel dimiſſo habitu & relicto monaſterio poſſunt redire ad ſæculum, vel, ſi decimum ſextum ætatis annum compleverint, anno probationis finito emittere vota ſolemnia. *Profeſſæ* dicuntur, quæ poſt annum novitiatus per ſolemnia Religionis vota ſe penitus Deo dicarunt, & ſtatum, quem libere amplexatæ ſunt, nunquam amplius dimittere poſſunt.

3. Moniales quoad regimen & vivendi rationem ſeſe conformant Religioſis, quorum regulam & inſtitutum adoptarunt, quantum ſexus permittit.

4. Virgines primis temporibus, etſi ſolemniter ab Epiſcopo conſecratæ fuerint, vivebant tamen in domibus privatis absque omni clauſura. Cum autem ſucceſſu temporis numerus earum adeo excreſceret, ut copioſas formare communitates poſſent, Eccleſia in variis conciliis rigoroſæ eas addixit clauſuræ, ita ut nunquam ipſis liceret monaſteriis ſuis egredi, niſi ex gravi cauſa ab Epiſcopo approbata; nec ulli etiam ſæcularium in earum clauſtra permitteretur ingredi.

5. Cum ordinarie moniales unicum tantum & eundem omnes haberent confeſſarium, ſtatuit Concilium Tridentinum, ut iisdem ter vel quater in anno permittantur confeſſarii extraordinarii.

6. Quædam monialium monaſteria ſunt aggregata congregationibus Religioſorum, ut ea, quæ ſunt Ordinis Ciſtercienſis & Ordinum mendicantium, quæ vi privilegiorum ſuorum Superioribus generalibus ſubſunt, & per Religioſos ſui ordinis reguntur, exemptionem a juriſdictione Epiſcoporum prætendentes.

7. Superioriſſæ monialium vel ſunt perpetuæ vel triennales. *Perpetuæ* dicuntur Abbatiſſæ, & vel nominantur ex privilegio a Principe, vel eliguntur. *Triennales* vero, quæ præſunt monaſteriis antiquioribus reformatis, aut congregationi recentiori Ordinis ſive mendicantium ſive non mendicantium aggregatis, plerumque eliguntur per ſcrutinium ſeu vota ſecreta in præſentia viſitatoris ſtantis ad clathros, & electionem confirmantis. Juxta Concilium Tridentinum Seſſ. 25. *Re Regular.* c. 7. requiritur in ejusmodi Superioriſſa annus ætatis quadrageſimus, & profeſſionis octavus; vel ſaltem ætatis trigeſimus, & profeſſionis quintus completus.

8. Electa Superioriſſa eliguntur etiam quatuor vel ſex diſcretæ, ab eadem in rebus difficilioribus in conſilium vo-

candæ. Attamen in cauſis graviſſimi momenti requiritur conſenſus & conſultatio totius communitatis.

9. Penes Superiorisſam eſt conferre minora monaſterii officia, non tamen ultra tempus, quo ipſa ſuperioritate potitur.

10. Puella aſpirans ad Religionem debet habere pleniſſimam libertatem; prohibitumque eſt ſub pœna excommunicationis, ne invita & contra ſuam voluntatem compellatur ingredi Religionem, vel ab ejusdem ingreſſu impediatur.

11. De iis, quæ concernunt dotem monialium, agetur in articulo, *Simonia*. Hic ſolummodo obſervandum, Concilium Tridentinum nec clare nec fuſe ſatis hac ſuper re declaraſſe mentem ſuam, ſed tantum ſtatuiſſe Seſſ. 25. *de Regular.* c. 16. ne quid ante profeſſionem Novitiæ monaſterio tribuatur a parentibus vel curatoribus præter neceſſaria ad victum & veſtitum. Concilium Senonenſe de anno 1528. permittit quidem accipi penſiones vitalitias a puellis ſupernumerariis, ea tamen conditione, ut ab illis nihil omnino exigatur, quæ conſtitutum a fundatore vel a ſtatutis determinatum numerum efficiunt, eæque gratis recipiantur. Concilium Mediolanenſe I. de anno 1565. ſtatuit, ut a parentibus alicubi deponatur dos filiarum Ordinem religioſum amplectentium, ut iisdem quam certiſſime reddatur, ſi eæ ante profeſſionem ad ſæculum redeant. Et aliud Mediolanenſe Conſilium de anno 1569. præcipit, ut Epiſcopi diœceſani authoritate ſua determinent quantitatem penſionis.

CASUS I. Callixtus confeſſarius monialium dubitat, utrum poſſit abſolvere non nullas, quæ ſæpius abſunt ab Horis canonicis, falſum ſibi dictamen formantes, quod nullo ad eas recitandas præcepto obligentur ſub pœna peccati gravis, quæque nolunt promittere, iisdem ſe ex religioſæ diſciplinæ præſcripto interfuturas. Quid dicendum?

℞. Non poteſt ejusmodi moniales abſolvere, niſi ſint legitime diſpenſatæ ab obligatione recitandi Horas canonicas ob juſtam cauſam, v. g. ægritudinem. Ratio præcipua juxta Cabaſſutium L. 1. c. 21. deſumitur ab intentione fundatorum ac benefactorum familiarum religioſarum: hi enim bona ſua & eleemoſynas non alio in eas expendunt animo, quam ut precum, quæ ibi peraguntur, & continuæ decantionis Officiorum divinorum participes fiant. *Pontas.*

CASUS II. Martha omnibus naturæ animique dotibus ad Abbatiſſæ munus requiſitis inſtructa eſt. Poteſtne tuta conſcientia ſollicitare pro conſecutione hujus officii?

℞. Si-

℟. Sine ambitionis nota non poteſt quidpiam conferre, ut Abbatiſſa nominetur vel eligatur: repugnat enim humilitati, ſemet ipſum idoneum reputare ad regendos alios. *Pontas.*

CASUS III. Scholaſtica tantam concepit averſionem erga ordinarium conventus confeſſarium, ut Superiorifſæ ſuæ in faciem declararet, non poſſe ſe tantum ſibimet ipſi imperare, ut deinceps arcana conſcientiæ ſuæ ipſi aperiat. Teneturne Superioriſſa infirmitati hujus monialis condeſcendere, & alium ipſi confeſſarium indulgere?

℟. Non ſolum non tenetur, ſed nec poteſt nimium eſſe facilis ad concedendam hanc licentiam, ne aliæ moniales hoc exemplo trahantur ad ſimilia tentanda; quod haud levem induceret deordinationem. Superioriſſa pro viribus ſtudeat Scholaſticæ meliora ſuggerere conſilia, eamque ad confeſſarium extraordinarium remittere, qui fors deprehenſa ex confeſſione mali origine facilius mederi poterit. Si his inſuper habitis monialis in ſua recuſatione animum obfirmaret, denegari ipſi poſſet abſolutio; cum hæc agendi ratio ſcandalo ſit integræ communitati. Ne autem Superioriſſa ſuam oneret conſcientiam, rem conferat cum directore, vel Superiore ſuo, aut cum aliis viris prudentibus & expertis in regimine animarum, ac ex eorum conſilio ac judicio agat. Et hæc via erit planiſſima ac tutiſſima. *Pontas.*

CASUS IV. Iduberga & Honorina profeſſæ in quodam conventu, in quo ante annos non ita multos vigebat conſuetudo diebus ſabbati a nativitate Domini uſque purificationem B. Virginis veſcendi carnibus; quæ tamen nuper admodum ex motivo profectioris diſciplinæ ac regularitatis abolita eſt, nolunt ſe conformare huic novæ obſervantiæ. Peccantne?

℟. Abuſus comedendi carnes diebus ſabbati ex nulla lege eccleſiaſtica unquam authoritatem ſortitus eſt, ſed ex mera dumtaxat tolerantia; & proin bene fuit abrogatus. Cum ergo duæ moniales teneantur per omnia ſe conformare laudabilibus communitatis ſuæ conſuetudinibus, tenentur etiam ſub peccato præfatis diebus obſervare abſtinentiam a carnibus legitime ac laudabiliter introductam; quia alias ſcandalizarent reliquas moniales, & juxta Sylveſtrum de Prierio v. *Jejunium* q. fin. *Comedere carnes ſabbato, ubi non eſt conſuetudo, eſt mortale. Pontas.*

CASUS V. Fara monialis intereſt Capitulo, in quo deliberatur de receptione cujuſdam puellæ ad Novitiatum. Advertit autem, quod Superioriſſam puellæ valde faventem

 nihil

nihil moveant motiva juſta & gravia contra receptionem allata, ſed ea abſolute velit, ut negotium hoc ſuæ curæ ac diſpoſitioni relinquatur. Teneturne Fara puellam admiſſione indignam judicans proprio judicio renunciare, &, ut obedientem ſe exhibeat, cæco modo voluntati Superioriſſæ ſeſe ſubiicere, etſi eam favore magis quam meritis agi adverteret?

℟. Tenetur Fara liberrime ſuam proferre ſententiam; nec poteſt hac in re ſub falſo prætextu perfectioris obedientiæ nutui, aut, ſi mavis, imperio Superioriſſæ conformare ſeſe contra proprium judicium: inutile enim foret convocare capitula, quod jura in rebus gravioris momenti decernunt, ſi Capitulares, quidquid coram Deo ſentiant, ſemper tenerentur ſuffragari ad placitum præſidentis. *Pontas.*

Nota. Experientia docet, moniales (idem intellige de viris Religioſis capitularibus) quæ in capitulis deliberativis contra ipropria ſenſa animi poſt initam cum Deo deliberationem & ſine omni præjudicio concepta, ex abjecto placendi ſtudio, & inani metu delinguendi contra obedientiam, ſuffragia ſua dirigunt ſemper ad nutum Abbatiſſæ, ſi quandòque præter expectationem contra inclinationem propriam in arduis, & quidem jure, obediendum, præ cæteris eſſe inobedientiſſimas, aut ſaltem impatientiſſimas: earum enim motivum ſic agendi ac juribus ſuis renunciandi in capitulis plerumque eſt, ne exigatur ab iis obedientia difficilior non niſi cum gravi moleſtia adimplenda. Accedit, quod hæc agendi ratio frequenter in graviſſimum totius Communitatis detrimentum vergat; ſanioribus ac cordatioribus Superioriſſæ odium ac contemptum conciliet, eamque ipſam ad perniciosiſſimam deſpoticæ gubernationis uſurpationem inducat, quæ, dum haud raro regularem obſervantiam ſubditis exoſam ac intolerabilem reddidit, plura jam monaſteria penitus ſubvertit quoad temporalia & ſpiritualia.

CASUS VI. Eleonora profeſſa in quodam Ordine ſtrictiſſimæ obſervantiæ multo jam abhinc tempore ſcandalo eſt toti Communitati, dum identidem petit reſtitutionem dotis ſuæ, & translationem in aliud monaſterium, ac repulſam paſſa non amplius frequentat miſſam, nec confeſſionem, nec divinum in choro officium, nec alia exercitia Religionis omnibus communia. Quid agendum Superioriſſæ, ne coram Deo hujus ſcandali ream ſe conſtituat? Teneturne eam incarcerare, aut alia pœna caſtigare?

℟. S. Beuve Tom. 1. Caſ. 19. judicat, Eleonoram habendam eſſe tanquam læſæ imaginationis vitio affectam, ac proin nullo modo gravioribus punitionibus ſubjiciendam, ſed potius humaniter & cum manſuetudine tractandam eſſe. Ejusdem translatio in aliud monaſterium inſigne opus charitatis

tatis foret. Quod ſi hoc abſque gravi detrimento totius communitatis fieri nequeat, prudentiæ ac charitatis erit connivere, ac indulgere ipſius exceſſibus, ne penitus tandem ad inſaniam redigatur. *Pontas.*

CASUS VII. Godeberta puella opulentiſſima, ſed variis infirmitatibus obnoxia aſpirat ad religioſum Ordinem, & offert cuidam monaſterio 10000. florenos, ſi ut benefactrix recipiatur. Acceptatur hæc ſumma, & finito probationis anno benefactricis titulo admittitur ad ſolemnem profeſſionem. An non vitioſa & ſimoniaca eſt hæc admiſſio?

℟. Generalis regula eſt in omnibus religioſis Ordinibus obſervanda, neminem ad profeſſionem eſſe admittendum, niſi valeat viribus, ut vivere poſſit juxta conſtitutiones Ordinis, & ſtatuta monaſterii. Ratio eſt; quia per profeſſionem religioſam inducitur obligatio ea omnia obſervandi, quoad & quamdiu vires permiſerint. Unde ſequitur, quod, ſi Godeberta ſuſtinere non poſſit rigorem diſciplinæ omnibus indiſcriminatim præſcriptum, recipi non poterit ut benefactrix ob donationem 10000. florenorum. Si tamen ejuſdem virtutes, & præclaræ animi dotes abunde compenſent infirmitatem ipſius corporalem, potuit quidem cum ſufficiente dote obtenta diſpenſatione gratis admitti ad profeſſionem, relicta ipſi pleniſſima libertate quoad propoſitam animoque conceptam donationem; dummodo relate ad profeſſionem nullum cum ea, vel alia perſona ad hoc conſtituta ipſius nomine intervenerit pactum ſuper diſpenſatione circa exercitia religioſa, & obſervantiam regulæ ac conſtitutionum Ordinis. Ita S. Beuve Tom. 2. Caſ. 78. *Pontas.*

CASUS VIII. Marcella monialis profeſſa in monaſterio, ubi immemorialis eſt conſuetudo exigendi dotem 4000. florenorum ab omnibus ibidem profitentibus, ſive ſint ſupernumerariæ ſive non, poteſtne tuta conſcientia in capitulo, in quo deliberatur de virginum receptione, ſuum dare ſuffragium ſecundum receptam hanc conſuetudinem; cum non ſolum non habeat ullam de crimine ſimoniæ notitiam, ſed & deſuper edoceri recuſet, ne ſibi ſcrupulos accerſat, & dubia forſan valde rationabilia?

℟. Peſſime agit Marcella, nec excuſari a culpa poteſt; eo quod nolit edoceri ſuper ſimoniæ vitio, a quo, vel ſaltem ab exactione illicita & ſcandaloſa monaſterii hujus conſuetudo, licet inveterata, excuſari nullo modo poteſt: *conſuetudo* enim *ſine veritate* juxta S. Cyprianum Ep. ad Pompon. *vetuſtas eſt erroris.* Reſpectu Marcellæ hæc conſue-

tudo non eſt niſi inutilis ac frivola excuſatio, quæ peccatum non removet. *Pontas.*

CASUS IX. Pelagia Religionem profeſſa in monaſterio, cui dotis loco intulit penſionem vitalitiam 200. florenorum, poſt aliquot annos, cum aër loci minus conduceret ipſius ſanitati, obtinuit licentiam tranſeundi ad aliud monaſterium ejusdem Ordinis; vel eo tranſlata eſt ad reſtituendam ibidem diſciplinam regularem, vel ut Superioriſſæ officio fungeretur. Transferturne ad hoc monaſterium ſecundum etiam penſio, quam monaſterio profeſſionis ſuæ intulerat?

℟. Penſio monaſterio primo illata non ſequitur Pelagiam in aliud monaſterium tranſeuntem: primum enim ad hanc acquiſivit jus integrum & perfectum per profeſſionem ſolemnem Pelagiæ, nec jure hoc amplius poteſt privari juxta regulam juris: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.* Id tamen ſolum intelligendum eſt de caſu, quo monialis voluntarie, ac libere locum profeſſionis ſuæ relinquit, absque juſſu Superiorum: ſi enim expelleretur in pœnam malæ converſationis, & in aliud monaſterium transferretur ad agendam pœnitentiam; certum eſt, quod primum monaſterium teneretur eidem providere de alimentis ac aliis vitæ neceſſitatibus; quia æquum non eſt, ut unum monaſterium admittat alterius monaſterii rebelles & inobedientes cum ſuo onere, licet dotis proprietas maneret priori monaſterio. *Pontas.*

CASUS X. Firmina monialis emiſit profeſſionem in quodam monaſterio, cui intulit penſionem vitalitiam 300. florenorum. Poſt annum ex hoc monaſterio cum venia Superiorum egreſſa tranſiit tanquam penſionaria ad aliud monaſterium diverſi Ordinis, ad quod ſecum tranſtulit penſionem priori monaſterio vi contractus ante profeſſionem initi præſtandam. Cum autem expenſæ omnes in victum, habitationem, aliaque neceſſaria in ſecundo monaſterio non excederent ſummam 150. florenorum, reſiduum eidem permiſit titulo mutui, ea tamen conditione, ut, ſi conventus ſolvendo non ſit, poſt ſuum obitum pro requie animæ ſuæ celebrentur miſſæ ſub obligatione fundationis; ſibi tamen ſubinde reſervat modicam portionem pro exiguis largitionibus in quasdam religioſæ hujus familiæ moniales erogandis. An non vitioſa eſt hæc agendi ratio?

℟. Quoad omnia eſt vitioſa ac vituperabilis; imprimis enim penſio conſtituta moniali eo pacto, ut, in quodcumque ea monaſterium tranſeat, transferatur & penſio, ad-

verſa-

verſatur menti Eccleſiæ, cum proprietatem arguat. Dein Firmina non poteſt ſalva conſcientia diſponere pro ſuo arbitrio de penſione in uſus etiam optimos ac piiſſimos; quia ſic diſponendo exerceret actum proprietatis, & conſequenter peccaret contra ſolemne votum paupertatis. Denique non eſt hæc penſio tradenda in manus Firminæ, ſed depoſitariæ primi monaſterii, in quo Firmina profeſſionem emiſit; depoſitaria autem tenetur ſecundo monaſterio ſolvere 150. florenos pro alimentatione Firminæ, & reſiduum dimidium penſionis iniicere caſſæ ſui monaſterii. Sic cenſet S. Beuve Tom. 3. Caſ. 130. *Pontas*.

CASUS XI. Bernardina monialis ſtrictioris obſervantiæ complures habet conſanguineos valde opulentos, qui, quoties viſitationis officium eidem perſolvunt, etiam donaria afferunt, unus aureum, alter duos, quilibet pro ratione facultatum ſuarum & liberalitatis, ſimulque declarant, ſolum ea intentione id fieri, ut ſibi minutias quasdam comparare, eleemoſynas pauperibus erogare, aut conſueta amicis munuſcula facere poſſit. Bernardina has pecunias ad cuſtodiam quidem tradit depoſitariæ, ſed tamen cum præſcitu & licentia Superioriſſæ data occaſione pro ſuo arbitrio de iisdem diſponit. Peccatne contra votum paupertatis?

℟. Juxta S. Beuve Tom. 2, Caſ. 169. & 178. & Tom. 2. Caſ. 129. hic modus agendi merito eſt reprehendendus, utpote voto paupertatis contrarius: intentio enim conſanguineorum donantium expreſſa ea eſt, ut Bernardina pecuniis donatis utatur pro ſuo beneplacito; non licet autem illi iis uti ad fines a donantibus intentos. Licentia Superioriſſæ plerumque inutilis prætextus eſt, quo tegitur proprietas: nec ipſa enim Superioriſſa poteſt quidpiam permittere, quod eſt contra ſubſtantiam religioſæ paupertatis. Monaſterium ipſum, ſi per facultates licet, ſatis providet cuilibet moniali de iis, quæ honeſtati ſtatus, aut legitime introductæ conſuetudini conformia ſunt; quod ſi ob inopiam fieri non poſſit, ea donaria pertinent ad monaſterium, non ad monialem, quæ ob votum ſolemne paupertatis nec recipere, nec retinere quidpiam poteſt tanquam proprium, aut pro arbitraria ſua diſpoſitione. *Pontas*.

CASUS XII. Paulina monialis ex Ordine S. Auguſtini ab Epiſcopo diœceſano obtinuit licentiam aulæa, periſtromata, & varia alia ejuſmodi artefacta elaborandi, eaque pro libitu vendendi vel donandi. Poteſtne ſine ſcrupulo uti hac licentia? Et poſito, quod ea uti non poſſit, & tamen pertinaciter pergat tum vendendo tum dona-

donando diſtrahere artefacta ſua, eſtne ipſi a confeſſario deneganda abſolutio?

℟. Non poteſt Paulina uti licentia, quam Epiſcopus nullo jure dare potuit, absque vitio proprietatis. *Abdicatio proprietatis*, inquit Innocentius III. Cap. *Cum ad monaſterium.* 6. Lib. 3. Tit. 35. *ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* Si Paulina obſtinato animo pergat in uſu hujus licentiæ, confeſſarius tenetur eidem denegare abſolutionem: certum enim eſt, quod vel petendo hujusmodi licentiam pravum ſororibus ſuis exemplum dederit, & adhuc magis iis ſcandalo ſit continuando uſum hujus licentiæ contra omnem ordinem regularis diſciplinæ, ad quam Paulina vi profeſſionis ſuæ obligatur. Imo nec licentia ab ipſa Superiorſſa quoad hoc conceſſa eam a peccato eximeret; cum nec illa talem licentiam impertiri poſſit valide & absque peccato ſine cauſa graviſſima bonum monaſterii concernente. *Pontas.*

CASUS XIII. Antigonus munuſcula quædam magni pretii accepit a certis perſonis religioſis, quibus amicitiæ nexu erat colligatus. Poteſtne ea legitimo titulo ſibi retinere?

℟. Clemens VIII. in Bulla *Utriusque ſexus.* 19. Jun. 1594. ſtricte prohibet omnibus perſonis religioſis munuſculorum diſtributionem; & hanc Bullam Urbanus VIII. Congregationi plurium Prælatorum examinandam dedit, ut quasdam difficultates & dubia in illius expreſſionibus occurrentia elucidarent, eorumque declaratio ſerviret in ejusmodi caſibus pro regula. Declaratio hæc, quam Urbanus VIII. 16. Oct. 1640. ſpeciali Bulla approbavit ac confirmavit, his verbis concepta eſt: *Congregatio ſpecialiter a SS. D. N. Urbano Divina providentia Papa VIII. authoritate ſibi attributa declaravit & declarat, munera a Religioſis utriusque ſexus tribui poſſe ex cauſis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ, ejusque conſervationis erga ipſam Religionem vel Conventum, aliisve cauſis ex ſui natura actum virtutis & meriti continentibus; modeſte tamen ac diſcrete; & dummodo id non fiat, niſi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum conſenſu majoris partis Conventus; ſi talis conſenſus de jure, vel conſtitutionibus, ſeu conſuetudinibus cujusque Religionis reſpective in hujusmodi caſibus requiratur.* Ex quo clare patet, in perſonarum religioſarum jure & poteſtate ſitum non eſſe notabiles & magni pretii donationes facere, & accepta ejusmodi munera monaſterio eſſe reſtituenda; ad quod & Antigonus obligandus eſt. *Pontas.*

CA-

CASUS XIV. Genovefa & Marcellina moniales, comperta ſimplicis Beneficii a ſuo monaſterio dependentis vacatura, illud ab Abbatiſſa & Capitulo impetrarunt Ludovico fratri ſuo Clerico tonſurato, qui illis ſpem & verbalem promiſſionem fecerat relinquendi ipſis redditus Beneficii, qui 100. florenos non excedunt, ut impoſterum ſuis propinquis non amplius eſſent oneri, & haberent, unde tum propriis levioris momenti indigentiis proſpicere, tum Oratorium clauſtrale exornare poſſent. Suntne in hoc reprehenſibiles?

℟. Peſſime egerunt moniales iſtæ, quod fratrem ſuum induxerint ad acceptandum hoc Beneficium eo animo, ut ſibi relinqueret redditus ad memoratos fines. Nec poſſunt ſine peccato recipere hos redditus, nec eos ad dictos uſus impendere, etiam conſentiente fratre, qui tuta conſcientia conſentire nequit. Ratio eſt; quia ejusmodi conſenſus evidens foret probatio, ſe præfata ſumma non indigere ad propriam ſuam ſuſtentationem: quo in caſu redditus Beneficii expendendi ſunt conformiter ad præſumptivam intentionem fundatorum, quæ eſt, ut deductis neceſſariis pro ſuſtentatione Beneficiati reſidua applicentur non ad ornatum capellæ alienæ, ſed ad cultum convenientem capellæ proprii Beneficii; item non ad prætenſas indigentias monialium, ſed ad ſolamen vere pauperum. Accedit, quod hic modus agendi involvat ſimoniam confidentialem, quam ſacri Canones pœnis ſubiiciunt longe gravioribus ac ſimoniam ſimplicem. *Pontas.*

CASUS XV. Eſt in extremis provinciæ finibus monaſterium monialium Ordinis S. Auguſtini, ubi clauſura nunquam fuit introducta; adeo ut neque in profeſſionibus monialium ulla unquam fuerit facta mentio de illa. Statuit jam Epiſcopus, cujus juriſdictioni ſubjacent, easdem nolentes volentes adſtringere ad acceptandam clauſuram. Poteruntne tuta conſcientia reſiſtere Epiſcopo, ſeque tueri in poſſeſſione non ſervandi clauſuram, in qua ab immemoriali jam tempore fuerant?

℟. Certum eſt, moniales iſtas etiam ſub pœna peccati mortalis obligari ad exhibendam Epiſcopo ſuo obedientiam, ſubmittendo ſeſe clauſuræ in monaſterium introducendæ. Ita docet D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. Sylvius v. *Clauſura.* defendit, Epiſcopo competere jus eas cogendi ad recipiendam clauſuram etiam in caſu, quo profeſſionem emiſiſſent ſub expreſſa clauſula non ſervandi clauſuram. Epiſcopi clauſuram, ubi non ſervatur, introducturi non ſolum

lum agunt authoritate ſua propria & ordinaria, ſed etiam tanquam executores decretorum Concilii Tridentini, Conſtitutionum Papalium, maxime Bonifacii VIII. & ut Delegati Sedis Apoſtolicæ reſpectu monaſteriorum exemptorum, & hôc fine ulla exceptione monialium votum ſervandi clauſuram non expreſſe emittentium. Unde penitus evaneſcit omnis prætextus, quo moniales ſe tueri volunt contra reformationem epiſcopalem. *Pontas.*

Nota. Si moniales durante novitiatu non fuerunt monitæ de obligatione recipiendi clauſuram, quamprimum id Epiſcopo placuerit, non poſſunt ad eam obligari poſt profeſſionem. Poſſent autem & deberent novitiæ de hac obligatione moneri, & interea excurſiones monialium ac viſitationes reciprocæ exterorum ſic limitari, ut arceatur omne periculum diſſolutionum ac diſtractionum ab animi recollectione.

CASUS XVI. Margarita monialis in quodam monaſterio a juriſdictione Ordinarii exempto juſtam habet rationem tranſeundi in aliud monaſterium ejusdem Ordinis. Poteſtne Prælatus ac Superior regularis ſola ſua authoritate hanc ipſi dare licentiam?

℞. Non poteſt ſine conſenſu Ordinarii: Concilium enim Tridentinum Seſſ. 25. *de Regular.* c. 5. expreſſe prohibet omnibus monialibus quocumque privilegio inſtructis egreſſum ex ſuo monaſterio & tranſitum in aliud ſine expreſſa ac in ſcripto obtenta licentia Epiſcopi diœceſani: *niſi aliqua ex legitima cauſa*, ait, *ab Epiſcopo approbanda*, *indultis quibuscumque & privilegiis non obſtantibus. Pontas.*

CASUS XVII. Ruffina monialis Ordinis laxioris propoſuit tranſire in Ordinem ſtrictiorem & reformatum. Licitene ſic tranſit petita quidem ab Abbatiſſa ſua, ſed non obtenta licentia?

℞. Poteſt tranſire non obſtante oppoſitione Superiorisſæ: obſervanda tamen diſciplina hac in re hodie recepta. Sic 1. requiritur, ut legitimus monialis Superior regularis ad illius translationem ſuum præſtet aſſenſum, & translatio fiat obtento prius Brevi Pontificio. 2. Ut ex ſuo monaſterio diſcedere non præſumat, niſi dum illud monaſterium, ad quod tranſire cogitat, eam ocyus recipere ſtatuit, & moniales Capituli capitulariter congregatæ ſuum inſtituto ſcrutinio conſenſum dederunt. 3. Ut translatio ab uno monaſterio in aliud non fiat niſi in comitatu perſonarum prudentium, modeſtarum, & nullatenus ſuſpectarum, quin ulla habeatur commoratio niſi in locis, in quibus neceſſario in itinere divertendum eſt. 4. Ut nunquam tranſeunti moniali permittatur

tatur reditus in monaſterium, cui valedixit. Hæ ſunt conditiones, quas indicat Fagnanus in Cap. *Recolentes*. 3. Lib. 3. Tit. 35. n. 48. *Pontas*.

CASUS XVIII. Clementia monialis profeſſa in monaſterio ab incendio penitus devaſtato a ſuo Superiore fuit tranſlata in alium conventum ejusdem Ordinis, in quo aëris malignitas plurimum nocet ſanitati ipſius. Poteritne ob hanc ſolam rationem etiam ſecunda vice tranſmitti in aliud monaſterium?

℞. Pius V. in Bulla, *Decori*. ſolum admittit tres cauſas ejusmodi tranſlationis, ſcilicet *ex cauſa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ*. Verum in locis, ubi hæc Bulla non eſt recepta, velut in Gallia, ratio Clementiæ ſufficit ad hoc, ut Superior eidem concedere poſſit etiam ſecundam tranſlationem, conjunctim tamen cum conſenſu Epiſcopi, ut ad caſum 16. reſponſum eſt. *Pontas*.

Vide Caſ. 39.

CASUS XIX. Auguſtina monialis profeſſa a ſuo legitimo Superiore obtinuit licentiam inviſendi ſuos conſanguineos, & apud eos commorandi per duas ſeptimanas, idque ex motivo valde levi; licet hanc motivi inſufficientiam & Superior & monialis probe cognoviſſent. An ambo peccant mortaliter?

℞. S. Beuve Tom. 2. Caſ. 130. & 142. exiſtimat, Auguſtinam non peccaſſe mortaliter in eo, quod ex levi motivo petierit licentiam inviſendi parentes & conſanguineos ſuos: cum enim Superior allegatum motivum approbavit, & licentiam conceſſit, monialis jure credere potuit, ſe uti poſſe data licentia. Aliud autem ſentit citatus Author de Superiore licentiam concedente ex leviuſcula ratione; quia hic absque peccato mortali non poteſt moniali permittere, ut monaſterio egrediatur, niſi graves ſubſint rationes, inter quas certe numerari non poteſt cauſa inviſendi propinquos. Et revera, ſi Superiores pro legitimis ac ſufficientibus admitterent cauſas adeo frivolas, conſtitutivum eſſentiale diſciplinæ regularis facile ſubverteretur, & virgines ſacræ per tantam laxitatem omnibus peccandi periculis exponerentur, quibus homines mundandi tam frequenter ſunt obnoxii. *Pontas*.

Nota. Licentiam concedere ac petere correlativa ſunt; & hinc, ſi eam ſine cauſa ſufficiente concedere injuſtum ac peccaminoſum eſt, videtur & petere eam ex motivo ſcienter inſufficiente injuſtum ac peccaminoſum, vel graviter vel leviter, pro ratione ſcilicet materiæ, circumſtantiarum, & ſequelarum. Certe hæc regula circa diſpenſationem a lege locum habet. Vide caſ. 39.

CA-

CASUS XX. Hector Gubernator cujusdam provinciæ per plures jam annos uti conſuevit torculari monaſterii monialium intra ipſa loca regularia & clauſtralia aſſervato. Superior ſevere prohibet, ne poſthac torcularis hujus uſum Gubernatori concedant moniales. Hector, qui ad exemplum prædeceſſorum ſuorum ſemper uſus eſt hac machina, acerbiſſime ferens hanc repulſam in prædia monaſterii immiſit milites, qui illato ibi gravi damno majus adhuc comminati ſunt. Ad avertenda ejusmodi injuſta vexamina poteritne Superior Gubernatori denuo permittere uſum hujus torcularis, quamvis exinde violetur clauſura monaſterii?

℞. Si graves ac prudentes rationes ſuppetant metuendi, ne & impoſterum Gubernator provinciæ pergat gravia monaſterio damna inferre, Superior a facta monialibus prohibitione poteſt deſiſtere. Ratio eſt juxta Sylvium Reſol. var. v. *Clauſura*. 6. quia clauſura monialium eſt juris humani, quod ex mente legislatoris non obligat, ſi absque graviſſimo detrimento obſervari non poſſit. *Pontas.*

CASUS XXI. Renata & Joſepha moniales profeſſæ in Ordine S. Benedicti tranſire cogitant in Ordinem S. Bernardi. Habetne Epiſcopus poteſtatem hanc ipſis concedendi licentiam?

℞. Poteſt ab Epiſcopo permitti hic tranſitus, ſi ſubſint cauſæ juſtæ ac legitimæ, ut ſi v. g. in alio Ordine poſſent exactius ſervare regularem diſciplinam; vel ſi in alio Ordine magis proviſum iri ſperarent infirmitatibus ſuis corporalibus, quibus identidem detinentur, & ab exercitiis religioſis communibus arceantur, ob majorem promptitudinem charitatis ægrotantibus exhiberi ſolitæ; vel denique ob alias graves rationes: requiritur tamen adhuc conſenſus capitularis illius communitatis, ex qua diſceſſuræ ſunt, una cum conſenſu Epiſcopi illius monaſterii, ad quod tranſire cogitant; ſuppoſito, quod utrumque monaſterium jurisdictioni Epiſcopi ſit ſubjectum. *De Lamet.*

CASUS XXII. Fulgentius Superior regularis ſub pœna excommunicationis prohibet monialibus ſibi ſubjectis, ne absque expreſſa ſua licentia litteras ſcribant ad extraneos, & ne confiteantur presbyteris ſæcularibus, ſed ſolum Religioſis ſui Ordinis ſpecialiter ad id deputatis. Jurene id poteſtatis Superior regularis ſibi aſſumit?

℞. Poteſt quidem Superior regularis monialibus prohibere commercium litterarum cum extraneis, imo etiam ne confiteantur ſacerdotibus ſæcularibus; neutrum tamen ſub pœna excommunicationis interdicendum eſt. Et certe quoad confeſſio-

feſſionem hæc prohibito adverſatur Bullæ Gregorii XV. *Inſcrutabili.* anno 1621. editæ, ubi Pontifex expreſſe declarat, monialibus ſive exemptis ſive non exemptis poſſe dari confeſſarios ſæculares. Ita ſentit quoque Barboſa in Tridentinum Seſſ. 25. c. 10. de Regul. dum n. 4. ait, a Cardinalibus deciſum, *quod poteſt Epiſcopus dare confeſſarium monialibus ſubjectis Regularibus, quæ nulla ratione induci poſſunt, ut ſuis Regularibus peccata confiteantur.* VI ejusdem Bullæ Epiſcopo in quibusdam caſibus competit jus ſeſe informandi & cognoſcendi ſuper regimine ſpirituali & temporali monaſteriorum monialium etiam a ſua jurisdictione exemptorum. *Fromageau.*

CASUS XXIII. Virgines cujusdam congregationis approbatæ edunt ſpeciale votum non petendi diſpenſationem in votis ſimplicibus antea emiſſis. Idem eligunt Superioriſſas ſuas per ſortem. Num bene ?

℟. Votum hoc ſpeciale poteſt quidem emitti; vota tamen ſimplicia prius emiſſa voto hoc ſpeciali confirmata nunquam obtinebunt vim ac virtutem votorum ſolemnium. Electio Superioriſſarum per ſortem abſolute eſt prohibita. *Sortis uſum,* ait Honorius III. Cap. *Eccleſia veſtra.* 3. Lib. 5. Tit. 21. *in electionibus perpetua prohibitione damnantes. De Lamet.*

CASUS XXIV. Coleta emiſit vota ſua ſolemnia, ita in animo ſuo conſtituta, ut nollet ſe obligare niſi pro caſu, quo poſtmodum evidenter cognoſceret, vere ſe ad hunc ſtatum a Deo eſſe vocatam. Experta eſt autem ab eo tempore ſemper gravem averſionem ab exercitiis conſuetis Religionis ſuæ. Eſtne habenda pro moniali vere profeſſa?

℟. In foro interno & coram Deo non poteſt haberi pro moniali profeſſa; eſt autem ut talis habenda in foro externo, teneturque vivere ſecundum regulam, ne confuſio oriatur, aliisque ſcandali occaſio præbeatur. Nec tamen ad renovationem votorum ſuorum eſt perſuadenda, quamdiu adhuc ab obſervantiis Ordinis internam ſentit repugnantiam, ne multo magis reddatur perplexa, & in majores animi perturbationes conjiciatur. Interea precibus fervidis inſtet, ut Dei voluntatem cognoſcat, propriæque obluctationis vincendæ gratiam impetret; ac directioni viri pii ac docti penitus relinquenda eſt. Tractanda quoque erit multa cum manſuetudine, nihilque ab ea exigendum præter neceſſaria ad avertendum ſcandalum ac perturbationem. *Fromageau.*

CASUS XXV. Clara puella variis ægritudinibus obnoxia, ita ut rigorem diſciplinæ ferre non poſſit, aſpirat ad monaſterium & profeſſionem Ordinis. Eſtne recipienda?

℞. Nullatenus eſt recipienda, ne ad deſtructionem diſciplinæ via pandatur. Maxime vero admitti non poteſt, ſi advertatur, tacitam interveniſſe conventionem Abbatiſſam inter & puellæ patrem. Epiſcopus denique hujus Abbatiæ Superior ejusdem admiſſionem poteſt ac debet prohibere per decretum irritans, ita ut profeſſio foret invalida. *Fromageau.*

Vide Caſ. 7. 26. & 31.

CASUS XXVI. Roſalia puella tenerrime educata offert cuidam monaſterio, ſi reciperetur, 15000. florenos, ea tamen conditione, ut, cum eſſet mollioris complexionis, non teneretur media nocte ſurgere ad matutinum, nec geſtare indulium laneum, nec obligaretur ad jejunia regularia. Poteſtne ſub hac conditione admitti?

℞. Cum hæc puella impar ſit ferendis oneribus vitæ regularis, admitti non poteſt ſine graviſſimo diſpendio diſciplinæ clauſtralis, & vitio ſimoniæ. Religioſis quibusvis magis cordi eſſe debet obſervatio exacta regulæ ac conſtitutionum clauſtralium, quam bona terrena quæcumque demum. Poteſt tamen, ſi probis ſit moribus, recipi ut perſona ſæcularis ac ſub titulo benefactricis. *De Lamet.*

Vide Caſ. 7. 25. & 31.

CASUS XXVII. Emerentiana Abbatiſſa renunciare cogitat officio ſuo, quod eſt electivum. Poteſtne votum ſuum dare nepti ſuæ in eodem monaſterio profeſſæ?

℞. Poteſt absque dubio, ſi ſciat & in conſcientia judicet, illam cæteris eſſe digniorem ac magis idoneam ad officium Superiorifſæ; ſuppoſito tamen, quod per ſtatuta localia privata non excludatur. *Fromageau.*

CASUS XXVIII. Monica neo-profeſſa habetne jus ſuffragii altero mox die poſt profeſſionem in electione Abbatiſſæ?

℞. Per ſe ac de jure communi non excluditur neo-profeſſa ab electione: inſiſtendum tamen eſt hac in re conſtitutionibus localibus legitime approbatis, ac receptæ conſuetudini. *De Lamet.*

CASUS XXIX. Agitur in quodam monaſterio monialium de electione Superiorifſæ. Quædam ex monialibus capitularibus eam poſtulandam exiſtimant ex alio Ordine, aliæ vero

eam

eam ver viam electionis ex proprio Ordine aſſumendam cenſent. Quid faciendum ?

℟. Si extranea non habet pro ſe duas tertias ſuffragiorum, non poterit acceptari ; & illi in tali caſu præferenda eſt una ex communitate, licet non exacte habeat dimidiam partem votorum : electio enim, quæ nititur jure communi, ſemper melioris conditionis eſt, ac poſtulatio, quæ ſolum innititur gratiæ. *De Lamet.*

CASUS XXX. Poſſuntne emitti vota ſolemnia indiſcriminatim in omnibus ordinibus religioſis anno ætatis decimo ſexto ? Si in quodam Ordine conſtitutiones præciperent, ne quiſpiam induatur habitu Religionis ante annum ætatis decimum nonum, nec ad profeſſionem admittatur ante annum vigeſimum, foretne valida profeſſio emiſſa necdum completa hac ætate, cum Tridentinum ad validam profeſſionem ſolum requirat annum ætatis decimum ſextum completum ?

℟. Si ejuſmodi conſtitutiones Ordinis peculiares a Sede Apoſtolica ſunt appropatæ, nulla certe ac invalida eſt profeſſio ante præſcriptam in iis ætatem emiſſa. Si vero hæ conſtitutiones ſolum ſunt approbatæ a Superioribus Ordinis, vel ab ipſo etiam Capitulo generali Ordinis, non eſt invalida profeſſio, dummodo in ætate a Tridentino requiſita fuerit emiſſa. *De Lamet.*

Nota. Varii Principes hac ætate in ſuis Statibus determinarunt ætatem, in qua tam mares quam fœminas ad profeſſionem admittere liceat. Quamvis autem omnes ſubditi maxime quoad effectus civiles ac politicos harum legum rationem habere teneantur, non tamen coram Deo & in foro interno videntur invalidæ profeſſiones religioſæ ante hanc ætatem emiſſæ, donec Eccleſia has Principum leges ratas habuerit.

CASUS XXXI. Cæcilia novitia incurabili laborat infirmitate, ita ut facile prævideri poſſit, nunquam fore, ut regulam Ordinis, quem amplexa eſt, in recepto rigore obſervare queat. Poteritne admitti ad profeſſionem ?

℟. Non eſt admittenda : *cum enim*, ait Trithemius Orat. 5. *inutilis quiſque ad Ordinem recipitur, vigor converſationis monaſticæ diſſipatur.* Si tamen novitia ad ſtatum religioſum ſe vere vocatam ſentiat, conſulendum ipſi, ut ingrediatur Ordinem mitiorem, infirmæ ſuæ complexioni magis attemperatum. *De Lamet.*

Vide Caſ. 25. & 26.

CASUS XXXII. Eleonora monialis profeſſa majoris perfectionis ſtudio vult tranſire ad Ordinem ſtrictiorem. Licetne hoc ?

℞. Poteſt tranſire ; nec opus eſt diſpenſatione Pontificia, ſed ſolus Superior poteſt hanc impertiri licentiam : hujus tamen eſt examinare rationes hujus propoſiti, ac diſcutere, utrum ſpiritus hic ex Deo ſit, & non a malo angelo transfigurante ſe in angelum lucis. *De Lamet.*

Vide Caſ. 16. 17. & 21.

CASUS XXXIII. Urſula profeſſa in monaſterio, cui pinguiſſimam dotem intulit, nominatur a Papa in Abbatiſſam alterius monaſterii. Debeturne ipſi annua penſio, quæ ab ipſo monaſterio profeſſionis eidem conſtituta eſt in caſu, quo ex obedientia deberet tranſire in aliud monaſterium?

℞. Non verſatur Urſula in eo caſu, ut penſionem ſibi conſtitutam petere poſſit : cum enim ejusdem translatio a Pontifice facta fuerit, & quidem veroſimiliter ad propriam ipſius vel familiæ inſtantiam, non poteſt dici ex obedientia tranſiiſſe ad aliud monaſterium ; imo ejusmodi translatio monaſterio profeſſionis penſionem conſtituenti ne quidem in mentem venerat. *De Lamet.*

CASUS XXXIV. Sophia & Lucia puellæ nobiles admitti petunt ad monaſterium, quod opulentum exiſtimant, re ipſa tamen ære alieno ſummopere gravatum, penitus depauperatum, & proxime ad incitas redigendum eſt. Poteſtne monaſterium eas admittere?

℞. Non poteſt monaſterium recipere plures, quam commode ſuſtentari poſſint. *Is tantum numerus conſtituatur*, inquit Tridentinum Seſſ. 25. *de Regul.* c. 3. *ac in poſterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.* Quod ſi monaſterium ita ſit depauperatum, ut nulla ſit amplius ſpes ſublevationis, canditatæ ad illud aſpirantes ex juſtitia de hoc ſtatu monendæ ſunt. Denique ſi monaſterium nequeat amplius emergere, &, quod inde conſequitur, diu ſubſiſtere, juſtitia exigit, ut quamprimum plenam creditoribus bonorum ceſſionem faciant, ne majus indies ipſis damnum accreſcat. *Fromageau.*

CASUS XXXV. Sunt in quodam monialium conventu quinque aut ſex virgines ſimul ad novitiatum & ſimul ad profeſſionem admiſſæ. Hæ per plures jam annos ſingulares inter ſe fovent familiaritates, & particulares amicitias, quod quavis data occaſione a reliquis advertitur. Probandumne hoc?

℞. Cum ex ejusmodi particularibus amicitiis mala in communitatibus plerumque ſequantur graviſſima, videlicet temporis jactura, regularis diſciplinæ perturbatio, differentiæ,

detra-

detractiones, invidiæ, diſſenſiones, prava exempla, odia, & mutuæ charitatis, quæ inter omnes æqualiter vigere debet, diminutio; eæ ſemper ut perniciofiſſimæ ſunt habitæ jam a primis Ordinum religioſorum fundatoribus, & omnino in communitatibus religioſis tolerari non poſſunt. S. Baſilius Serm. 1. de Monach. inſtitut. ait: *Porro in hujusmodi hoc communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex, aliquas coiri ſeorſum amicitias aut ſodalitates; ſiquidem nullo modo fieri poteſt, quin affectiones iſtæ, quæ in hanc magis quam in illam propendent partem, plurimum incommodent communi omnium concordiæ. Quam ob rem æqualiter ſe diligere inter ſe omnes debent, idemque adverſus univerſum fratrum cœtum charitatis tenendus eſt modus. Quod ſi quis inventus fuerit, qui majore quadam animi propenſione monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemvis quavis de cauſa videatur diligere, hunc caſtigare oportebit ut injurium publicæ charitati; ſiquidem in eo, quod quis aliquem unum plus diligit, facile indicat, reliquos ſe in amore inferiores habere. Fromageau.*

CASUS XXXVI. Moniales quædam, dum in Capitulo de receptione novitiarum agitur, neſcientes: in quam partem propendere debeant, calculum album una cum nigro urnæ immittunt. Rectene faciunt?

℟. Omnino illicite hoc fit: quælibet enim in particulari declarare tenetur ſententiam ſuam, & determinatum dare ſuffragium; quod jus ad propriæ communitatis bonum ipſis conceſſum eſt, cui renunciare non poſſunt. Quod ſi etiam conſtitutiones præcipiant poſitivam in hisce deliberationibus declarationem mentis ſuæ, aut hujusmodi artes prohibeantur a Superioribus ſub pœna ſuſpenſionis a voce in Capitulo, gravis committitur inobedientia, quæ peccatum etiam mortale fieri poteſt. *Fromageau.*

CASUS XXXVII. In uno eodemque monaſterio reperiuntur tres moniales profeſſæ ſorores germanæ. Habentne tria vota in congreſſibus Capitularibus?

℟. Quæſtio hæc ex cujusque conventus conſuetudine ac conſtitutionibus localibus decidenda eſt; & ſi hucusque quælibet harum ſororum jus voti ſui privati exercuit, in poſſeſſione relinquendæ ſunt. Poteſt tamen nova fieri conſtitutio a Superiore approbanda, vi cujus deinceps, ſi de novo tres ſorores in idem monaſterium admittantur, tria earum vota ad duo redigantur; de quo tamen admiſſæ moneri deberent. *De Lamet.* Vide Caſ. 44. & 49.

CASUS XXXVIII. Clara profeſſionem emiſit uno die ante completum probationis annum; nec tamen, licet id ſciret, contra profeſſionem reclamavit intra quinquennium a Tridentino indultum. Eſtne habenda pro vere profeſſa? & num competit ipſi locus in die profeſſionis ipſi deſignatus?

℞. Juxta Tridentinum nulla quidem eſt profeſſio ante elapſum probationis annum emiſſa; puella tamen a die profeſſionis tanquam profeſſa haberi debet, locumque ac ordinem tenere, qui ipſi in die profeſſionis obvenerat: actus enim publicus, qualis fuit Claræ profeſſio, ſuum ſemper effectum retinet, donec a competente judice declaretur nullus. Et cum puella elapſo quinquennio reclamare jam non poſſit, nec monaſterio licet ſua eam ſede deturbare. *De Lamet.*

CASUS XXXIX. Ex quibus cauſis ab Epiſcopo & Superioribus ſalva conſcientia poteſt vel non poteſt permitti egreſſus ex monaſterio monialibus ad clauſuram obligatis?

℞. Clauſuram monialium ſtricti juris eſſe, certum eſt. Bonifacius VIII. Cap. *Periculoſo.* 1. Lib. 3. Tit. 16. in 6. ab hac lege unicum caſum eximit, ſcilicet *niſi forte tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare conſtaret, quod non poſſet cum aliis absque gravi periculo ſeu ſcandalo commorari.* Tridentinum Seſſ. 25. *De Regular.* c. 5. ita loquitua: *Nemini autem ſanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire e monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuscumque ac privilegiis non obſtantibus.* Ex quibus facile patet, non ex vago arbitrio Epiſcoporum ac Superiorum, ſed ex legitimitate ac gravitate cauſæ principaliter pendere licentiam egrediendi e monaſterio. Inter cauſas autem legitimas nequaquam reputantur ſequentes: 1. Nuda etiam a Nobilibus Epiſcopo aut Superiori oblata ſupplicatio. 2. Deſiderium monialis ſuos inviſendi ac videndi. 3. Emiſſum votum, quod ſine egreſſu perſolvi non poteſt. 4. Prærogativa nobilitatis aut imbecillior complexio corporis. 5. Modica relaxatio animi ad exercitia religioſa conſtanter intenſi. 6. Febris, fluxio aut dolor capitis etiam diuturnior; niſi conſtet, ejusmodi ægritudinem evidenter periculoſam eſſe, ac monialem non niſi per egreſſum convaleſcere poſſe, eoquod neceſſaria medicamina in monaſterio parari non poſſint; idque teſtetur medicus, de cujus probitate prius cognoſcendum erit Epiſcopo, cum non deſint faciliores medici levi ex motivo in ægrotantium ſtudia trahendi.

hendi. 7. Inſalubritas Aëris & climatis; niſi exinde manifeſtum moniali vitæ diſcrimen immineret, quod vix veroſimile eſt. Imo & in hoc caſu potius transferenda foret in aliud monaſterium ejusdem Ordinis ac diſciplinæ, ut ibi recuperata valetudine Ordinis aſperitates exacte obſervet. Pius V. in Bulla: *Decori & honeſtati.* cauſas egreſſus quidem adducit infirmitatem *lepræ* & *epidemiæ*; ſed nec ex his cauſis egreſſum petunt moniales, quæ cæteris diſciplinæ regularis obſervantiores ſunt. 8. Suis in ſæculo ægrotantibus opem ferendi cauſa; niſi fors pater aut mater omni alia ope prorſus deſtituti decumberent: ſi enim aliunde ſubſidium percipere poſſent, regulam violaret Epiſcopus, ſi facultatem tribueret, quæ abſolute tantum neceſſitatis cauſa tribui poteſt. 9. Feneſtræ monaſterii ad publicas plateas reſpicientes juſſu Epiſcopi aut Superioris vel penitus occludendæ, vel ſaltem clathris obfirmandæ ſunt. 10. Quod ſi moniali ex urgentiſſima cauſa egreſſus permitti debeat, commorari potius deberet in monaſterio quam in alio loco, ſi fieri poſſit: ſi non, apud ſuos degere, &, quantum locus & circumſtantiæ permittunt, ſolitudinem ſervare tenetur. *De Lamet.* Vide caſ. 19.

CASUS XL. Quibus ex cauſis tuta conſcientia poteſt, vel non poteſt extraneis permitti ingreſſus in monaſteria mon[illegible]ium?

℞. Bonifacius VIII. Cap. *Periculoſo.* un. Lib. 3. Tit. 16. in 6. hæc habet: *Nulli aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ, niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia ingreſſus vel acceſſus pateat ad easdem; ut ſic a publicis & mundanis conſpectibus ſeparatæ, omnino ſervire Deo valeant liberius, & laſciviendi opportunitate ſublata, eidem corda ſua & corpora in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire.* Tridentinum conſtitutionem Bonifacii VIII. confirmat his verbis: *ingredi autem intra ſepta monaſterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis; neque alius ullo modo poſſit, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi.* Ex his eruitur, quod Epiſcopus & Superior in conſcientia teneantur diſcutere cauſas, ob quas extranei petunt licentiam ingrediendi in clauſtra monialium, & peccent, ſi absque neceſſitate id permittant. Non eſt autem cauſa neceſſi-

 tatis,

ſatis, & conſequenter inſufficiens ad permittendum ingreſſum 1. Si Epiſcopus aut Superior ingrediatur monaſterium monialium, quod non niſi in caſu neceſſitatis fieri debet, & ſumat ſecum plures in comitatum, ac neceſſarii ſunt. 2. Si mater inviſere velit filiam ſuam religioſam aut penſionariam. 3. Si mater velit ſtatui religioſo conſecrare filiam ſuam, & prius luſtrare cupiat clauſtra, in quibus perpetuo commorandum foret filiæ. 4. Si matronæ præ cæteris exemplares ad ſpirituale colloquium ingredi petant. 5. Si ad capiendum in afflictione ſolatium mater vel conſanguinea monialem inviſere, vel ipſius ægrotantis filiæ vel conſanguineæ religioſæ animum ſua præſentia exhilarare velit. 6. Si ingrediendi licentiam petant conſanguinei Epiſcopi aut Superioris ex ſolo motivo cognationis. 7. Poteſt tamen ex cauſis urgentibus permitti ingreſſus uxoribus ac puellis, quæ alia ratione maritorum ſævitiam aut ſeductionis periculum declinare non poſſunt. *De Lamet.* Vide Caſ. 42. 43.

CASUS XLI. Epiſcopus abſque ulla neceſſitate introducit ſecum intra clauſuram monialium conſanguineas ſuas, pluresque alias matronas, & quidem comitante Superiore monialium. An incurrit excommunicationem?

℞. Peccat quidem Epiſcopus; excommunicationem tamen non incurrit. Superior monialium debuiſſet eum dehortari, ac monere, ne tam facilem ſe præbeat in concedendis ejuſmodi facultatibus. *Fromageau.*

CASUS XLII. Columba Abbatiſſa monaſterii reformati paſſim admittit intra clauſtra famulos & famulas, rhedas & carpenta ad recreationem ac exhilarationem monialium & penſionariarum in horto monaſterii. Ad comprandendum quoque ſecum vel cum neptibus ſuis invitat perſonas utriuſque ſexus in hortum vel triclinium, quod *Communitas* dicitur. Denique obtenta ab Epiſcopo licentia, vi cujus intra clauſtra regularia poſſit admittere unam conſanguineam ſuam, eam licentiam extendit ad plures perſonas utriusque ſexus conſanguineam, quoties advenit, comi antea. Fiuntne hæc tuta conſcientia?

℞. Manifeſtiſſime hæc omnia adverſantur conſtitutioni Concilii Tridentini, quod ſub pœna excommunicationis prohibet, ne quis admittatur intra ſepta monaſterii ſine Epiſcopi vel Superioris licentia. Peccat ergo Abbatiſſa graviſſime, & violatæ diſciplinæ regularis ſe ream conſtituit. *De Lamet.* & *Fromageau.*

CA-

CASUS XLIII. Cordula Abbatiſſa ædificii vel conſtruendi vel reparandi cauſa quibusvis architecturæ & fabricæ peritiam jactantibus permittit ingreſſum in clauſtra, & ſub prætextu leviorum reparationum in manibus perſonæ laicalis relinquit clavem illius portæ, quæ a primis introductæ reformationis temporibus ſolum ad ligna in culinam aliaque communitatis loca invehenda deſtinata erat, clauſa interim durante hac invectione alia janua, quæ ad interiora clauſtri ducit. Fratri quoque laico, qui ſe Clericum ſimulat, per interiorem hanc portam ingreſſum permittit ad obeunda miniſteria alias ſororibus converſis propria; adeo ut hoc modo aditus pro ſuo libitu ipſi pateat etiam ad loca regularia. Denique ad inquirendas inſpiciendasque in archivo chartas, membranas, aliaque documenta authoritate propria advocat viros forenſes, eosque ad menſam ſuam convivas adhibet, qui ſubin per integrum monaſterium diſcurrunt, & quandoque ad nonam usque veſpertinam ibi perſiſtunt. An licite agit in his omnibus Abbatiſſa? An non moniales poſſunt deferre ad Epiſcopum has diſciplinæ religioſæ relaxationes?

℟. Abbatiſſa in omnibus hiſce quam graviſſime peccat contra leges clauſuræ regularis. Moniales non ſolum poſſunt, ſed & tenentur rem deferre ad Superiorem. Quod ſi hic malo mederi nolit, confugere debent ad Epiſcopum, etſi monaſterium ſit exemptum a juriſdictione Epiſcopi: de clauſura enim cognoſcendi jus eſt penes Epiſcopum in omnibus religioſis domibus quomodocumqne exemptis. *De Lamet* & *Fromageau.* Vide *Monaſterium.* Caſ. 6.

CASUS XLIV. Duabus germanis ſororibus in quodam monaſterio profeſſis acceſſit & tertia, ac demum quarta ſoror. His in anno probationis conſtitutis Superioriſſa annunciat, quod non ſint admittendæ ad profeſſionem niſi ea conditione, ut, quoad duæ earum ſorores viverent, voce activa & paſſiva in Capitulo carerent; quod Superioriſſæ conſilium, licet in ſtatutis monaſterii non contineretur, Epiſcopus approbavit, & nova conſtitutione confirmavit, quam conſtitutionibus monaſterii, utpote ſuæ juriſdictioni ſubjecti inſeruit. Duæ novitiæ humiliter annuerunt, & ſic ad profeſſionem admiſſæ ſunt. Verum decurſu temporis hac epiſcopali conſtitutione ſe nimium gravatas cenſuerunt, involutis etiam conſanguineis, qui decem florenorum millia Communitati obtulerunt, ſi hæ duæ ſorores ut eligibiles agnoſcerentur ſaltem ad dignitatem Superio-

 riſſæ;

riſſæ; ſecus ſe tribunal ſæculare adituros comminati. Quid hac in re ſentiendum ?

℞. Epiſcopi conſtitutio omnino juſta eſt, & neceſſaria ad tuendam pacem domeſticam, præcavendasque diſcordias; nec adimit duabus ſororibus neo-profeſſis jus vocis activæ ac paſſivæ in Capitulo, ſed tantum ſuſpendit ad tempus ejusdem exercitium. Gavantus in Enchirid. v. *Monialis.* n. 8. affert ſequentem declarationem Cardinalium de anno 1616. 26. Aug. *Pro tertia ſorore duplicata portio debet ſolvi, & ſuffragio carebit in Capitulo, quousque altera ex duabus primis ſororibus deceſſerit e vita.* Summam 10000. florenorum absque vitio ſimoniæ in præfatum finem nec a conſanguineis dari, nec a monaſterio acceptari potuit. Nec denique conſanguinei tuta conſcientia implorare poſſunt judicem ſæcularem ad effectum caſſandi conſtitutionem epiſcopalem, vel revocandi puellas ex monaſterio; cum ea conſtitutio ſit juſtiſſima, & puellæ ante profeſſionem in eam conſenſerint. *Fromageau.* Vide caſ. 37. & 49.

CASUS XLV. Moniales S. Claræ primam regulam profitentes dubitant, utrum poſſint bona immobilia poſſidere, ac fundationes recipere cum vel ſine onere. Quid dicendum ?

℞. Poſſunt ſecure bona immobilia poſſidere, novasque fundationes acceptare juxta jus hodiernum a Concilio Tridentino ſancitum, cujus verba ſunt Seſſ. 25. *De Regular.* c. 3. *Concedit ſancta Synodus omnibus monaſteriis & domibus tam virorum quam mulierum, & mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Franciſci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obſervantia vocantur, etiam quibus aut ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat. De Lamet.*

CASUS XLVI. Extat monaſterium, in cujus conſtitutionibus quoad ordinaria Ordinis ac domus officia non omnia ſingillatim ac enucleate determinata ſunt. An non ſupplementi in modum conſtitutionibus hiſce poſſunt addi novæ ſanctiones, in quibus exacte omnia præſcribantur, quæ in quolibet officio agenda ſunt ?

℞. Peropportune ac utiliſſime omiſſa in conſtitutionibus ſupplentur, ut ſic deinceps officia modo ſtabili adminiſtrentur, nec pro cujuslibet arbitrio immutationes fiant. Novæ tamen ſanctiones iſtæ, antequam ad effectum perducantur, monialibus exhibendæ ſunt, ſi non ſingulis, ſaltem ſenioribus ac ſanioribus, ut de iisdem judicent, videantque, an

Fami-

Familiæ conveniant ; quod ſi ita viſum fuerit, a Superiore approbandæ ac confirmandæ ſunt : quin tamen exinde rationem ac vim præcepti ſub peccato obligantis obtineant, ſed ſolum ut per modum directorii ac normæ agendorum in quovis officio proponantur ; ut ſunt ſtatuta complurium monaſteriorum, quæ ſub reatu peccati non obligant, niſi forte interveniat contemptus formalis. *Fromageau.*

CASUS XLVII. Gabriela ex Abbatia, ubi profeſſionem emiſerat, ut reformatrix vocata eſt ad Prioratum quemdam, qui ipſi Beneficii inſtar in titulum collatus eſt, ita ut juri in Abbatiam redeundi renunciaverit. Cum autem monialibus reformatio eſſet exoſa, eæque reſignationem Prioriſſæ inſtantiſſime urgerent, annuit ipſa cum propoſito in aliud monaſterium recipiendi ſeſe, utpote advertens, omnium animos ſibi eſſe infenſos, omnemque reformandi conatum fore fruſtraneum. Poteſtne ex ſuo Beneficio ſibi conſtituere moderatam penſionem, ut facilius in alio monaſterio tanquam privata monialis reciperetur ?

℟. Jure id poteſt *ſubventionis cauſa, & ne reſignans nimium patiatur diſpendium ex ſua reſignatione*, ut in ejusmodi reſignationibus in terminis exprimitur. Curandum autem, ut quoad penſionem in Romana Curia confirmatam, obtineatur etiam ratihabitio Principis territorialis, ne hac authoritate interpoſita moniales ſolutioni penſionis ſeſe opponere poſſint. *De Lamet.*

CASUS XLVIII. In quodam monaſterio monialium Epiſcopo ſubjecto ſingulis trienniis Superioriſſa eligebatur, vel ad novum triennium confirmabatur. Poteſtne Epiſcopus ſtatuere, ut Superioriſſa deinceps ſit perpetua ?

℟. Epiſcopus ſola ſua authoritate nequit Superioriſſam ex triennali facere pertetuam, vel ex perpetua triennalem ſine conſenſu monialium, conſuetudo enim, qualiscumque ſit, ſemel recepta quoad hoc retinenda eſt, cum utraque juri ſit conformis. Si vero hactenus ſemper variatum, & modo triennalis modo perpetua electa fuiſſet, Epiſcopus poſſet circa modum eligendi ſtabilitatem introducere, ita ut Superioriſſa ſit ſemper triennalis, vel ſemper perpetua ; prout nempe pro bono monaſterii, conſervatione regularis diſciplinæ, ac pace & tranquillitate monialium magis conducere ipſi viſum fuerit. *De Lamet.*

CASUS XLIX. Conſuetudo viget in quodam monaſterio, ut, ſi tres germanæ ſorores in eodem ſint profeſſæ, tertia & junior non habeat jus ſuffragii in Capitulo, donec alterutra duarum ſeniorum obierit. Tertia autem ſoror no-

viſſime profeſſa prætendit, non ſe, ſed primam ſororem, utpote ſpuriam & patri ante matrimonium natam jure ſuffragii eſſe privandam. Quid de hac conſuetudine, & de prætenſione tertiæ ſororis tenendum?

℞. Conſuetudo hæc eſt laudabilis, prudentiſſime recepta, & fideliter obſervanda. Ex defectu natalium jura non privant monialem profeſſam jure ſuffragii; maxime cum per plures jam annos illud exercuerit. Conſequenter non huic ſorori natu majori jus ſuffragandi ſuſpendendum eſt quamvis illegitimæ, ſed juniori etſi toro legitimo natæ. *Fromageau.* Vide caſ. 37. & 44.

CASUS L. Praxedes monialis in monaſterio, quod penitus devaſtatum eſt, obtinuit a Principe penſionem 1000. florenorum, & recepit ſe cum conſenſu Epiſcopi in monaſterium alterius Ordinis. Poteſtne de conceſſa ſibi penſione diſponere pro ſuo arbitrio?

℞. Non poteſt ea uti niſi ſecundum leges eccleſiaſticas ac conſtitutiones & regulam Ordinis, quem profeſſa eſt. Etiamſi non degat in monaſterio, in quo profeſſionem emiſit, tenetur tamen ad votum paupertatis, ac ſi in eo exiſteret. Hinc penſio tradenda Abbatiſſæ vel alteri moniali ad hoc deputatæ, quæ de neceſſariis ipſi providebunt. *Nemini Regularium tam virorum quam mulierum*, ait Tridentinum Seſſ. 25. *de Regul.* c. 2. *liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis aquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur. De Lamet.*

CASUS LI. Amalia puella ad omnia habiliſſima ſupplicat admitti in quodam monaſterio inter moniales ad chorum deputatas; ſed non habens ſufficientem dotem recipitur ſolum ut ſoror converſa. Poteſtne ſic profeſſa poſt aliquot annorum ſervitia humiliora adhuc admitti inter virgines capitulares ad chorum deputatas?

℞. Absque dubio poteſt admitti, ſi Capitulum conſenſerit; maxime cum puella hæc jam ante ſuſceptionem habitus id intenderit, & præter quantitatem dotis nil obſtiterit. Curare tamen haud abs re erit, ut ſuper hac mutatione Breve Apoſtolicum obtineatur, quo promovenda a nova annua probatione eximatur. *Fromageau.*

Nota. In Germania praxis univerſalis eſt, ut, ſi in monaſterio ſoror converſa inter virgines capitulares & Choro alligatas, vel frater converſus inter Clericos & presbyteros recipi velit, nec Breve Apoſtolicum, nec novus probationis annus, ſed præter idoneitatem ac dignitatem ſolus conſenſus Superioris ac Capituli requiratur.

CA-

CASUS LII. Pudentiana puella poſt vitam aliquamdiu in ſæculo libidinoſe transactam, ita ut ex turpi cum presbytero quodam commercio mater effecta fuerit, religionem profitetur in monaſterio, in quo per ſtatutum particulare a profeſſione arcentur omnes puellæ infamia notatæ. Hoc puellæ commercium eo tempore monaſterio prorſus erat incognitum; innotuit autem poſt aliquot annos. Quid de hac profeſſione ſentiendum?

℟. Profeſſio eſt valida: ex jure enim communi infamia non efficit eam invalidam, & ſtatutum particulare loci adjunctam non habet clauſulam irritantem; imo etſi adjunctam haberet hanc clauſulam, deberet eſſe approbatum & confirmatum a Sede Pontificia, ut juri communi derogare poſſit. Dein ſi etiam jura ob infamiam profeſſionem declararent irritam, profeſſio hujus puellæ adhuc valeret; quia tempore profeſſionis delictum profitentis necdum erat notorium ea notorietate, quæ requiritur ad inducendam infamiam. Jure ergo Pudentiana ut vere profeſſa aſſiſtit omnibus actibus capitularibus, donec a Superiore publice fuerit declarata ejus infamia; quod ſi contingat, privabitur voce activa & paſſiva, donec poſt veram ac manifeſtam emendationem, reparatumque ſcandalum denuo reſtituenda videatur in priſtina jura. *Fromageau.*

CASUS LIII. Alexia puella poſt rite transactum novitiatum & receptionem capitularem ac canonicam jam plane in articulo mortis, ut credebatur, conſtituta, ſui tamen plene compos profeſſionem emittit, conſentiente & approbante tota communitate. Superioriſſa autem, ut pinguiorem a patre dotem extorqueret, eidem indicavit, puellam jam denuo convaleſcentem ad ſolemnem ac publicam profeſſionem admiſſum haud iri, ni promiſſæ doti adhuc 1000. florenos adderet; cumque pater primæ conventioni inſiſtens renueret, Superioriſſa filiam velo ac regulari habitu violenter exui, ſæcularibus veſtibus indui, & injectis manibus extra conventum extrudi juſſit, ut ad patrem rediret. Quid de hoc caſu ſentiendum?

℟. Absque dubio Alexia veram, legitimam ac ſolemnem profeſſionem emiſit in ægritudine, ita ut pro genuina moniali profeſſa habenda ſit, nec amplius vota ſua renovare teneatur. Superioriſſa una cum omnibus ad tantam violentiam operam ſuam commodantibus excommunicationem incurrit. Præterea recurrendum eſt ad Epiſcopum, ut ejus authoritate puella revocetur ad monaſterium, eæque, a quibus fuerat extruſa, condignis pœnis caſtigentur. *Fro-*

CA-

CASUS LIV. In Communitatem quandam religioſam tanta aliquot abhinc annis irrepſit laxitas inter moniales juniores, ut, quoties placuerit, a divinis Officiis abſint, nec miſſam audiant, niſi diebus Dominicis ac feſtis, ac Sacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ per integros menſes non obeant. Seniores ingemiſcunt; malo mederi neſcientes; eo quod ad hæc omnia Superioriſſam conniventem cernant. Quid conſilii hac in re?

℞. Moniales iſtæ in peſſimo ſalutis ſtatu verſantur, tenetur enim perſona religioſa tendere ad perfectionem ſtatui congruam per media non quidem omnia, ſed ea certe, ut D. Thomas loquitur, *quæ determinate ei ſunt taxata ſecundum regulam, quam profeſſa eſt.* Moniales autem iſtæ, dum aberrant ab obſervatione regulæ, ſemper magis etiam aberrant a propria perfectione. Transgreſſio habitualis conſtitutionum regulæ, quamvis ſub peccato non obligent, ex mente Doctorum interpretativum contemptum continet. Accedit perturbatio ac confuſio inter ipſas moniales, animorum diviſio, ſcandalum, ac demum recedente benedictione divina totalis monaſterii ruina. Confeſſarii, qui moniales iſtas ſive ex ignorantia, ſive ex mollitie aut ignavia ab hac vivendi ratione non avertunt, cæci ſunt, ſeque cum cæcis, quas ducunt, in præcipitium agunt. Non poteſt ipſis abſolutio impertiri, niſi ſerio reſipiſcant, & præſcripta regulæ deinceps obſervaturas ſe ſpondeant. Quod ſi effectus non ſequatur, ſaniores & ſeniores ex monialibus obligandæ ſunt, ut ad Superiores ſe convertant, quorum eſt efficaciter curare, ut in tempore corruptioni obex ponatur, & regularis diſciplina non funditus evertatur. *Fromageau.*

Nota. Conſtanter obſervari poteſt, relaxationem diſciplinæ regularis in monaſteriis ſemper a junioribus inchoari, foveri, propagari & obfirmari, fruſtra reluctantibus ſenioribus, Superioribus autem quandoque ex timiditate aut cæco amore, & nonnunquam etiam ex neceſſitate conniventibus, maxime hoc ſæculo, quo jam una cum novitiis, ſicut ætate provectioribus, ita & mundana ſapientia, quæ ſtultitia eſt coram Deo, nimium ineſcatis mores ac placita ſæculi patente indies latius porta in monaſteria irruunt, majoremque identidem in religioſis communitatibus ſibi authoritatem arrogant, ad imperium usque. Introductæ a viris ſpiritu Dei plenis obſervantiæ circa minutiſſima quæque ut luſus puerorum deridentur. Humiliationes, punitiones, refrenationes, ſubordinationes, aliaque religionis piè uſitata exercitia, quibus olim regularis diſciplina ſuſtentabatur, ut abjecta ſervorum ac mancipiorum exercitamenta exſibilantur. Religioſa modeſtia in oculis, in locutione, in greſſu, in geſtu, in veſtitu, ac in omni converſatione. maxi-

maxime eum diverſo ſexu, quæ olim cuſtos virtutum credebatur, jam in ipſis monaſteriis ſæculariter ſapientibus ut vitiis characterer ruditatis, inurbanitatis, inſcitiæ, inhabilitatis, ac plebejæ ſimplicitatis notatur. Quid mirum, quod Deus noſtris hiſce temporibus tot virorum ac mulierum monaſteria per leges Principum funditus ſubverti permittat? Mitior tamen adhuc hæc pœna eſt, quam ſi religioſæ Communitates indies magis a convenienti rigore deficientes, ruptis demum repagulis ac ruentibus fulcris, a ſemet ipſis ſubverſas ſe brevi ingemiſcere, ac majori cum dedecore erubeſcere deberent. *Sic nos tu*, Deus! *viſitas, ſicut te colimus.*

CASUS LV. Viget in quodam monaſterio conſuetudo, ut moniales juramento ſpondere debeant, ne ſecreta Capituli manifeſtare velint. Tenenturne hoc juramento?

℟. In conſcientia tenentur ſervare juramentum, & quidem ſub peccato mortali; nec etiam acta capitularia minoris momenti manifeſtare poſſunt ſine gravi peccato ac perjurio, quod non recipit parvitatem materiæ. Si tamen Epiſcopus aut Superior advertat, juramentum hoc a majori parte Communitatis non obſervari, illud pro ſua prudentia, charitate ac diſcretione omnino abolere poſſet, ſevere tamen caſtigatis iis, quæ hucusque id violaſſe deprehenſæ fuerint. *Fromageau.*

Nota. Quæſtio hic moveri poſſet, utrum Superioriſſa ſciens, unam vel alteram ex monialibus nimium loquaces ſecreta Capituli jam ſæpius propalaſſe, poſſit deinceps negotia monaſterii vel de ſe, vel de jure communi aut locali, vel de conſuetudine capitulariter tractanda ſola ſua authoritate perficere, una tantum moniali vel altera in conſilium aſſumpta, & conſenſu Capituli prorſus non requiſito deſuper. Et reſponderi deberet, id contra manifeſtum jus & fas futurum; quia ſic capitulares etiam innocentes ac ſecreti tenaces juribus ſuis absque omni culpa ſpoliarentur: ejusmodi garrulæ voce capitulari privandæ, & ad tempus, donec ſilere didicerint, a Capitulo prorſus excludendæ, aut etiam pro rei exigentia aliis pœnis caſtigandæ ſunt, nullatenus autem ordine præpoſtero etiam innocentes puniendæ; quod non niſi cum graviſſimo totius communitatis detrimento fieret.

CASUS LVI. Hedwiges monialis Ordinis S. Dominici ut penſionaria translata eſt in cœnobium Canoniſſarum regularium, cui duæ ejusdem ſorores præſunt, Abbatiſſa &Prioriſſa. Debeturne illi aliqua prærogativa præ aliis monialibus in loco profeſſis? & num poteſt applicari ad officia domus honorifica?

℟. Si conſtitutiones particulares loci non obſtent, poteſt quidem permitti, ut loci profeſſas in choro, refectorio aut aliis actis publicis ac ſolemnibus præcedat, ac etiam ad officia domeſtica adhibeatur; id tamen non niſi cum conſen-

ſu

ſu omnium & ſingularum in communitate hac profeſſarum. Jus autem ad ejusmodi prærogativas omnino nullum habet. *Fromageau.*

CASUS LVII. Commiſſarius Epiſcopi ad electionem Superioriſſæ, cum poſt plura ſcrutinia non reperiretur canonica electio, nominat quamdam, quam cæteris digniorem & regendo monaſterio quoad ſpiritualia & temporalia magis idoneam judicaverat. Num jure?

℟. Habuit hoc jus; potueruntque moniales ipſi permittere poteſtatem de ſuis votis modo quocumqne meliore diſponendi; dummodo tamen in iis, quæ ab ipſo acta geſtaque fuere, non intervenerit defectus eſſentialis; reliqui defectus minoris momenti potuerunt ſuppleri ab Epiſcopo, & ſic electio reddi canonica. *Fromageau.*

CASUS LVIII. Carolina monialis profeſſionem emiſit cum hac reſtrictione mentali, quod nolit ſe obligare ultra ea, quæ in monaſterio practicata ac obſervata fuerunt tempore ingreſſus ſui. Teneturne ſubiicere ſe reformationi paulo poſt introducendæ?

℟. Tenetur, niſi bona fide ignoraverit, diſciplinam in hoc monaſterio eſſe collapſam & relaxatam, ac reformatione indigere. Si igitur bona fide & ex ſimplicitate fuit in hac ignorantia, vel debet adigi ad renovanda vota ea intentione abſoluta ac pura, qua Religio ea requirit & acceptat, vel ipſi permittendum, ut obtenta diſpenſatione tranſeat ad Ordinem mitiorem. *Fromageau.*

CASUS LIX. Non nullæ ex monialibus S. Claræ, quas *Urbaniſtas* dicunt ab Urbano IV., qui rigorem regulæ earum non nihil mitigaverat, conſtitutis ſibi a parentibus aut conſanguineis penſionibus utuntur ad paranda iis, a quibus ad Clathra inviſuntur, jentacula ac convivia, aut ad munuſcula aliis facienda; huncque in finem in cella ſua retinent cochlearia, aliaque vaſa argentea & pretioſa ad ſtruendam menſam inſervientia. Poſſuntne hæc permitti ſalva paupertate?

℟. Evidenter hæc adverſantur voto paupertatis. Neque obtenta ad hoc Superioriſſæ licentia ſecuras reddit conſcientias monialium iſtarum: non enim ea quidpiam relaxare poteſt in iis, quæ ſunt eſſentialia paupertatis. Confeſſarii non poſſunt abſolvere eas paupertatis votum tam aperte violantes. *De Lamet.* Vide Caſ. 11. 12. & 50.

CASUS LX. Angelica Abbatiſſa monaſterii, in quo laxior viget obſervantia, ſibi procurat & acceptat nominationem ad Abbatiam aliam ſtrictioris obſervantiæ, quin ferendo diſciplinæ rigori par eſſet. Juſtene? ℟. Si

℟. Si Abbatiſſa ob male affectam valetudinem non poſſit cum aliis obire uſitata exercitia religioſa ad præſcriptum regulæ ac conſtitutionum localium, tuta conſcientia nec ſibi procurare, nec oblatam acceptare potuit hanc Abbatiam: hanc enim conditionem Papa ſemper exigit, dum Breve translationem concedit. Quod ſi translatio facta jam eſſet, & Abbatiſſa quacumque demum ex ratione ad obſervantias Ordinis ac monaſterii inhabilem ſe ſentiret, nova indigeret diſpenſatione Superioris; quæ tamen nunquam ſtabiliter, ſed ſolum pro caſu neceſſitatis tranſeuntis, & quidem tunc non admodum facile concedenda eſt. *De Lamet.*

Nota. Ad translationem Religioſi vel monialis in alium Ordinem laxioris obſervantiæ opus eſt authoritate Apoſtolica; ad translationem vero ad aliud monaſterium ejusdem Ordinis ſufficit authoritas Epiſcopi vel Superioris.

CASUS LXI. Thecla Prioriſſa ſua ſe ſuperioritate abdicat, & in locum ſuum ſubſtituit Beatiſſimam Virginem. Quid de pia hac inſania cogitandum?

℟. Præpoſtera hæc devotio eſt contraria menti ac praxi Eccleſiæ. Hinc confeſſarius ſuaviter Prioriſſam hanc ſuum ad officium revocare ſtudeat, ſicque præcavere turbas, quæ in monaſterio hac de cauſa excitari poſſent. Si nolit reſipiſcere, monendus eſt Superior, ut convenientia poſſit adhibere remedia. *Fromageau.*

Vide *Abbas. Abbatiſſa. Monaſterium. Paupertas religioſa. Profeſſio. Votum.*

MONITORIUM.

1. Nomine *Monitorii* veniunt litteræ judicis eccleſiaſtici quibus ſubditi ſub pœna excommunicationis jubentur manifeſtare factum in iis indicatum, ſi veram ac certam ejusdem habeant notitiam. Ejusmodi monitoria conceduntur ad inſtantiam partis læſæ, & incurritur a non obtemperantibus excommunicatio, ſive ea exprimatur in monitorio ipſo, ſive ab eo ſit ſejuncta.

2. Monitorium promulgari debet tribus diebus Dominicis continuis, & poſt tertiam denunciationem præſtitui terminus, quo elapſo inobedientes mox incurrunt excommunicationem, ſi ea continetur in monitorio, aut ſi judex fert & publicandam decernit ſententiam, quæ ſtatuit excommunicationem; & hæc tertia monitio vocatur *edictum peremptori-*

ptorium; quia *perimit cauſam & tollit ſpem dilationis.* Solent tamen ex motivo charitatis ac commiſerationis quandoque huic ultimo edicto adhuc addi ſex, octo, duodecim aut quindecim dies, ut reus ſuperabundans habeat ſpatium reſipiſcendi, & mala excommunicationis evitandi, cujus effectus durante hoc tempore ſuſpenditur.

3. Cum juxta Concilium Tridentinum excommunicationes, ſi ab Epiſcopis non ſobrie ac circumſpecte ferantur, non ſolum reddantur contemptibiles, ſed & ſaluti animarum noxiæ conſtituit. 1. Ut excommunicatio non feratur, niſi præmiſſis monitionibus canonicis. 2. Ut monitorium non decernatur, niſi poſt maturam deliberationem, & in cauſa graviſſima, concurrente rei contumacia. 3. Ut judices eccleſiaſtici ſententias ſuas & edicta non per ipſam ſententiam excommunicationis exequendas curent, ſed per vias ordinarias, quæ ſunt coactiones temporales in bonis, aut etiam in ipſis perſonis condemnatis authoritate & auxilio brachii ſæcularis.

4. In caſibus, in quibus pronuncianda excommunicatio, non ſolum in pronunciante requiritur juriſdictio contentioſa, ſed & neceſſario præmitti debent tres monitones canonicæ; id quod locum non habet circa excommunicationes a jure latas, quæ incurruntur in ipſo inſtanti commiſſi criminis, cui annexa eſt excommunicationis pœna.

5. Conſanguinei & affines non tenentur vi monitorii deferre hujusmodi vinculo ſibi conjunctos. Idem dicendum de illis, qui bonum delinquenti ſuggeſſerunt conſilium: *nullus* enim *ex conſilio, dummodo frandulentum non fuerit, obligatur.* Et in hoc ſenſu interpretanda ſunt verba monitorii, quod inter reos comprehendere videtur etiam conſilium dantes: judex enim de iis ſolummodo loqui cenſendus eſt, qui pravis ſuis conſiliis criminis participes ſeſe reddiderunt. Dantur plures alii caſus, in quibus non datur obligatio manifeſtandi delinquentem, haud obſtante monitorio.

6. Quodlibet monitorium exprimere debet nomen & officium pronunciantis, ut deprehendi poſſit poteſtas ac juriſdictio illius ſive ordinaria ſive delegata, qua pollet hac in re.

7. Ordinarie dirigitur monitorium ab Officiali ad parochos; eo quod ſub miſſa parochiali ex cathedra promulgari debeat. Et ſi monitorio inſcriptum legitur, *ſeu aliis presbyteris*, hæc additio effectum non habet, niſi illud denunciare renueret parochus, cui ſoli de jure communi competit publice

blice monere, ac exhortari populum in ſua eccleſia, excommunicationesque promulgare; & ſi id recuſet, judicis eccleſiaſtici eſt curare, ut ſuppleatur hic defectus.

8. Diſcrimen intercedit *monitorium* inter & *monitionem*: monitio enim ſimplex eſt cohortatio, & correctio ex charitate proveniens, cum comminatione alicujus pœnæ conjuncta, ſi forte monitus emendare ſe nolit; monitorium autem mandatum eſt, vi cujus Superior eccleſiaſticus univerſis & ſingulis fidelibus ſub pœna excommunicationis præcipit, ut occultum quoddam crimen, prout noverint, patefaciant.

9. An monitorium ob res prorſus omnes tum temporales tum ſprituales concedi poſſit, deciſum hactenus non eſt. Epiſcoporum prudentiæ relinquitur, ut pro rerum gravitate & exigentia circumſtantiarum cenſuris eccleſiaſticis utantur; qua quidem in re non ita facile eſt certas aſſignare regulas. Aſſeri tamen poteſt, ob negotia mere civilia, in quibus nullius honor in diſcrimen adducitur, Eccleſiæ authoritate abutendum non eſſe. Poſſunt & debent concedi monitoria publici criminis cauſa, cui annexa eſt pœna temporalis.

CASUS I. Paternus civis Pariſienſis obtinuit, & executioni dandum curavit monitorium in quodam negotio, in quo unice agebatur de manifeſtatione & punitione cujusdam criminis; quod tamen prohibet Bulla S. Pii V. volentis, monitorio non niſi in cauſis civilibus utendum. An peccavit Paternus? Licuitne Superiori eccleſiaſtico concedere monitorium contra prohibitionem præfatæ Bullæ?

℞. Superior eccleſiaſticus potuit concedere, & Paternus petere monitorium absque omni peccato, maxime ubi Bulla Pii V. non eſt promulgata, nec recepta pro lege, ut in Gallia. Conſuetudo Bullæ contraria, quæ vix non ubivis viget, juri communi innititur, juſtitiæque apprime eſt conformis: ſi enim non liceret uti hac ſeveritate, pleraque crimina etiam atrociſſima, ut læſæ majeſtatis, rebellionis, ſacrilegii, aſſaſſinii &c. manerent impunita ex defectu probationum ſufficientium ad convincendos criminoſos, quod in maximum boni publici detrimentum cederet. *Pontas.*

CASUS II. Sigerius Archiepiſcopus in Germania conceſſit monitorium cuidam hæretico, in cauſa tamen maximi momenti. Peccavitne?

℞. Egit contra leges Eccleſiæ, adeoque peccavit graviter. Ita ſentiunt Eveillon Tract. *de Excomm. & Monitor.*

cap. 19. art. 1. & Author *Conferentiarum Condomienſium* Tom. 1. confer. 4. ſect. 2. Ipſæ leges civiles ejusmodi gratias ſubtrahunt iis, qui non profitentur Religionem catholicam: *Privilegia*, inquit lex 1. Cod. L. 1. T. 5. *quæ contemplatione religionis indulta ſunt, catholicæ tantum legis obſervatoribus prodeſſe oportet. Hæreticos non ſolum ab his privilegiis alienos eſſe volumus, ſed etiam diverſis muneribus conſtringi & ſubiici.* Ipſa eccleſia Gallicana, quamvis ejusdem diſciplina tempore hæreſum multa pertulerit, nunquam tamen conceſſit monitorium in favorem Calviniſtarum, niſi tantum ſub nomine Procuratoris Regii, qui ſolus habebat poteſtatem pro iis inquirendi. Quod hic dictum eſt de hæreticis, extendendum eſt etiam ad excommunicatos nominatim denunciatos, qui & ipſi hac gratia indigni reputantur. *Pontas.*

CASUS III. Aecolampadius hæreticus filiam ſuam undecim annos natam jam ab aliquo tempore ad religionem catholicam vehementer inclinare advertit; & hinc ex odio propoſiti, quod filia conceperat, peſſime eam habet, & hora noctis undecima domo ſua eiicit. Confugit illa ad viduam catholicam, a qua inſcio patre clam detinetur. Pater hæreticus filiam ſibi abreptam & in ſcelus inductam apud judicem conqueſtus ad requiſitionem procuratoris regii obtinet monitorium, per quod omnes, qui filiæ & commorationis ejusdem habent notitiam, id indicare jubentur. Vidua, cui id innotuit, puellam cuidam amicæ ſuæ ruri degenti in fide catholica erudiendam committit. Teneturne ad evitandam excommunicationem parere monitorio, & filiam patri reddere, aut ſaltem indicare locum, quo puella ſe detinet?

℟. Ad neutrum tenetur; imo nec amica ruri degens, cui puella in doctrina fidei inſtruenda tradita eſt, ad id obligatur: intentio enim judicis concedentis monitorium alia non fuit, quam ut manifeſtentur, qui puellam rapuerunt, aut ſeduxerunt, aut denique injuſte per vim vel fraudem inſcio patre retinent, quod hic non verificatur. Imo opus eximiæ charitatis exercuit vidua, dum puellam miſeram, & media nocte domo paterna ejectam recepit, illique viam monſtravit, qua iniqui ac inhumaniſſimi parentis violentiam declinare poſſet. Verum ne ob actionem ac inſtantiam patris in judicio ſiniſtri quid accidat piis hiſce mulieribus, prudentiæ conſentaneum erit, ut ipſa filia ſe ſiſtat judici catholico, eique declaret, ſe a nemine abreptam, nec ſeductam fuiſſe, ſed propria voluntate ſtatuiſſe amplecti

ſti religionem catholicam, ac hunc in finem protectionem ipſius imploret, quæ ipſi denegari haud poterit. *Pontas.*

CASUS IV, Gallinicus abſtulit Publio mille florenos, & iſte obtinuit monitorium ad detegendum furem. An Gallinicus ſub pœna excommunicationis tenetur ſemet ipſum prodere ?

℟. Author criminis, cujus cauſa monitorium publicatum eſt, ut dicit Evellion *de excomm. & monitor.* cap. 23. art. 2. §. 2. non tenetur denunciare ſemet ipſum; tenetur tamen ad reſtitutionem & reparationem damni parti læſæ faciendam. Ratio eſt 1. Quia ejusmodi manifeſtatio fieri non poſſet, quin contrahatur infamia, & propria vita exponatur periculo; quod eſt contra jus naturale, vi cujus, non obſtante monitorio, ne quidem tenetur quis manifeſtare propiores conſanguineos aut affines, ut ſunt pater, mater, frater, ſoror, nepos, neptis, maritus, uxor &c. multo ergo minus ſe ipſum. 2. Ipſa intentio Superioris decernentis monitorium non eſt, ut reus denunciet ſe ipſum; & hinc quandoque in ipſo monitorio additur hæc exceptio: *Excepta parte & ejus conſilio.* Idem dicendum de complice criminis. Notandum hic, monitorium reſpectu ipſius delinquentis ſaltem id operari, ut ſub pœna excommunicationis, ſi poſſibile ſit, teneatur ſatisfacere parti læſæ vel per ſe ipſum, vel per alium. *Pontas.*

CASUS V. Evodius parochus promulgavit monitorium in cauſa damni graviſſimi per furtum Balduino illati. Mathildes furti rea Evodio parocho confitetur cum promiſſione reſtituendi ſummam ablatam, omnesque expenſas cum lucro ceſſante & damno emergente per manus parochi Balduino reſarciendi; rogat ſimul, ut ſecundam & tertiam monitorii denunciationem omittat. Poteſtne parochus ex charitate erga pœnitentem reſiduas denunciationes prætermittere?

℟. Juſtitia hic charitati prævalere debet; & Evodius in conſcientia tenetur continuare publicationes monitorii, usque dum Mathildes plene ac ex integro ſatisfecerit: fieri enim poſſet, ut Mathildes promiſſa non ſervet, & Balduino tunc ſufficientia ad excuſandam omiſſionem publicationum argumenta non ſuppetant. Confeſſio parocho a delinquente depoſita nequaquam eum permovere debet ad interrumpendam formam proceſſus ordinariam; *Si ille*, ait Alexander III. Cap. *Si Sacerdos.* 2. Lib. 1. Tit. 31. *cui damnum illatum eſt, petierit juſtitiam, poteſt excommunicare authorem damni, licet etiam ei confeſſus ſit; ſed tamen non nominatim poteſt eum removere a communione, licet ſciat eum eſſe reum; quia non*

ut judex ſcit, *ſed ut Deus.* Itaque parocho nunquam licet ſuſpendere publicationem monitorii, niſi de conſenſu expreſſo Epiſcopi vel Officialis, aut ſaltem partium, quarum intereſt. *Pontas.*

CASUS VI. Hervæus notabilem pecuniæ ſummam abſtulit Simoni, qui, ut in notitiam furis veniret, & probationes ad eum convincendum conquireret, publicandum curat monitorium. Vincentius conſcius eſt furti ita ut Hervæum de eo convincere poſſet. Teneturne hic monere Hærvæum, ut reſtituat, antequam illum denunciet?

℟. Si furtum ita eſt occultum, ut Hervæus extra omnem ſuſpicionem ſit poſitus, charitas Vincentium obligat, ut fraternæ correctionis præceptum adimpleat. Si vero Hervæus paſſim jam ut author criminis habetur, tenetur eum denunciare. Obſervandum autem juxta Authorem *Conferentiarum Andegavenſium* menſe Nov. 1711. q. 1. pag. 482. quod in primo caſu monitio ſecreta caute fieri debeat, ne cedat in præjudicium partis læſæ. *Pontas.*

CASUS VII. Pomponius centum recepit florenos, ne denunciet furtum, cujus & ipſe complex erat. Teneturne redditis centum florenis denunciare furtum, cujus notitiam habet? Et num ad eam denunciationem obligaretur, ſi eam per integrum jam annum neglexiſſet?

℟. Salva conſcientia centum florenos retinere non poteſt. Cum tamen ipſe ſit complex criminis, ſe ipſum denunciare non tenetur: tenetur tamen ad reſtitutionem ablati, ſi eandem author principalis facere negligat. Poſito autem, quod furti hujus complex non eſſet, attamen denunciationem ejuſdem per integrum a promulgato excommunicationis edicto annum omiſiſſet, dicendum videtur, quod non amplius ad denunciationem teneatur ob infamiam, quam ipſemet ob tantam dilationem ſibi contraheret. Verum in conſcientia obligatur ad omnia adhibenda media, quæcumque Chriſtiana prudentia ſuggerere poteſt, ut permoveat authorem furti ad compenſandum integrum damnum, aut, ut dictum jam eſt, in ejuſdem defectu ipſe compenſet. Sic ſentit S. Beuve tom. 3. caſ. 196. *Pontas.*

CASUS VIII. Joachimus non culpa ſua, ſed injuria temporum ceſſionem bonorum facere compellitur; & hinc ſtatum ſuum ſub fide Secreti patefacit amico, aut advocato, aut notario ſuo, conſilium ab iis accepturus. Interim contra Joachimum & conſcios publicatur monitorium. Conſcii teneturne in conſcientia manifeſtare ſub arcano ſibi concredita?

℟. Cer-

℟. Certum eſt, eos non teneri. Ratio eſt, quam allegat D. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. quia obligatio ſervandi ſecretum eſt juris naturalis, & conſequenter prævalet obligationi omnium legum humanarum, dum agitur de re non directe adverſante bono publico, ita ut nec judex nec ſuperior quemquam obligare poſſit ad revelanda ea, quorum quis notitiam hauſit ſub fide arcani. Idem dicendum quoad medicos, chirurgos, pharmacopolas, & obſtetrices, quibus quandoque pandi ſolent quædam infirmitates corporales ſub tacita conditione, ut ſervent ſecretum; in quibus omnibus intentio Eccleſiæ, & quorumvis Superiorum nec eſt, nec eſſe licite poteſt, ut manifeſtetur concreditum, quod ſub obligatione naturali ſervari debet ab omnibus. Et in hiſce circumſtantiis, ut loquuntur inſignes quidam Theologi, Deus eximit inferiores ab obligatione obediendi Superioribus. Excipiendi tamen ſunt duo caſus: 1. Si crimen ſolum animo conceptum, & necdum opere completum tendat ad damnum temporale vel ſpirituale reipublicæ, aut etiam perſonæ privatæ: tunc enim manifeſtandum eſt crimen, inquantum id opus eſt ad præcavendum damnum. 2. Si agitur de impedimento dirimente matrimonii. *Pontas.*

CASUS IX. Berardus foro cedere compulſus, creditoribus in omnia ipſius bona immiſſis, in domo cujusdam amici ſe abſcondit, quod & duo vicini noverunt. Promulgatum eſt hac ſuper re monitorium. Teneturne amicus, & in ejus defectu duo vicini eum prodere?

℟. Si occultatio Berardi præjudicat creditoribus, ut ſi notabilem ſummam ſubtraxiſſe ſciretur, amicus tenetur eum prodere. Si autem ex manifeſtatione ejusdem nullum prorſus creditoribus emolumentum advenit, nec amicus, nec duo vicini tenentur eum detegere. Ratio eſt; quia jus naturale dictat, ut miſeris præſtetur auxilium, inquantum id ſine alterius injuria fieri poteſt; nec Eccleſiæ concedentis monitorium intentio unquam eſt, ut in hiſce circumſtantiis officium charitatis eſſentiale proximo ſubtrahatur. *Pontas.*

CASUS X. Guerinus, antequam ceſſerat bonis ſuis, ſolvit Renato & Jacobo debitum, unicuique 200. florenos, clam illis propoſitum ſuum manifeſtans. Facta ceſſione creditores, curant publicari monitorium, vi cujus omnes, qui habent actorum notitiam, ea manifeſtare jubentur, ſecus cenſuras incurſuri. Renatus & Jacobus, ſoluto ſibi in præjudicium aliorum creditorum debito, teneturne aperire, quæ contigerunt eo tempore, quo Guerinus bonis

cedendi propoſitum jam habuerat, debitum nimirum ſibi eſſe ſolutum?

℟. Non tenentur in conſcientia parere huic monitorio: ſi enim id faterentur, ſupponeretur in foro externo, ex parte ipſorum interceſſiſſe fraudem, & ſic cogerentur reſtituere debitum ſolutum, ad quod tamen in foro interno non obligantur; quia debitum erat legitimum, & a Guerino ſolutum non ex alienis, ſed ex bonis propriis, in quorum poſſeſſionem reliqui creditores necdum erant immiſſi. Si vero ante ſolutionem hujus debiti ceſſio bonorum fuiſſet facta, & bona debitoris authoritate judiciali jam occupaſſent creditores, ſolutum omnino deberet reſtitui, & referri ad maſſam communem, ut leges expreſſe ſtatuunt. *Pontas.*

CASUS XI. Gallerius foro ceſſurus rogat Firminum amicum ſuum, ut commodato nomine ſub titulo quodam ſpecioſo a ſe confiсto partem bonorum ad ſe recipiat, ſuum tamen propoſitum ipſi celat. Firminus nulli hominum id in præjudicium ceſſurum exiſtimans conſentit. Octo poſt diebus Firminus clam rem geſtam confidit Dionyſio, & paulo poſt fraudulentam bonorum ceſſionem fecerat Gallerius, & creditores impetrant monitorium. Teneturne Firminus, & in ejus defectu Dionyſius in conſcientia detegere factum?

℟. Haud dubie tenetur Firminus, & eo id facere negligente Dionyſius. Firmino autem factum manifeſtante Dionyſius ad denunciationem, utpote inutilem, haud amplius obligatur. Ratio eſt; quia agitur de damno tertii, creditorum ſcilicet, qui privarentur bonis ſuis, ſi fraus Gallerii non detegeretur. *Pontas.*

CASUS XII. Flaminius occidit Lambertum, cujus uxor & liberi ad detegendum occiſorem obtinent monitorium, vi cujus quinto poſt tertiam denunciationem die omnes, qui habentes occiſoris notitiam eum non manifeſtaverint, ipſo facto excommunicationem incurrant. An nepos Flaminii incurrit excommunicationem, ſi prodere nolit patruum ſuum, quem ſcit homicidii eſſe reum?

℟. Certum eſt, quod non teneatur manifeſtare crimen propinqui ſui, & conſequenter non incurrat excommunicationem, dum non paret monitorio: res enim propinquorum tanquam res propriæ æſtimandæ ſunt ob mutuam connexionem amicitiæ; cum ergo nemo teneatur prodere ſe ipſum, etiam non obligabitur prodere propinquum. *Vide Caſ.* 4. Excipitur tamen crimen læſæ majeſtatis, & clam ſparſæ hæreſis. *Pontas.*

CA-

CASUS XIII. Bertilla ancilla Luciani ſcit, herum ſuum fraudulentam feciſſe ceſſionem bonorum; qua de cauſa creditores obtinuerunt monitorium. Poteſtne celare fraudem domini ſui, quin incurrat excommunicationem?

℟. Authores non concordant in ſolutione hujus quæſtionis. S. Beuve & Authores Conferentiarum Condomienſium & Andegavenſium tenent, domeſticos in ſimili caſu non obligari ad manifeſtationem criminis a domino ſuo commiſſi. Verum eorum rationes tantæ non ſunt, ut nos ad ſubſcribendum permoveant. Rarum eſſe videtur, domeſticis notabile damnum imminere, ſi pareant monitorio contra dominum ſuum promulgato. Verum quidem eſt, quod domeſticus teneatur ad legem ſecreti, id eſt, quod regulariter loquendo male faciat, ſi revelet ſecreta domini ſui iis, quorum ea ſcire haud intereſt; ſed id ſolum intelligendum de caſu; in quo non damnificatur tertius. In præſente autem caſu ſilentium Bertillæ maximum damnum infert creditoribus, qui bona ſua injuſte ſubtracta recuperare poſſent, ſi pateſceret veritas, quod judex decernendo monitorium unice intendit. In conſcientia igitur Bertilla tenetur manifeſtare fraudem Luciani, & ſi hoc omittat, excommunicationem incurrit. *Pontas.*

Nota. Ex hac ipſa reſponſione ſequitur domeſticum, qui merito grave ſibi damnum timet ex manifeſtatione criminis a domino ſuo commiſſi, non obligari ad parendum monitorio.

CASUS XIV. Raculfus civis Pariſienſis parochianus ad S. Euſtachium ad feſta Pentecoſtes ſe confert Verſalias, ubi in cauſa graviſſimi momenti, cujus plenam habet notitiam, publicari audit monitorium, quod in parochia S. Euſtachii promulgatum non eſt. Teneturne ſub peccato manifeſtare factum, quod novit?

℟. In rigore loquendo non tenetur vi publicationis monitorii Verſaliis factæ, tenetur tamen ex ſubmiſſione & obedientia, quam debet conſtitutionibus Superioris ſui ſufficienter, quomodocumque demum, ſibi promulgatis; imo in quibusdam caſibus tenetur ex ipſa natura facti. Falſum eſt, ſolos parochianos, in quorum parochia promulgatur monitorium, obligari ad obedientiam mandato Epiſcopi præſtandam: id enim conceptum eſt terminis generalibus, & comprehendit omnes diœceſanos, ſicque obligat omnes, cujuscumque ſint parochiæ. Ad hæc ſortiuntur monitoria vim obligandi non ab authoritate parochi publicantis, ſed a ſola authoritate Ordinarii ea decernentis, cui diœceſani

omnes quoad hoc parere tenentur. Fundatur hæc reſponſio in doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 83. art. 1. C. *Pontas.*

CASUS XV. Renatus plenam de re graviſſimi momenti, cujus cauſa publicari audivit monitorium, notitiam habet. Peccavitne, dum factum, quod mox poſt primam denunciationem manifeſtare potuiſſet, primum manifeſtavit poſt tertiam?

℟. Popularis error eſt, quod quis non teneatur detegere veritatem per monitorium quæſitam, niſi primum poſt tertiam denunciationem; mox poſt primam publicationem urget hæc obligatio: obedientia enim debet eſſe prompta, & ex dilatione denunciationis ſæpe reo præbetur occaſio vel aufugiendi, vel ſubducendi probationes, cum graviſſimo damno illius, in cujus favorem conceſſum fuit monitorium. *Pontas.*

CASUS XVI. Cantius Epiſcopus Nocerienſis juſſit promulgari monitorium in cauſa furti. Promulgatio tribus diebus Dominicis continuis facta eſt cum addito, illos, qui notitiam haberent, teneri ad manifeſtandum furtum, ſecus excommunicationem ipſo facto incurſuros, ſi intra ſex dies tertiam publicationem ſequentes id facere neglexerint. Biduo poſt ultimam promulgationem moritur Epiſcopus. Impeditne hæc mors, quo minus Joannes, qui novit furem, nec hactenus denunciavit, elapſis ſex diebus incurrat excommunicationem?

℟. Mors hujus Epiſcopi cum ante contractam excommunicationem contigerit, tollit omnem excommunicationis effectum, ita ut ea non amplius incurratur a Joanne, etſi furem non manifeſtet. Ratio, quam Cabaſſutius *Jur. Can. Theor. & prax.* L. 5. c. 15. n. fin. aſſignat, eſt; quia Epiſcopus aut Officialis non decernit monitorium ut legiſlator, ſed ſolum ut judex particularis: jurisdictio autem judicis expirat per mortem illius; & conſequenter vis obligatoria monitorii definit ab eo momento, quo ille, cujus authoritate decretum & publicatum eſt, moritur, aut deponitur; nec ea obligatio obediendi reviviſcere poteſt, niſi per authoritatem ſucceſſoris aut Capituli, ad quod ſede vacante devolvitur jurisdictio epiſcopalis. *Pontas.*

CASUS XVII. Guilielmus certo ſcit, Oliverium, qui impetravit monitorium ad detegendum authorem furti in domo ſua commiſſi, ſufficientia jam habere ad convincendum furem argumenta. An hoc non obſtante tenetur manifeſtare ea, quæ novit?

℟. Te

℟. Tenetur Guillelmus omnia ſibi nota manifeſtare ex triplici potiſſimum ratione : 1. quia Eccleſia nullum cenſetur velle excipere caſum , quando manifeſtatio parti læſæ prodeſt. 2. Quia non eſt hominis privati examinare & judicare , utrum probationes jam notæ ſint ſatis convincentes. 3. Quia nova argumenta a Guillelmo afferenda parti læſæ magis profutura creduntur : non enim certum eſt , an non reo ſuppetant media priora argumenta enervandi per exceptionem, recuſationem teſtium , aut alio quovis modo; cum quotidianum ſit , quod a ſubdolis probationes , quæ videntur validiſſimæ ac convincentes , per fas & nefas , per fraudem & aſtutiam penitus evertantur. Ita ſentit Author *Conferentiarum Condomienſium* Tom. 1. Conf. 4. ſect. 3. *Pontas.*

CASUS XVIII. Coriolanus cum occulte ſeminaſſet doctrinam hæreticam , & quosdam jam ſeduxiſſet , Officialis tribus vicibus publicari juſſit monitorium ad detegendum authorem , quod & promulgatum eſt. Paulus ſcit quidem , Coriolanum eſſe authorem , ſed certo quoque ipſi conſtat, eum jam eſſe converſum , & omnem adhibere conatum , ut reducat ſeductos. An nihilominus tenetur denunciare reum ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ , & contra ſe ut conſcium proxima Dominica pronunciandæ ?

℟. Præcipua intentio Eccleſiæ comminantis aut exequentis pœnam excommunicationis alia non eſt , quam ut peccatores convertantur , & ad ſaniora redeant. Indubitata hac veritate præſuppoſita facile eſt concludere , quod Paulus certo ſciens , Coriolanum eſſe converſum , & pro viribus conari , ut & ſeducti a ſe convertantur , nec debeat , nec ſine gravi peccato contra charitatem Chriſtianam poſſit vel judici , vel cuivis alteri perſonæ detegere crimen occultum Coriolani. Paulus igitur tenetur ſervare inviolabile ſecretum hac in re ; cum certum ſit , excommunicationem pronunciandam nec Paulum nec Coriolanum affecturam. Sic ſentiunt Navarrus , Sayrus , Petrus Navarra , Cardinalis Toletus , Eveillon , & plures alii. Si tamen crimen hoc in publico jam foret notorium , aut monitorium fuiſſet conceſſum ad requiſitionem procuratoris regii aut Principis, tanquam miniſtri publici juſtitiæ , daretur obligatio manifeſtandi ſeminatorem hæreſis ; quia in hoc caſu finis monitorii non foret ſola converſio peccantis , ſed etiam punitio criminis , & reparatio dati ſcandali. *Pontas.*

CASUS XIX. Alexius præmeditate Antonium ſecreto occidit , & homicidii hujus teſtis oculatus eſt Petrus ; qui tamen ſcit , Alexium extra omnem ſuſpicionem eſſe poſitum ,

& ſuum unius teſtimonium ad reum condemnandum haud fore ſufficiens. Licitene crimen reticet, non obſtante monitorio a procuratore regio, ut haberentur argumenta, impetrato ac promulgato?

℟. Navarrus & Eveillon cum pluribus aliis exiſtimant, Petrum non obligari ad detegendum id, quod vidit ſolus; fundanturque in decretali Innocentii III. qui cap. *Qualiter.* 17. Lib. 5. Tit. 1. dum loquitur de juramento dicendæ veritatis, quod a teſtibus deponendum, excipit crimina occulta. Nituntur quoque Authores iſti authoritate S. Auguſtini Can. *Plerumque.* 27. cauſ. 2. q. 7. dicentis: *Plerumque boni viri propterea ſufferunt aliorum peccata, & tacent; quia ſæpe deſeruntur publicis documentis, quibus ea, quæ ipſi ſciunt, judicibus probare non poſſunt.* Confirmari poteſt hæc reſponſio per illud tritum juris: *Unus teſtis, nullus teſtis. Pontas.*

CASUS XX. Lyſander juvenis duodecim aut tredecim annorum vidit, raptam eſſe nobilem puellam. Publicato ad obtinenda raptus argumenta monitorio vir alius, qui erat cum Lyſandro, jam depoſuit: Quæritur, utrum & ipſe Lyſander crimen denunciare teneatur.

℟. Antiquitus quidem Eccleſia non admiſit impuberes ad teſtificandum: Concilium enim Carthaginenſe VII. de anno 419. dicit: *Ad teſtimonium autem infra annos quatuordecim ætatis ſuæ non admittantur.* Negari tamen non poteſt, etiam teſtimonia impuberum multum prodeſſe illis, in quorum gratiam promulgatur monitorium, eaque ſervire poſſe ad melius indagandam ac magis elucidandam veritatem. Dicendum igitur, etiam Lyſandrum, licet impuberem obligari vi monitorii ad ea deteganda, quæ vidit. *Pontas.*

NOTA. Impuberes in teſtes adhibendi ſunt ſolum circa crimina per jus excepta, de quorum malitioſa commiſſione vel machinatione præceſſit ſemiplena probatio.

CASUS XXI. Ithacius reus furti 1000. Imperialium a judicibus indagatus aufugit, & vadimonii contumaciter deſerti nomine ad mortem damnatus eſt, omnibus ejus bonis fiſco addictis, ſepoſitis 1500. florenis, ut illi reſtituantur, cui fuerunt ablati. Domeſticus Ithacii, cui ob præſtita ſervitia debebantur 100. floreni, cum de ſolutione jam deſperaret, reperit ejusmodi ſummam a domino ſuo abſconditam, eamque pro ſuo ſalario retinet. Publicatur monitorium, quod excommunicationem ipſo facto minitatur omnibus, quicumque aliquid bonorum aut rerum ad Ithacium

cium pertinentium haberent. An domeſticus tenetur fateri ſub pœna excommunicationis, quod debitum ſibi ſalarium clam ſubtraxerit?

℟. Cum domeſticus iſte hanc ſummam injuſte non retineat, non tenetur id indicare; nec incurrit cenſuras, ſi fateri renuat. Imo ſi & alii ſcirent, eum pro legitima compenſatione accepiſſe hanc ſummam, ad id manifeſtandum non tenerentur. Ita cum Eveillonio ſentiunt Authores inſignes plurimi, qui docent, in ſimili caſu nullam dari obligationem parendi monitorio, etiamſi Superior eccleſiaſticus expreſſe comprehendat eos quoque, qui ex rebus Ithacii ſibi ſumpſiſſent quidpiam per modum juſtæ compenſationis; quia in hujusmodi caſu non ſolum non detineretur res aliena, ſed etiam monitorium id præcipiens foret quoad hoc injuſtum, ſicque nullam pareret obligationem, utpote contrarium juri naturali. *Pontas.*

CASUS XXII. Narſes toparcha, cui ſoli competit jus columbarii, ſcit, quemdam ex ſuis vaſallis ſæpe enecare columbas ad ſe pertinentes. Ut itaque eum convincere ac punire poſſit, impetravit monitorium, quo ſub excommunicatione jubetur denunciari reus. Duo vicini ſciunt authorem facti, quem non ſemel in ipſo facinore deprehenderunt. Tenentune ſub pœna cenſurarum illum denunciare?

℟. Non eſt dubium, ruſticum hunc occidendo columbas graviter peccare, cum id leges prohibeant; tenenturque conſcii injuſtitiæ eum denunciare ex obedientia, quam debent Eccleſiæ, quæ juxta Concilium Tridentinum Seſſ. 25. *de reform.* c. 3. jus habet obligandi per cenſuras ad reparationem damni injuſte illati. *Pontas.*

NOTA. Si ruſticus columbas occidit ob damna notabilia feminibus ac ſegeti illata, ſine ulla ſpe obtinendi compenſationem, non peccat; ac proin non eſt denunciandus.

CASUS XXIII. Alphaida raræ pietatis fœmina audivit promulgari monitorium ad detegendum authorem cujusdam homicidii. Illa a pluribus perſonis audierat, Fulbertum eſſe homicidam; & hinc conſulit parochum ſuum, utrum eum manifeſtare teneatur. Quid ipſi reſpondendum?

℟. Si nullam aliam facti hujus notitiam habet, parochus reſpondere poteſt, eam ad manifeſtationem non obligari. Si vero non absque fundamento de utilitate vel inutilitate ſuæ denunciationis dubitat, tenetur authorem criminis detegere, ſalvo jure judicis utendi vel non utendi

hac

hac denunciatione, prout ipſi viſum fuerit. Ratio eſt; quia lex ad manifeſtationem obligans, cum ſit certa ac evidens, neceſſario obedientiam exigit, ſi cauſa exemptionis ab hac lege non eſt æque certa & evidens. Dein fieri poteſt, ut declaratio Alphaidæ conjuncta cum aliis conjecturis violentis judici ſit utilis juxta illam regulam: *Quæ non proſunt ſingula, multa juvant.* Perſonæ, quæ vi monitorii indicare tenentur, quod ſciunt, his S. Auguſtini verbis Can. *Hoc videtur.* 8. Cauſ. 22. q. 5. comprehenduntur: *Si teſtis fuit, aut vidit, aut conſcius fuit, id eſt, aliquo modo cognovit, Pontas.*

CASUS XXIV. Panaſius in actione contra Jordanum ob cauſam mere civilem, cum indigeret argumentis alia via non procurandis, impetravit monitorium. An licuit judici laico id admittere, & eccleſiaſtico illud concedere, quin peccaret contra mentem ac intentionem Eccleſiæ?

℟. Juxta Fevretum Tract. *de Abus.* L. 7. c. 2. n. 30. monitoria etiam in cauſis mere civilibus locum habere poſſunt. Intentio tamen Eccleſiæ non eſt ea concedendi, niſi ob cauſas extraordinarias, & graviſſimi momenti, *non aliàs quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter ac magna maturitate per Epiſcopum examinata*, ut loquitur Tridentinum Seſſ. 25. *de reform.* c. 3. Hinc Romæ Vicarius Papæ monitoria non concedit, niſi damnum, de quo agitur, æſtimetur ad minimum 200. florenis, ut obſervat Fevretus, *dummodo petentis usque ad ducatos* 50. *interſit.* Judicum itaque laicorum & eccleſiaſticorum eſt accurate examinare, utrum damnum, de quo agitur, ſit cenſendum momenti gravioris, non vulgaris. *Pontas.*

CASUS XXV. Geminius parochus ſabbato ante Dominicam Paſſionis recepit ab Officiali monitorium, in quo declarantur excommunicati ipſo facto, qui intra ſex dies proximos poſt ultimam publicationem non denunciaverint facta in monitorio expreſſa, ſi eorumdem notitiam habent. Primam itaque publicationem facit in Dominica Paſſionis, alteram in Dominica Palmarum; dubitat autem, utrum tertiam facere debeat in die Paſchatis. Quid dicendum?

℟. Parochus abſque nota inobedientiæ non poteſt recuſare publicationem monitorii, quod vel ab Epiſcopo vel ab Officiali recepit, aut interrumpere publicationes ſine expreſſo unius aut alterius mandato, vel niſi impetrans id petierit, aut interpoſita fuerit legitima oppoſitio. Nihilominus intentio Eccleſiæ non eſt, ut fiant hujusmodi publicationes diebus Paſchatis, Pentecoſtes & Nativitatis Domini, ſi fors in

Domi-

Dominicam inciderit, maxime cum tertia publicatio continet cenſuras ipſo facto iucurrendas. Ratio eſt; quia non decet, ut dies illi, quibus fideles per univerſum orbem ſpirituali gaudio exultant ex celebratione præcipuorum Religionis myſteriorum, mærore obfuſcentur & afflictione, quam parit Eccleſiæ reſectio membrorum a corpore, & condemnatio liberorum, quorum ſalutem unice cordi habet mater piiſſima. Et hinc in præſente caſu præſumendum eſt, intentionem Superioris non eſſe, ut tertia publicatio fiat die Paſchatis; imo ne quidem fieri debet, niſi Superior ſpecialiter ac expreſſe id juſſerit. *Pontas.*

CASUS XXVI. Lazarus ſufficientibus argumentis Gualterum convincere poteſt de ablata ſibi per furtum obligatione 3000. florenorum. Furem tamen non ſolum per judicem laicum, ſed & per eccleſiaſticum puniri volens, monitorium ſibi concedi poſtulat. Licetne Epiſcopo illud concedere?

℞. Si Epiſcopo certo conſtat, Gualterum a Lazaro, etiam non habito monitorio, de furto ſufficienter convinci poſſe, non licet concedere monitorium, quod ſolum adhiberi poteſt in defectu probationum. Illudit Eccleſiæ, qui ejus authoritate fulciri petit abſque omni neceſſitate. *Pontas.*

CASUS XXVII. Joannes a Petro audivit, Paulum ſe præſente Odiloni abſtuliſſe 40. aureos. Odilo obtinuit monitorium contra omnes, qui facti in eo expreſſi notitiam haberent, comprehenſis etiam iis, qui factum ex teſtimonio alterius ſcirent. Teneturne Joannes in conſcientia, & ſub pœna excommunicationis authorem furti detegere, etiamſi ſciat, eum a Petro jam fuiſſe detectum?

℞. In hoc caſu Joannes non tenetur detegere furem; cum ejus teſtimonium foret prorſus inutile. *Cum jam revelavit is, a quo didiciſti*, inquit Bail *de exam. pœnit.* part. 2. q. 68. *non teneris amplius revelare; nam judex ex eo teſtimonio certior fieri non poteſt. Pontas.*

CASUS XXVIII. Pelagius nominetenus excommunicatus ac denunciatus, cum tranſiret per ſilvam, ex inſidiis latronum graviter ac periculoſe vulneratus eſt. Hinc recurrit ad judicem, facti ſeriem expoſiturus, rogaturusque, ut ſibi liceat petere monitorium. Poteſtne judex id permittere? Aut eo ſors permittente num judici eccleſiaſtico licebit illud concedere?

℞. Excommunicatus juxta Gregorium IX. Cap. *Immunitatem.* fin. Lib. 3. Tit. 49. nec auxilio, nec protectione Eccleſiæ dignus eſt; et hinc, licet judex ſæcularis

ex

ex errore permiſerit, judex tamen eccleſiaſticus nec poteſt, nec debet ei concedere monitorium. Concilium Toloſanum habitum anno 1590, ait: *Nullæ in excommunicati, aut perditi ſceleſtique hominis gratiam excommunicationes decernantur.* Ex quo colligitur, quod Concilium peccatores publicos quoad hoc excommunicatis æquiparet. Et certe ejusmodi nefarii homines non poſſunt petere monitorium conformiter ad leges Chriſtianiſmi, niſi ut ſcelerati mediantibus cenſuris pertrahantur ad exhibendam debitam proximo juſtitiam, & convertantur; qua autem veriſimilitudine intentio adeo pia ſupponi poterit in iis, qui vivunt in ſtatu peſſimo, & nec ullam propriæ ſuæ ſalutis curam habent. Cœleſtinus III. Cap. *Præterea* 7. Lib. 2. Tit. 21. infames ne quidem ut teſtes admittendos eſſe aſſerit. *Pontas.*

CASUS XXIX. Polidorus civis Pariſienſis Lugdunum ſe contulit, ubi audit, Pariſiis promulgatum eſſe monitorium in cauſa criminis perbene ſibi nota. Teneturne, licet abſens, manifeſtare ea, quæ novit?

℟. 1. Si non niſi ad tempus Lugdunum ſe contulit, cenſetur adhuc ſubjectus juriſdictioni Epiſcopi Pariſienſis, poſito quod prima publicatio facta fuerit ante ejus diſceſſum ex diœceſi; & conſequenter tenetur ad denunciationem. Si vero monitorium non niſi poſt ejus diſceſſum promulgari cœpiſſet, totusque proceſſus in ejus abſentia peractus fuiſſet, non tenetur ad denunciationem. Ratio eſt; quia publicatio monitorii eſt actus juriſdictionis, qui obligare nequit niſi exiſtentes in territorio, id eſt, in diœceſi, extra quam Epiſcopus nullam habet poteſtatem juxta Bonifacium VIII. Cap. *Ut animarum.* 2. in 6. Lib. 1. Tit. 2. *Extra territorium jus dicenti non paretur impune.* Unde ſequitur, quod ille, qui Pariſiis domicilium habens, & Rothomagum abiens, per biduum aut triduum ſe detinet Meduntæ, & ibi monitorium promulgari audit ab Epiſcopo Carnutenſi conceſſum ſuper facto, cujus ipſe particeps non eſt, non teneatur manifeſtare, quæ novit; quia non ſubjacet juriſdictioni Epiſcopi Carnutenſis, utpote domicilium non habens in diœceſi ipſius. 2. Si Polidorus rediit in diœceſin Pariſienſem ante lapſum termini fixi per tertiam monitorii promulgationem, eidem obedire tenetur, ſi promulgatio hæc ipſi innotuit. 3. Si prima publicatio facta eſt ante ejus abitum ex diœceſi Pariſienſi, licet dein fixerit domicilium Lugduni, tenetur ad manifeſtationem facti in monitorio expreſſi, utpote facta hac publicatione adhuc juriſdictioni Epiſcopi Pariſienſis ſubjectus: publicatio enim monitorii

torii eſt vere citatio ad judicem ; & dubium non eſt, ſic abeuntem teneri ad teſtificandum in loco prioris ſui domicilii. Omnia hæc dicta nituntur hac ſuppoſitione, quod Polidorus ſit Chriſtianus; ſecus aliter reſpondendum foret: certum enim eſt, infideles non ligari monitoriis, cum non ſint ſub jurisdictione Eccleſiæ; quamvis ad manifeſtandam veritatem exigente gravitate rei, cujus notitiam habent, quandoque obligentur, jure naturali. *Pontas.*

CASUS XXX. Contra quos, & quibus de cauſis concedi poſſunt monitoria?

℟. Non niſi ex cauſis graviſſimis & ſummi momenti. Circa monitorium publicandum contra ipſum Epiſcopum adhuc majori circumſpectione ac prudentia opus eſt, cum enim honor ac bonum Epiſcopi nomen ad diœceſis regimen ſumme ſit neceſſarium, non habet locum contra ipſum monitorium, niſi graviſſima urgeat neceſſitas, & agatur de re, ex qua pendet commune Eccleſiæ bonum, aut ſumma neceſſitas privatorum. In genere circa excommunicationes monitoriorum pro regula ſumi debet, quod præſcribit Concilium Tridentinum Seſſ. 25. *de reform.* c. 3. dum ait: *Quamvis excommunicationis gladius nervus ſit eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris, ſobrie tamen magnaque circumſpectione exerendus eſt; cum experientia doceat, ſi temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem potius parere quam ſalutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent, a nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo, decernantur; & tunc non alias, quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ ejus animum moveat. De Lamet.*

CASUS XXXI. Teneturne quis parere monitorio in cauſa ſibi concredita ſub ſecreto?

℟. Si ex occultatione grave in proximum damnum redundet, datur obligatio parendi monitorio, & revelandi rem ſub ſecreto concreditam. Si vero occultatio in nullius cedit præjudicium, aut certo ac indubitato conſtet, ex ea ſolam & unicam erui poſſe probationem, ac proin inutilem ad intentum, debet ſervari ſecretum, manifeſtatio enim hoc poſito plus noceret quam prodeſſet. *De Lamet.* Vide Caſ. 8.

CASUS XXXII. Fabius mercator bonorum ceſſionem meditatus, opera uſus eſt liberorum ſuorum aliorumque propinquorum ad bona ſua ac ſcripta alio diſtrahenda cum notabi-

tabili damno creditorum ſuorum, qui contra eum publicandum curarunt monitorium. Ligatne hoc monitorium cooperantes ad fraudem ?

℟. Conſanguinei ad quartum usque gradum non tenentur deponere contra conſanguineum in eo gradu ; tenentur tamen ad compenſandum creditoribus damnum cooperatione ſua illatum. *De Lamet.*

Vide *Excommunicatio,*

MONOPOLIUM.

1. Digeſta, Codex & Inſtitutiones Juſtiniani varias diſtinguunt, & ſevere condemnant *Monopolii* ſpecies.

2. In ſua origine terminus hic non erat ſignificationis odioſæ : nil enim aliud indigitabat, quam conſilium unius, pluriumve mercatorum in unum conſpirantium, ut ipſi ſoli certum mercium genus pretio juſto ac licito emerent, venderentque. Verum in moderna acceptione monopolium eſt vox valde odioſa ; per illud enim nunc intelligitur conventio factioſa & illicita plurium mercatorum in unum conſpirantium, aut etiam ſtudium unius merces certo pretio emendi, easque pretio longe ampliore diſtrahendi, in præjudicium reipublicæ, maxime pauperum, qui compelluntur ejusmodi merces ſibi ab iis comparare.

3. Vocatur etium monopolium conventio opificum communi conſilio inita operam ſuam non niſi pro certo pretio elocandi, opusque ab alio inchoatum non perficiendi. Monopolium iſtud in Gallia prohibitum eſt, ſub pœna relegationis perpetuæ, & confiſcationis bonorum ; quam pœnam etiam leges Romanæ decernunt. Mercatores hujusmodi monopolium exercent, dum per fraudem impediunt, ne certum mercium aut annonæ genus alio ex loco invehatur, ut merces ſuas eo carius vendere poſſint, id quod per leges Imperatorum ſeveriſſime ac ſub mulcta graviſſima prohibetur.

4. Monopolium inſuper ſecreto committitur, dum res per ſubhaſtationem veneunt, & ille, qui ſibi eas comparare cogitat, alteri certam pecuniæ ſummam tradit, ut impediat, ne pretinm augeatur.

5. Licitum tamen eſt monopolium illius, cui ſoli Princeps, excluſis aliis, conceſſit privilegium certas merces ex provinciis exteris aſportatas, aut artefacta ad neceſſitatem vel utilitatem reipublicæ a ſe inventa diſtrahendi, quaſi in compenſationem factarum expenſarum, & induſtriæ remuneratio-

tionem. Taxandum autem eſt pretium mercis authoritate publica, ut carius vendere, quam boni publici utilitas exigit, eidem non liceat.

6. Monopolium vero abſque authoritate Principis a perſonis privatis exercitum eo animo, ut divitias ſibi accumulent impendiis reipublicæ, & principaliter in præjudicium pauperum, peccatum injuſtitiæ ac crimen eſt ſane graviſſimum.

Nota. Quod numero quinto dictum eſt, non eſt ſemper verum: hujusmodi enim monopolia quandoque opprimunt jura vel ſtatum mercatorum privatorum, & conſecutive, eripiendo privatis occaſionem lucrandi ab exteris, bono publico inferunt plus damni quam emolumenti; ac tunc potius ad publica privilegiata latrocinia, quam ad juſta monopolia referenda ſunt.

CASUS I. Cleonicus & Vincentius mercatores opulentiſſimi triticum ex condicto menſe Novembri coëmunt in loco domicilii ſui & tota vicinia, ut, qui illud neceſſitate compulſi vendiderint, denuo emere ab eis cogantur, præcipue tribus aut quatuor ante meſſem menſibus, quo tempore triticum ordinarie carius venit quam alias; non tamen illud vendunt ultra juſtum pretium, quod appellatur *ſummum*, nec cum aliis mercatoribus, ut & ipſi pretium augeant, condicunt. An peccant? Tenenturne ad aliquam reſtitutionem?

℞. Monopolium hoc non ſolum adverſatur charitati, ſed & juſtitiæ; & hinc tenentur reparare omnia damna illata iis, qui majore pretio triticum ab illis emere coacti fuerunt, ac alias emiſſent, ſi dicti mercatores monopolium iſtud non exercuiſſent. Sic docet Sylvius in 2. 2. q. 77. art. 1. quæſit. 2. Ratio fundatur in illa regula Gregorii IX. cap. *Si culpa*, fin. Lib. 5. Tit. 36. *Qui occaſionem damni dat, damnum videtur dediſſe*; & in generali principio D. Thomæ: Dare alicui occaſionem periculi vel damni, ſemper eſt illicitum... & tenetur venditor ad damni recompenſationem. *Pontas.*

Nota. In hoc caſu intentio, non ipſa induſtria horum mercatorum vitioſa eſt; dummodo illa proviſio nulli anſam juſtæ querelæ præbeat.

CASUS II. Cæmentarii in quadam civitate convenerunt inter ſe 1. ut nullus poſthac operaretur, niſi pro mercede diurna 25. crucigerorum, cum prius ſolum 20. crucigeros acceperint. 2. Ut nullus perficeret opus ab alio inchoatum.

Simile pactum inierunt ſartores quoque ac ſcriniarii. An hæc praxis non ſapit injuſtum monopolium ?

℟. In hac conventione manifeſte continetur crimen injuſti monopolii ; quia auctio mercedis diurnæ unice fundatur in pacto inter opifices inito ; adeoque tenentur ad reſtitutionem ac compenſationem damni illati dominis ſuis, iisque omnibus, qui eorum operam conduxerunt, juſtoque ampliorem pro labore mercedem ſolvere coacti fuerunt. *Ad monopolii peccatum etiam ſpectat*, inquit Sylvius in 2. 2. q. 70. art. 1. quæſit. 2. *quod opifices conſpirant, ne opus ab uno inchoatum alter perficiat. Pontas.*

Nota. Ejusmodi pacta, ſi non excedant moderatum pretium, haud videntur eſſe injuſta, quamdiu a Principe aut magiſtratu notorie tolerantur.

CASUS III. Quatuor mercatores omnia ligna cædua, integræ ſilvæ empturi conſpirant de pretio dando, & honoraria offerunt illis qui ampliori pretio ea emere vellent, ut deſiſtant a ſuo propoſito. Quid ſentiendum de hac conventione ?

℟. Hujusmodi mercatorum conſpirationes verum involvunt monopolium legibus vetitum, & conſequenter injuſtum. Hinc ſi dicti mercatores emerunt ligna infra juſtum pretium, defectum ſoluti tenentur reparare. Qui verò honoraria receperunt, cum monopolii hujus cauſa non exſtiterint, nec ad id cooperati fuerint, ad reſtitutionem non tenentur. *Fromageau.*

Nota. Si præfati mercatores obtulerunt juſtum pretium, quamvis infimum ; dehortando, & honorariis alios emptores ſollicitando, ut deſiſtant ab auctione pretii, non peccaruut contra juſtitiam ; licet peccare potuerint contra charitatem.

MOTUS PRIMO PRIMI.

CASUS. Motus dicti a Theologis *primo primi* ſuntne mortaliter peccaminoſi ?

℟. Motus hi, cum ſint plane indeliberati, utpote prævenientes omne judicium rationis, quod requiritur ad conſtituendum peccatum mortale, non ſunt mortaliter peccaminoſi. *De Lamet.*

Nota. Quando tamen ſunt liberi in ſua cauſa, v. g. ſi oriuntur ex negligentia in oratione, in exercitiis ſacris, in refrenatione ſenſuum, prout plerumque contingit, non carent culpa veniali.

MUL-

MULCTA.

1. Sub hoc termino venit aut pœna afflictiva, quæ dicitur mulcta infamatoria, qua judex animadvertit in delinquentem, aut pœna pecuniaria irrogata propter delictum: & hæc proprie vocatur *mulcta* ſeu *multa*, de qua ſola hic agendum.

2. Obſervandum autem eſt, quod ſi crimen inducat mortem civilem mariti, uxor non teneatur contribuere ad mulctam contra maritum pronunciatam; cum extra caſum mortis civilis mulcta ex communibus utriusque bonis ſolvenda ſit.

3. In favorem partis civilis non imponitur mulcta, ſed ſolum reparatio damni illati & lucri ceſſantis; & hæc reparatio præſtari debet ante ſolutionem mulctæ, quæ cedit Principi.

4. Si Eccleſia fiſcum non habet, judices eccleſiaſtici non poſſunt condemnare delinquentem ad pœnam pecuniariam, ſed ſolum ad eleemoſynam in cauſas pias applicandam.

5. In materia civili, ſi plures condemnantur ad pœnam pecuniariam, quilibet ſolum tenetur ad ſolvendam portionem ſe contingentem; in materia autem criminali ſinguli tenentur in ſolidum.

6. Condemnatio ad mulctas pecuniarias etiam importat coactionem corporalem, exceptis tamen iis, quæ enunciantur contra eos, qui cenſum dominis ſuis pendere neglexerint, aut teſtimonium in judicio ferre recuſarint.

7. Mulcta ſemel a judice pronunciata abſolute ſolvi debet; nec poteſt evitari incarceratio ſub prætextu beneficii ceſſionis bonorum.

CASUS I. Arnaldus judicialiter accuſatus de quodam crimine, a judice ſubalterno fuit condemnatus ad mulctam pecuniariam & omnia impendia civilia; ille autem interpoſuit appellationem ad tribunal ſuperius; moritur vero, antequam judex ſuperior tuliſſet ſententiam. Tenenturne hæredes in conſcientia ad ſolvendam hanc mulctam?

℟. Si mortuus fuiſſet Arnaldus ante appellationem, tenerentur hæredes ad ſolutionem mulctæ. Cum autem mortuus fuerit poſt interjectam appellationem, ad eam non tenentur: appellatio enim ſuſpendit effectum ſententiæ etiam tunc, quando pœna pecuniaria jam foret judicialiter exacta ab accuſato. Dein omnis proceſſus criminalis ceſſat per mortem accuſati, exceptis criminibus læſæ majeſtatis divinæ vel humanæ, duelli, ſuicidii, ac rebellionis contra publicam ju-

ſtitiam interveniente aperta violentia, quando accuſatus inter tumultum occumbit. Ad impendia vero civilia, ſeu reparationem damni ex crimine illati hæredes tenentur. *Pontas.*

CASUS II. Evrulus vicino ſuo intulit damnum 50. florenorum per devaſtationem, quam pecus illius intulerat ſegeti hujus. Judicialiter igitur conventus condemnatur non ſolum ad ſolutionem 50. florenorum, ſed etiam ad mulctam pecuniariam 20. florenorum vicino ſuo ſolvendam. Poteſtne hic, cum damnum per 50. florenos penitus compenſatum ſit, inſuper exigere mulctam ſibi adjudicatam? An Evrulus condemnatus ad hanc mulctam per ſententiam judicis tenetur eam ſolvere?

℟. Vicinus iſte juſte accipit 20. florenos a judice ſibi adjudicatos. *Sed quantum ad culpam*. ait S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 3. C. *adhibetur remedium per pœnam, cujus inſtictio pertinet ad judicem. Et ideo, antequam ſit condemnatus per judicem, non tenetur reſtituere plus, quam accepit; ſed, poſtquam condemnatus eſt, tenetur pœnam ſolvere.* Itaque & Evrulus tenetur in conſcientia præfatam vicino mulctam ſolvere poſt ſententiam judicis. *Pontas.*

MUTILATIO.

Vide *Homicidium.* Caſ. 14. *Irregularitas.* Caſ. 80. 81. 99. 100. 101. 102. 105. 106. & 107. *Surdus & mutus.*

MUTUUM.

1. *Mutuum* idem eſt, ac *ex meo tuum*, prout ſentit Imperator Juſtinianus; quia ille, cui res datur mutua, aquirit proprietatem rei, qua ſe privat ille, qui rem dat mutuam. *Mutuum*, inquit Juſtinianus, *appellatum eſt; quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat.* In hac acceptione mutuum eſt contractus, quo quis gratuito alteri commodat rem uſu conſumptibilem, ut pecuniam, frumentum, vinum & alia ſimilia eo animo, ut is, qui rem accipit mutuam, illius aquirat proprietatem, cum onere tamen rem ejuſdem qualitatis, naturæ ac valoris reſtituendi. Et in hoc *mutuum* differt *a commodato* proprie tali, per quod non transfertur dominium rei in commodatarium, qui eandem rem ſibi commodatam in individuo tenetur reſtituere.

2. Sum-

2. Summe notandum venit, quod dictum eſt in definitione mutui, quod ſcilicet ſit contractus, quo quis alteri commodat rem *gratuito*; ut enim excludatur omnis uſura ab hoc contractu, & ſit *gratuitus*, eſt requiſitum eſſentiale. Et hinc Theologi ſemper addunt terminum gratuito, dum definiunt mutuum: *Mutuum eſt gratuita traditio rei, pondere, numero, vel menſura conſtantis, cum obligatione reddendi ſimilem ſpecie & bonitate.*

3. Mutuum poteſt fieri vel ad tempus determinatum, vel ad beneplacitum mutuo dantis.

4. Quamvis mutuum ex natura ſua debeat eſſe gratuitum, mutuans tamen in quibusdam caſibus poteſt ex eo percipere emolumentum; dum ſcilicet vergit in damnum ipſius, quod mutuum dederit; id quod fuſius explanabitur in articulo, *Uſura.*

5. Qui mutuum dant, pro ſcopo ſuo unice habere debent, charitatem cum intentione ſubveniendi proximo in neceſſitate conſtituto.

6. Certum nihilominus eſt, in mutuo dando obſervandas eſſe regulas prudentiæ, perſonarumque delectum: neque enim expedit, indiſcriminatim in quoscumque ſe profundere. Simul tamen conſiderandum quoque eſt, in certis caſibus mutuum dare eſſe de præcepto; cum lex divina obliget Chriſtianos, ut gratis ſuccurrant fratri ac proximo ſuo, non tantum in extrema, ſed etiam in neceſſitate ſimpliciter gravi conſtituto.

CASUS I. Samſon mutuavit Landulpho rem ſuam domeſticam male adminiſtranti 1000. florenos ad biennium pacto cenſu annuo florenis quinque pro centum; eo quod 1. ſat luculenter prævideret, non niſi difficillime, & diu poſt conventum terminum ſummam hanc ſibi reddendam fore. 2. Quia dubitare haud poterat, quin Landulphus notabile lucrum ex his pecuniis ſibi ſit acquiſiturus, quod absque hoc mutuo ſperare nunquam potuiſſet. Poteritne Samſon citra uſuræ labem acceptare hoc intereſſe?

℟. Certum eſt, Samſonem nec exigere nec acceptare poſſe iſtiusmodi intereſſe, quin uſuræ reum ſe faciat, quando enim actio aliqua ex natura ſua mala eſt, ac jure naturali omnibusque legibus divinis & humanis prohibita, nulla circumſtantia nullaque conditio a peccato poterit excuſare illum, qui eam actionem ponit, niſi circumſtantia vel conditio mutet naturam actionis, id eſt, niſi ex mala & illicita, qualis antea erat, bonam & licitam reddat actionem. *Sciendum igitur*, ait author opuſculi 73. c. 6.

quod inter opera S. Thomæ reperitur, *quod regula eſt generalis apud omnes Doctores, & firma eſſe debet, quod nulla conditio ſive circumſtantia poteſt excuſare aliquem actum vitioſum ſive habitum, niſi ſecundum quod poteſt tollere rationem vitioſitatis ab eo.* Jam autem dubium ac periculum de ſumma capitali amittenda non poſſunt mutare naturam actionis, qua exigitur intereſſe uſurarium, nec eam ex mala, ut in ſe eſt, reddere bonam & licitam: ſi enim hujuſmodi dubium ac periculum poſſet alicui jus & authoritatem conferre ad exigendum intereſſe, ſequeretur evidenter, eo majores poſſe exigi uſuras ultra ſortem principalem, quo majus eſt periculum, quod tamen falſum eſt. Lucrum, quod facere poteſt mutuatarius, æque parum poteſt eſſe motivum exigendi intereſſe; quia ſummæ ſibi mutuo datæ usque adeo eſt dominus, ut ſi hanc caſu quodam perire contingeret, ſoli ſibi, & non mutuo danti periret. Imo juxta S. Carolum Borromæum Conc. Mediol. I. 2. part. Tit. *de uſuris.* prohibitum eſt exigere uſuras ex pecuniis etiam Judæo mutuo datis; licet evidenter præſciatur, immodicum exinde lucrum ipſum ſibi comparaturum. *Pontas.*

Nota. Licitum eſſe videtur ratione periculi circa ſortem principalem exigere auctarium annuum ſummæ, tanquam aſſecurationem periculi circa ſummam capitalem; maxime in iis locis, in quibus introductus, & ad juſtos limites redactus eſt contractus cenſualis perſonalis. Dantur tamen aliquando caſus particulares, in quibus v. g. interveniente ſpeciali titulo propinquitatis, gratitudinis, amicitiæ, charitatis &c. datur obligatio indigenti proximo ſubveniendi mutuo gratuito, & gratis ſubeundi periculum ſummæ principalis: ſi enim datur gradus indigentiæ alienæ, in quo tenemur erogare propria etiam neceſſaria vel ſuperflua, videtur etiam dari minor gradus indigentiæ alienæ, in quo proximo in neceſſitate conſtituto teneamur ſuccurrere gratis, ſi id fieri poſſit ſine noſtro notabili damno, aut gravi fortunarum periculo; maxime ſi habeamus ſuperflua, & non indigeamus lucro pro ſuſtentatione. Sed circa hæc regulæ certæ tradi non poſſunt: pertinent enim iſta ad leges prudentiæ & charitatis; illa non ſervit, iſta non opprimit.

CASUS II. Joannes promptum ſeſe offert ad commodandos 500. florenos Jacobo rebus adverſis graviſſime preſſo, data tamen ipſi optione vel præſtandæ cautionis de ſolvendo, vel ſolvendi intereſſe quinque pro centum absque cautione, quam veluti emolumentum pretio æſtimabile conſiderat, quo tamen Joannes privaturum ſe ſpondet, modo Jacobus in intereſſe hoc ſatis, ut ipſi videbatur, moderatum conſentiat. Jacobus fidejuſſorem non inveniens, annuum intereſſe ſolutu um ſe promittit. Poteritne Joannes

hoc

hoc lucrum percipere per modum indemniſationis vel compenſationis ?

℞. Non poteſt Joannes absque labe injuſtæ uſuræ a Jacobo petere aut acceptare hoc intereſſe ſub prætextu condonatæ cautionis : exemptio enim a præſtanda cautione certe non impedit, quo minus Jacobus ipſi ſolvere teneatur debitum 500. florenorum ex contractu mutui. Alias ſequeretur, quod poſſet ſub hoc prætextu exigi intereſſe ex mutuo etiam pauperibus facto ; quia mutuantes ipſis ſæpe periculum incurrunt amittendi ipſam ſummam capitalem ; quod tamen Scriptura, Concilia, & Patres tanquam crimen maximum condemnant. *Pontas.*

Nota. Si ſemper ac indiſcriminatim inſiſtendum foret huic ſententiæ, vix ulius indigentium reperiret creditorem. Etiam in aliis commerciis humanis, v. g. dum venduntur & emuntur actiones, jura ſeu prætenſiones, vix unquam eodem pretio emitur *jus ad rem* v. g. ad ſummam mille aureorum, quo valet *jus in re*, ſeu mille aurei in arca. Si exiſtat Joannes in Germania, vel in alia provincia, ubi licitus eſt contractus cenſualis perſonalis per legem vel conſuetudinem, non peccat exigendo & acceptando conſuetum intereſſe ; niſi Jacobus verſaretur in ejusmodi circumſtantiis, in quibus Joannes ex lege charitatis teneretur illi ſuccurrere gratis.

CASUS III. Saturninus pauper ruricola penes ſe aſſervabat dotem uxoris ſuæ Kunegundis mille florenorum. Timentes autem mulieris hujus conſanguinei, ne a marito decoqueretur hæc ſumma, coëgerunt ipſum, ut eam commodaret mercatori, & ex lucro inde percepto onera matrimonii ſuſtineret. Suntne ſecuri in conſcientia conſanguinei ?

℞. Juxta Genettum Theol. Mor. Tom. 1. Tr. 4. Cap. 14. q. 8. Conſanguinei Kunegundis non poſſunt tuta conſcientia, & absque peccato uſuræ quidpiam lucrari ex hac ſumma ſub titulo mutui ; ſed ſola legitima ſocietas cum mercatore inita licitum reddit lucrum ex his mille florenis captandum. Conformiter ad hanc reſponſionem Author Gloſſæ in decretalem Innocentii III. Cap. *Per veſtras.* V. *Honeſti lucri.* aſſerit, quod maritus ex uxoris dote fructum percipere non debeat ratione uſuraria, ſed quod illam collocare poſſit in ſocietate legitima, aut in aliquo commercio licito, ut exinde lucretur, quod oneribus matrimonii ferendis inſerviat. *Non tenetur*, inquit, *fœnerari dotem, & de uſuris alere uxorem . . . ſed convertat eam in ſocietatem honeſtam, vel aliquod commercium, ut ex lucro honeſto eam alat. Pontas.*

CASUS IV. Cæcilius habet 100. nummos argenteos, quorum valor usque ad finem menſis currentis erit notabiliter minuendus. Inſtat Sempronius pro iisdem mutuo ſibi dandis ad bimeſtre. Conſentit Cæcilius, ſed cum expreſſo pacto, ut non obſtante monetarum mox futura diminutione centum nummi in iisdem ſpeciebus ſibi ſolvantur, & inſuper tantum pecuniæ, quantum interim nummis ex priori valore deceſſit. Eſtne uſurarium hujusmodi pactum?

℞. Hoc pactum nequaquam eſt uſurarium. Cæcilius non intendit lucrari quidpiam titulo mutui, ſed ſolummodo evitare jacturam, quam ſubiturus eſſet, ſi nummos hoſce arca concluſos apud ſe ſervaret; id quod juxta Authorem Opuſculi 73. *de Uſuris.* cap. 14., quod S. Thomæ attribuitur, nullatenus eſt prohibitum. *Aliud eſt vitare dammum*, ait, *& aliud ſperare lucrum: quicumque enim ex mutuo ſperat lucrum, peccat uſuræ vitio... ſed non ſic, qui ex mutuo vitat damnum... Nec in hoc damnificatur, qui mutuum accipit; quia non ad hoc accipit, ut ipſum usque ad tempus illud conſervet, in quo veriſimiliter minus valitura eſſet* pecunia; *ſed ut ipſa uteretur pro tempore illo, pro quo valorem ſuum reſervaret, quam habebat, cum eam in mutuo acceperat.* Hæc tamen reſponſio locum non habet, niſi in caſu, quo Sempronius non vult reddere mutuum Cæcilio ante tempus conditum: nam ſi debitor ſeſe offerret ad ſolutionem debiti ante diem devalvatæ monetæ, Cæcilius non poſſet tuta conſcientia centum nummorum acceptionem recuſare. *Pontas.*

CASUS V. Herveus mutuos a Bernardo accepit 50. nummos aureos pro ſolvendo alteri debito, quo tenebatur; aſt domo Bernardi egreſſus, & ad proprias ædes reverſurus pecunias has omnes furto amittit. Redit ad Bernardum & furtum ipſi enarrat, ſimul declarans, iniquum plane fore, ſi ad pecuniarum harum ferendam jacturam obligaretur, cum nunquam iisdem uſus fuerit, imo ne quidem ædibus ſuis intulerit; & aliunde etiam de caſu mere fortuito hic agatur, de quo ut rationem reddat, nemo certe ipſum obligaverit. An Bernardus ad ferendam hanc jacturam obligatur, vel Herveus?

℞. Bernardus non tenetur ferre jacturam hanc; ſed ea tota in Herveum recidit, quamvis perierat pecunia caſu mero fortuito, & priusquam illa uſus fuerit: a momento enim, quo datum fuit mutuum, mutuatarius fit dominus ac proprietarius rei mutuatæ; & conſequenter, ſi pereat

etiam

etiam caſu fortuito, jactura incumbit mutuatario juxta communem regulam : *Res perit domino rei.* & aliam legem Lib. 3. Inſtit. Tit. 15. *Is quidem, qui mutuum accepit, ſi quolibet fortuito caſu amiſerit, quod accepit, veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum hoſtiumve incurſu, nihilominus obligatus manet.* Idem docet S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 6. C. *Pontas*

CASUS VI. Guibertus menſe Novembri a Philemone mutuavit dolium vini cum obligatione idem menſe Junio ſequentis anni reſtituendi. Cum vero condicto tempore promiſſum falleret Guibertus, in judicium vocatur a Philemone. Promittit itaque ſatisfacturum ſe ſolutione pretii, quo vinum æſtimabatur tempore accepti mutui; valebat autem tunc florenos triginta. Aſt vero Philemon prætendit ſexaginta florenos; eo quod, vineis hiberno frigore vix non penitus emortuis, vini pretium ad alterum tantum excreverit. Jurene Philemon exigit hoc pretii auctarium?

℟. Reſponſionis loco ſervire poſſunt ſequentes regulæ: 1. Qui aliud quidpiam quam pecuniam mutuum accepit, nec convento tempore reddit in natura, tenetur ad æſtimationem hujus rei. *Si merx aliqua*, ait Lex *Si merx.* fin. ff. Lib. 13. Tit. 3. *quæ certo die dari debebat, petita ſit, veluti vinum, oleum, frumentum, tanti litem æſtimandam, Caſſius ait, quanti fuiſſet eo die, quo dari debuit.* 2. Quando vini dolium a Guiberto fuit acceptum juxta ſimplicem ac puram æſtimationem, qualis erat tempore traditionis, Philemon in conſcientia nihil ultra poteſt prætendere, etiamſi vini pretium ab eo tempore etiam immodice auctum fuerit, ut habetur Leg. *Aeſtimatæ res.* 51. Lib. 24. Tit. 3. in tali enim caſu æſtimatio rei venditionem perficit. 3. Quando æſtimatio non fuit facta tempore dati & accepti mutui, tunc ea deſumenda eſt a pretio, quo valebat eo tempore & in eo loco, ad quod & in quo ex inita conventione debuit reſtitui res mutuo data. 4. Denique ſi nec de tempore nec de loco fuit conventum, tunc æſtimatio regulanda eſt ad pretium, quo valet res in loco & tempore, in quibus petitur. *Vinum, quod mutuum datum erat, per judicem petitum eſt*, ait Lex *Vinum.* 22. ff. Lib. 12. Tit. 1. *Quæſitum eſt, cujus temporis æſtimatio fieret, utrum cum datum eſſet, an cum litem conteſtatus fuiſſet, an cum res judicaretur? Sabinus reſpondit, ſi dictum eſſet, quo tempore redderetur, quanti tunc fuiſſet: ſi non, quanti tunc, cum petitum eſſet. Interrogavi, cujus loci pretium ſequi oporteat? Reſpondit, ſi conveniſſet, ut certo loco redderetur, quanti eo loco eſſet: ſi dic-*

ſtum non eſſet, quanti ubi eſſet petitum. Hæ regulæ etiam in foro interno locum habere poſſunt. *Pontas.*

Vide *Uſura.*

N.

NAUFRAGIUM.

1. *Naufragium* vocatur jactura cujuscumque navis, quæ mari vecta vel ad ſcopulum frangitur, vel a fluctibus abſorpta una cum populo & mercibus ex toto vel ex parte perit.

2. Circa bona naufragorum variæ pro varietate locorum leges exiſtunt. Sic in Gallia juxta Mornacium, dum imminente periculo naufragii navigatores merces in mare projicere compelluntur, elapſo periculo dominis mercium pro iis recuperandis conceduntur duo menſes, quibus præteritis una pars tertia mercium ex undis extractarum pertinet ad urinatores, altera ad fiſcum, tertia demum ad præfectum rei maritimæ. Circa hanc rem cujuslibet Regni leges ac conſuetudines inſpiciendæ ac obſervandæ ſunt.

CASUS I. Trophimus & Germanus cum octodecim aliis in communi poſſident navem ex Indiis redeuntem. Sæva tempeſtas ſubito ingruens præſentiſſimum minatur naufragium; & potior pars mercium, ac earum quidem, quæ ad Trophimum & Germanum pertinent, in mare ejicitur. Tandem vero ſedata tempeſtate navis cum reliquorum mercibus feliciter in portum invehitur. Trophimus & Germanus prætendunt, reliquos omnes, quemlibet ſcilicet pro rata, teneri ad reſarciendum damnum, quod incurrerant. Octodecim reliqui autem id recuſant; cum non fuerint cauſa hujus eventus, utpote mere fortuiti, & nemo teneatur ſuſtinere damnum ex caſu fortuito proveniens, niſi ſolus damnificatus. Cuinam parti patrocinatur jus?

℟. Juſta ac legitima eſt prætenſio Trophimi & Germani: quando enim in periculo naufragii hoc unum flebile navigatoribus relinquitur remedium, ut partem oneris ac mercium ad ſalvanda reliqua ejiciant, ſinguli, in quorum commodum hoc modo ſalvantur merces, tenentur juxta proportionem ferre partem jacturæ mercium pro ſalute communi totius navis projectarum. Sic ſtatuitur Leg. *Lege Rhodia.* 1. ff. Lib. 14. Tit. 2. *Lege Rhodia cavetur, ut, ſi levandæ navis gratia jactus mercium factus eſt. omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt.* Aeſtimatio autem

autem mercium tam ſervatarum quam projectarum menſuranda eſt a pretio, quo vendi potuiſſent. Ad majorem elucidationem hujus materiæ Addendum 1. Omnia, quæ per exonerationem navis ſervata fuerunt, in contributionem veniunt juxta valorem ſuum, nulla habita ratione majoris vel minoris ponderis, vaſtæ aut exiguæ molis, ſive ſint pretioſi lapides ſive metalla. Ita Lex, *Si laborante* 2. §. 2. ff. Lib. 14. Tit. 2. 2. Cibaria & alia alimenta; quæ in navem congeſta ſunt ſolum eum in finem, ut durante navigatione abſumerentur, non contribuunt, ut habetur in eadem lege. 3. Domino navis, qui forte ſæviente tempeſtate jacturam fecit mali navalis, anchorarum, vel aliarum partium navis, vi ejusdem legis non competit jus exigendi reſarcitionem damni ab iis, ad quos merces pertinent. Si tamen, ut notatur Lege, *Cum arbor.* 3. ibid. vectores neceſſarium judicaſſent pro avertendo communi periculo naufragii quasdam navis partes aut inſtrumenta in mare proiicere, tunc jactura foret communis, & locum haberet compenſatio; quia huic damno non directe ipſa tempeſtas, ſed communis periculi metus cauſam dedit. 4. Si merces cujusdam contribuentium, poſtquam aliæ in mare projectæ ſunt, fuerint deterioratæ vel corruptæ v. g. per ſubeuntes aquas vel quovis alio modo, jactura hæc conſideranda eſt ut ſequela prioris jacturæ, & compenſanda eſt a reliquis contribuentibus; ille autem, ad quem pertinent hæ merces deterioratæ, ſolum tenetur contribuere iis, quorum merces projectæ ſunt, juxta valorem præſentem mercium ſuarum. Leg. *Navis* 4. §. 2. ibid. *Pontas.*

CASUS II. Navis Nicolai & Joſephi & decem aliorum mercatorum pretioſiſſimis onuſta mercibus capta fuit a piratis, & denuo redempta pretio 5000. florenorum. An omnes æqualiter tenentur ferre jacturam? An idem dicendum, ſi piratæ ſolum abſtulerunt merces Nicolai ac Joſephi, dimiſſis reliquis?

℟. Quoad primum caſum certum eſt, jacturam 5000. florenorum debere diſtribui in omnes juxta proportionem mercium conſervatarum: dicitur enim L. *Si laborante.* 2. §. 3. ff. Lib. 14. Tit. 2. *Si navis a piratis redempta ſit, Servius, Offilius, Labeo, omnes conferre debere, ajunt.* Quoad alterum caſum autem dicendum, reliquos non teneri ad partem ullam jacturæ, quam ſuſtinuerunt Nicolaus & Joſephus, ut in eadem lege ſtatuitur: *Quod vero prædones abſtulerint, eum perdere, cujus fuerint; nec conferendum ei, qui ſuas merces redemerit.* Fundatur hæc reſponſio quoad utrumque in

in communi juris principio : *Res perit domino ſuo.* *Pontas.*

CASUS III. Peregrina navis mercatoria ex Indiis rediens haud procul a littoribus Galliæ naufragio ſubmerſa eſt cum omni populo. Iſidorus exercitatiſſimus urinator pro ſua, qua pollebat, dexteritate partem mercium expiſcatus eſt, inter quas reperiebatur theca adamantibus referta 10000. thaleris æſtimata. Poteſtne Iſidorus harum mercium dominium ſibi vindicare, ſi nemo eas reclamet?

℟. Juxta leges illud, quod naufragio perit, non ceſſat propterea pertinere ad dominum ſuum. *Quod ex naufragio expulſum eſt*, ait Lex *Interdum.* 21. §. 1. ff. Lib. 41. Tit. 2. *uſucapi non poteſt; quoniam non eſt in derelicto, ſed in deperdito.* Idem ſtatuunt & aliæ leges, quas Eccleſia ſemper ut legitimas agnovit, & plures Pontifices datis deſuper Bullis confirmarunt. In regno Galliarum id ſpeciale eſt, quod unus tantum annus concedatur pro termino, intra quem reclamare ac repetere licet ejusmodi merces; ſicque vi hujus legis Iſidorus non potuit ſibi attribuere dominium rerum, quas expiſcatus eſt, niſi poſt lapſum integri anni a die facti naufragii. Imo poſt lapſum hujus anni vi legum Gallicarum tertia tantum pars pertinet ad Iſidorum; cum una tertia pars inferenda ſit ærario regio, & altera cedat ſupremo claſſium Gallicarum præfecto. *Pontas.*

CASUS IV. Cymba quædam mercibus Huberti onerata naufragium fecit ad littora cujusdam provinciæ, ubi ex antiqua conſuetudine Toparcha loci jus ſibi arrogat capiendi partem tertiam omnium bonorum naufragorum, quæ mare ad littus deponit. Sic Ferdinandus Toparcha in ſuam poteſtatem redegit plures magnas ciſtas eorum lignorum, quibus tinctores ad colorandos pannos utuntur, una cum aliis varii generis mercibus; quæ omnia Hubertus intra annum & diem reſtitui ſibi judicialiter poſtulat. Cujusnam ſunt merces iſtæ?

℟. Has naufragii reliquias nequaquam vendicare ſibi poteſt Ferdinandus, prædicta conſuetudine non obſtante, quæ vim legis habere non poteſt, cum juri naturali ſit contraria juxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 62. art. 1. 2. 5. & 6. Sylvius *Reſol. var.* V. Ligna. ait: *Non leges, ſed rapinæ ſunt in aliquibus locis, ubi ſtatuitur, quod bona naufragantium ... pertineant ad dominum, ut communiter Doctores ſentiunt.* Idem dicendum de mercibus ex metu naufragii in mare projectis. *Quæ in tempeſtate projiciuntur*, ait idem Sylvius in 2. 2. q. 66. art. 5. concl. 8. *levandæ navis cauſa,*

manent

manent dominorum ; quia palam eſt , non eo animo eiici , quod quis nolit illa habere , ſed ut ipſe cum navi fiat ſalvus, Vide caſ. 3. *Pontas.*

NOTARIUS.

1. *Notarius* in hodierna acceptione eſt perſona publica, quæ ſcribit & excipit conventiones partium inter ſe contrahentium vel paciſcentium, aut teſtamenta, aliave acta publica, quorum originalia penes ſe ſervat. In Gallia officium Notarii ad hæredes tranſit.

2. Antiquitus ad officium Notarii ſemper docti ac eruditi aſſumebantur, qui non niſi idiomate latino inſtrumenta conficiebant ; & inde factum, ut in actis eorum rariſſime falſitates aut captioſæ cavillationes occurrerent, dum hodie partes contrahentes frequenter dictant Notariis clauſulas fraudulentas & aſtutiſſimas, ex quibus litigia ſine fine oriuntur. Notarii olim ex officio ſuo nobilitatem conſequebantur, ut advertit Scaliger, & refert Cæſar de Rochefort in Dictionario ſuo.

3. Notarius tenetur ſervare ſecretum in omnibus, in quibus ipſius opera requiritur, ſive agatur de actis, quæ ipſemet in ſcripturam diggeſſit, ſive de conſiliis, quæ ſuppeditavit. Et ex hac obligatione conſequitur 1. Quod libros ſuos, protocolla & regiſtra, ac tabulas authenticas actorum a ſe confectorum communicare non poſſit, niſi partibus contrahentibus, eorum hæredibus, aut iis, ad quos horum jura notorie devoluta ſunt ; ſaltem niſi authoritate judiciali aliud imperetur. 2. Quod ſit exemptus ab obligatione in judicio deponendi ſuper iis, quæ acta ex officio concernunt.

4. Notario nunquam licet conficere aut ſignare actum religioni aut bonis moribus adverſantem vel aliunde legibus prohibitum ; delinquentes in hoc perpetuo olim exilio mulctabantur a Romanis Imperatoribus.

5. In Notario ſaltem in Gallia, ut ſuo fungi poſſit officio, requiritur ætas viginti quatuor annorum. In Germania potior habetur ratio peritiæ ac habilitatis, quam ætatis.

6. Omnis contractus ſolemnis factus Notario abſente, licet ab eodem in ſcripturam redactus & ſignatus, reputatur nullus : requiritur enim, ut conficiatur in præſentia partium intereſſatarum & teſtium, ac ut ante ſignationem partibus prælegatur. Imo in quibusdam locis inſuper neceſſe eſt, ut exprimatur nomine ſuo domus, in qua contra-

ctus

ctus fuit celebratus, qualitas & domicilium partium contrahentium, tempus antemeridianum vel pomeridianum.

7. Notarius conficiens acta falſa, maxime in negotio ſummi momenti ultimi ſupplicii reus agnoſcitur. Et dum conficit inſtrumentum, quo bona ſibimet ipſi jam hypothecata hypothecantur alteri, amittit hypothecam ſuam; eo quod eam utpote jam anteriorem non manifeſtaverit.

8. Notarii non poſſunt excipere teſtamenta, in quibus ipſimet instituuntur legatarii; nec perficere contractum vel alium actum, ubi ipſimet ſunt partes contrahentes.

9. Omnis contractus eſt imperfectus ac nullus, & ne quidem virtutem hypothecæ habet, ſi non eſt ſignatus a Notario, etſi ſit ſignatus a partibus ac teſtibus. Poteſt autem Notarius primum ſignare, poſtquam jam ſignatus fuerit a partibus.

10. Quando pars contrahens neſcit vel non poteſt ſignare actum, Notarius tenetur ſub pœna nullitatis actus in inſtrumento de hoc facere mentionem, hujusque neſcientiæ vel impotentiæ cauſam exprimere.

11. Nullus omnino Notarius ſcribens contractus, aliave acta, vel excipiens teſtamenta poteſt adhibere teſtes, qui annum ætatis vigeſimum necdum expleverunt, nec etiam ſcribas hac ætatis prærogativa carentes, ſub pœna falſi & nullitatis.

12. Notarii Apoſtolici, niſi ſimul ſint Cæſarei, Regii, aut Provinciales, nullam omnino habent poteſtatem conficiendi & ſcribendi inſtrumenta in rebus, quæ directe concernunt negotia ſæcularia & laicalia. Circa expeditiones Romanas ſolum eorum verſatur miniſterium, & circa cauſas, quæ in Curia Romana pertractandæ & expediendæ ſunt.

CASUS I. Menander Notarius ſcripſit ac confecit obligationem vel contractum Fulbertum inter & Anthimum, quem ſciebat, ex parte Fulberti eſſe uſurarium. An peccavit graviter?

℟. Abſque dubio Notarius iſte peccavit mortaliter: fuit enim principale inſtrumentum injuſtitiæ, violavitque juramentum in ſua receptione præſtitum, ac legem Principis. Concilium Mediolanenſe ſub S. Carolo Borromæo habitum 1565. Clerus Gallicanus in Conventu Meloduni celebrato 1579. Concilium Rhemenſe de anno 1583. & Burdigalenſe ejusdem anni ſub pœna excommunicationis interdicunt Notariis confectionem ejusmodi contractuum. *Pontas.*

CASUS II. Lyſimachus judicialiter condemnatus tanquam uſurarius adit Danielem Notarii munus in loco ſui domicilii exer-

exercentem, implorans ejus officium pro conficienda in ſui favorem obligatione 500. florenorum, quos mutuos dederat Renaldo, quem etiam ſecum adducebat pro ſignanda obligatione. Daniel facile ſuſpicari poterat, Lyſimachum certe non gratuito elocaſſe hanc ſummam. Poteſtne hoc non obſtante citra peccatum conficere obligationem?

℞. Cum Notarius quicumque demum non obligetur ad hoc, ut miniſterium ſuum recuſet ad actum nihil vitioſi in ſe continentem, imo etiam teneatur illud impendere tanquam perſona publica, Daniel absque omni peccato poteſt conficere obligationem, ad quam conſignandam ſeſe offert Renaldus. Regulæ illi juris, *ſemel malus ſemper præſumitur eſſe malus*, in hoc caſu locus eſſe haud poteſt: non enim convenit perſonæ privatæ hoc formare judicium contra proximum ſuum, quamdiu actui ejusdem probari non poteſt ineſſe malitia. Imo charitas exigit, ut ſtante dubio ac incertitudine de ejus bonitate vel malitia ſemper bene judicemus de proximo. *Pontas.*

CASUS III. Nazarius Notarius per ſententiam ſupremi Senatus fuit condemnatus tanquam falſarius. Interim tamen conficit & ſignat contractum venditionis inter Joannem & Jacobum celebratæ. Eſtne validus iſte contractus?

℞. Si Nazarius hunc actum perfecit ante ſuam condemnationem, licet judicialiter jam accuſatus, juxta Sylveſtrum V. *Falſarius.* n. 5. actus eſt validus; cum adhuc habeatur pro vero Notario publico, utpote nec officio privatus, nec interdictus miniſterio ſuo. Si vero perfecit hunc actum poſt latam ſententiam ob crimen falſi in ſuo miniſterio, & non ex alio capite commiſſum, actus eſt abſolute nullus. *Pontas.*

CASUS IV. Hildegardus Diaconus emit, & jam ad anno integro exercet officium Notarii. Confeſſarius autem ipſi movet ſcrupulum, eumque ſub comminatione denegandæ abſolutionis adſtringit, ut renunciet huic officio. Teneturne Hildegardus in hoc caſu obedire confeſſario ſuo?

℞. Officium hoc cum nullatenus conveniat homini mancipato ſtatui eccleſiaſtico, confeſſarius optime ſic agit cum pœnitente ſuo, & Hildegardus non poteſt ſalva conſcientia continuare exercitium profeſſionis hujus reſpectu negotiorum ſæcularium, id quod juxta Fagnanum in Cap. *Sicut.* n. 28. ne quidem toleraretur in Clerico necdum in Sacris conſtituto, ſed ſolum tonſuram deferente & habitum clericalem. *Fraternitati tuæ mendamus*, inquit Innocentius III. Cap. *Sicut.* 8. Lib. 3. Tit. 50. *quatenus Clericis*

in

in ſacris Ordinibus conſtitutis tabellionis officium per Beneficiorum ſubtractionem appellatione poſtpoſita interdicas. Cardinalis Hoſtienſis plures ad roborandam hanc reſponſionem rationes affert. 1. Quia foret periculum, ne Clericus Notarius immiſceat ſe negotiis, in quibus agitur de morte vel mutilatione alicujus, quod Clerico non licet. 2. Quia notariatus officium eſt ſpecies commercii, quod Clericis eſt interdictum. 3. Quia, cum Notarius juramento adſtringitur ad ſervandum ſecretum in variis cauſis, periculum foret perjurii. 4. Quia indecens eſt, ut Clericus, qui in perpetuum ſeſe devovit Jeſu Chriſto & Eccleſiæ ejus, immiſceat ſe negotiis ſæcularibus. 5. Quia per hoc officium ſtatus clericalis redditur contemptibilis: Notarii enim, ut Gloſſa advertit, *publici dicuntur ſervi.* Hinc Fagnanus ſupra citatus ait: *Hoc officium eſt publicum, ſæculare & vile, & ſapit negotiationem. . . Ergo cenſeri debet interdictum omnibus Clericis indiſtincte. Pontas.*

CASUS V. Exſtat alicubi lex territorialis, ut quandoque inſtrumenta confici ac ſignari debeant a duobus Notariis, v. g. dum partes contrahentes ſcribere neſciunt. Paſſim autem conſuetudo invaluit, ut ſolum unus Notarius inſtrumentum conficiat abſente altero, qui tamen & ipſe poſtea nomen ſuum adſcribit, quin legerit ipſum inſtrumentum. Quid ſentiendum ſe ejusmodi conſuetudine?

℞. Praxis hæc inter corruptelas numeranda eſt, quibus eludantur leges ſaluberrimæ; & alter Notarius tenetur ſaltem legere inſtrumentum, antequam ſubſcribat. Si tamen id paſſim fiat videntibus ſcientibusque Magiſtratibus ac Principe, tacitus eorum conſenſus adeſſe, & omne peccatum abeſſe cenſetur. *De Lamet.*

CASUS VI. Frequentiſſime contingit, ut Notarii in gratiam Minorennium, Pupillorum, ac plebis ruralis acta conficiant diebus Dominicis ac feſtis. Poſſuntne conſuetum alias laboris ſui ſtipendium exigere & acceptare?

℞. Poſſunt quidem abſque peccato id petere & acceptare; optime tamen fieret, ſi ſaltem illi, quibus præter redditus notariatus alia bona ſuppetunt, quibus pro decentia ſtatus ſui ſuſtentari poſſunt, lucrum hiſce diebus ſacris perceptum vel ex toto, vel ſaltem ex parte in pauperes erogarent. *De Lamet.*

CASUS VII. Fit quandoque, ut contrahentes ipſi non percipiant injuſtitiam contractus, quem inituri, aut vim obligationum, quas ſubituri ſunt. Quid in hoc caſu agendum Notario?

℞. No-

℞. Notarius tenetur conficere inſtrumenta ſecundum conſuetudines ac leges Patriæ. Si advertat, contrahentes haud ſatis eſſe informatos de effectibus ac obligationibus conventionum, & de ſenſu clauſularum, quas inſtrumentis inſeri volunt, tenetur eos edocere, ne ejusmodi contractibus deſit, quod eſt præcipuum, ſcilicet voluntas & conſenſus contrahentium. Multo magis ad id obligatur circa perſonas ſimplices ac ignorantes, quæ ſenſa animi ſui ſufficienter ac clare explicare neſciunt, eo quod in rebus forenſibus, & iis, quæ ſunt juris, omnino peregrini exiſtant. Si contractus ipſi ſint injuſti, aut quidpiam immiſceatur juſtitiæ ac patriæ legibus contrarium, & conſentiat Notarius, ipſe & omnes cooperantes ac conſentientes tenentur in ſolidum ad reſtitutionem damnificatis faciendam. Hinc poſt S. Antoninum part. 3. tit. 6. c. 3. §. 6. bene Navarrus in Sum. c. 25. n. 53. ait : *Tertio peccat, qui rogatus ab aliquo, ut ſibi det aliquod inſtrumentum, quod dare tenetur, non dat, ne aut adverſario aut amicis ejus diſpliceret, & qui non informat partem ignorantem, quæ renunciatura eſt alicui juri. De Lamet.*

CASUS VIII. Petrus & Paulus inierunt conventionem uſurariam abſente Notario, qui tamen poſtea vocatur ad conficiendum deſuper inſtrumentum. Licitene inſtrumentum conficit Notarius?

℞. Si novit ante conſcriptum inſtrumentum, conventionem eſſe uſurariam, abſque peccato non poteſt conficere inſtrumentum. Si id ipſi innoteſcit durante ſcriptione, tenetur deſiſtere ab ulteriori ſcriptione. Si primum intervenientis uſuræ notitiam hauſit inſtrumento jam confecto, ſed necdum partibus tradito, illud dilacerandum eſt, ne peccati injuſtitiæ participem ſeſe reddat, & obligationem contrahat parti læſæ compenſandi damnum. *De Lamet.*

CASUS IX. Notarii quandoque operam ſuam commodant minorennibus aut pupillis pro variis contractibus. Num licite?

℞. Non poſſunt ſalva conſcientia conficere contractus emptionis, venditionis, permutationis, aut obligationis cujuscumque demum, ex quibus res minorennium aut pupillorum deteriores fiunt in commodum ac emolumentum aliarum perſonarum. *De Lamet.*

Vide *Dominica & Feſta. Reſtitutio.* caſ. 166. & 167.

NOVITIUS.

1. Nomine *Novitii* venit ille vel illa, qui vel quæ ſtatum religioſum amplexus vel amplexa eſt, & verſatur in anno probationis ab Eccleſia præſcripto antequam poſſit emitti profeſſio religioſa ſolemnis. Annus iſte probationis vocatur *Novitiatus*, inchoatur a die ſuſcepti habitus religioſi, debetque eſſe omnino completus absque ulla interruptione, niſi ex graviſſima cauſa a Superiore approbata. In aliquibus religioſis Ordinibus Novitiatus extenditur ad duos annos a die ſuſcepti habitus computandos.

2. Ut Novitius poſſit admitti ad profeſſionem, debet habere annum ætatis decimum ſextum completum, itaut profeſſio ante hunc ætatis annum completum emiſſa prorſus nulla foret. In caſu, quo Religioſus transfertur ex uno ad alium conventum, poſtquam in priore conventu jam per annum ſuſtinuit annum probationis, conſuetudinis eſt, ut admittatur diſpenſatio Papæ, qua novitiatus ipſius ad ſemeſtre reducitur.

3. Omnis profeſſio tacita conſiſtens in eo, quod quis portaverit habitum Novitii longo tempore poſt jam emenſum probationis annum, eſt abſolute nulla: ut enim profeſſio religioſa ſit valida, expreſſe fieri debet.

4. Novitius expleto anno ætatis ſuæ decimo ſexto intra duos menſes poſtremos ante profeſſionem poteſt diſponere de bonis ſuis, niſi conſuetudo aut leges Principum vel Magiſtratuum profectiorem ætatem requirant. Non tamen poteſt Novitius ex bonis ſuis ſibi reſrevare penſionem vitalitiam: ſiquidem ejusmodi reſervatio pugnaret cum voto paupertatis, quod brevi emiſſurus eſt.

5. Novitii non adſtringuntur ſub peccato aut pœna canonica ad obſervationem conſtitutionum ac ſtatutorum Ordinis, quem ingreſſi ſunt, ſed ſolum ad obedientiam Superiori ſuo præſtandam, & ad obſervationem eorum, quæ expreſſe a regula Novitiis præſcribuntur.

CASUS I. Maria nobilis puella ſollicitat pro impetrando habitu religioſo in Abbatia quadam vacante ſede abbatiali, quem etiam ſua ſolius authoritate concedit Epiſcopus diœceſanus, cujus immediatæ jurisdictioni Abbatia illa ſubiicitur. Competitne id juris Epiſcopo?

℞. Juxta S. Beuve Tom. 2. Caſ. 179. Epiſcopus non habet poteſtatem conferendi puellæ habitum, nec eam admittendi ad receptionem habitus religioſi, niſi poſtquam a tota

Commu-

Communitate ſuſcepta fuerit. Nec Communitati autem competit jus recipiendi Novitias ſede abbatiale vacante. *Pontas.*

CASUS II. Florianus decem abhinc menſibus novitiatum ingreſſus vehementer tentatur ad reditum in ſæculum. Cedit & abit ad quemdam amicorum ſuorum cum firmo propoſito deponendi habitum Religionis, quamprimum nactus fuiſſet habitum ſæcularem, quem eodem ipſo die recepturum ſe ſperabat. Interea vero temporis Superior monaſterii ipſum perquirens apud præfatum amicum invenit, & multa verborum lenitate ei perſuadet reditum in conventum; & Novitius ultro libentique animo obſequitur, ſincere dolens, quod tentationi ſuccubuerit. Teneturne Novitius de novo inchoare annum probationis? An vero ſufficit ad profeſſionem valide emittendam, ſi duos menſes adhuc ſuperſtites compleat?

℞. Si Florianus non poſuiſſet actum continuationi ſui novitiatus contrarium, juxta gnome pervulgatam, *parum pro nihilo reputatur*, non teneretur eum de novo inchoare. Verum cum diſcedendo ex Conventu renunciaverit continuationi novitiatus, & propoſito vivendi ſub obedientia ſui Superioris, modicum illud Floriano haud amplius patrocinabitur; ſed annus probationis de novo inchoandus erit, ut valida ſit profeſſio. *Ad hoc, ut novitiatus interrumpatur*, inquit Sylvius reſol. var. V. *Novitius.* 3. *ſufficit egreſſio e monaſterio ſine licentia Superioris, cum animo non redeundi ad monaſterium; ſive egreſſio illa perſeveret longo tempore, ſive brevi: per talem quippe egreſſionem iſto animo factam annus novitiatus deſinit eſſe continuus; ipſe Novitius interrumpit, imo excutit jugum obedientiæ, non tantum mente, ſed etiam ipſo opere.* Idem docet Sanchez L. 5. in Decal. c. 4. n. 31. *Pontas.*

CASUS III. Romualdus continuato per novem menſes novitiatu in quodam monaſterio, jamque faſtidiens illud, proprio motu aliud monaſterium ejuſdem Ordinis, ſeptem inde leucis diſſitum ingreditur, habitu religioſo nunquam depoſito, & abſque alia interruptione quam quinque vel ſex horarum. Expleto in hoc ſecundo conventu trimeſtri admittitur ad vota ſolemnia. Eſtne valida ipſius profeſſio?

℞. Juxta Navarrum L. 3. *Conſiliorum.* conſ. 17. 19. & 29. invalida eſt hæc profeſſio ex defectu temporis pro novitiatu requiſiti. Novitiatus, ut declarat Innocentius III. Cap. *Ad Apoſtolicam.* 16. Lib. 3. Tit. 31. inſtitutus eſt *non ſolum in favorem converſi, ſed etiam monaſterii, ut & ille aſperitates illius, & illud mores illius valeat experiri.* Tres menſes autem

tem non ſufficiunt ad hoc, ut Superior ſecundi monaſterii comparare ſibi potuerit certam notitiam de moribus ac diſpoſitione Novitii, qui & ipſe per tantillum tempus haud ſatis explorare potuit, an ſat virium aut animi habeat ad obſervandas auſteritates in novo conventu uſitatas, in quem ſe recepit. Præterea Concilium Tridentinum exigit, ut Novitius per omne tempus probationis præſcriptum ſub ejusdem Superioris obedientia vivat. *Pontas.*

CASUS IV. Genucius aſpirans ad ſtatum religioſum ingreditur monaſterium quoddam die primo Januarii, ibique per ſex menſes vacat omnibus functionibus & exercitiis Novitii, in habitu tamen ſæculari, die primum Julii primo religioſa veſte indutus. Poteſtne jam expletis in habitu regulari aliis ſex menſibus validam profeſſionem emittere? Cenſereturne etiam valide profeſſus, ſi transacto in monaſterio cum habitu religioſo ſemeſtri, inde egreſſus in ſæculo per tres menſes commoraretur, ac denuo rediens ad ſuum conventum per alios ſex menſes in habitu religioſo ibi converſaretur?

℞. Tantum per ſex menſes novitiatum feciſſe cenſetur Genucius; ideoque non poteſt valide profiteri. *Nec qui minori tempore*, inquit Concilium Tridentinum Seſſ. 25. *De regular.* c. 15. *quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur.* Nec valida foret profeſſio interrupto per tres menſes probationis anno: novitiatus enim per annum ideo præmittitur profeſſioni, ut & Novitius monaſterium, & monaſterium Novitium probare poſſit; ſi vero interrumpitur, non ita ſentitur ex continuitate laborum aſperitas. *Pontas.*

CASUS V. Spiridion aſſumpto habitu Novitii exiſtimat, a magiſtro Novitiorum nimio ſecum rigore agi in confeſſione ſacramentali; & hinc pro deponenda confeſſione accedit alium ſacerdotem ejusdem conventus, ab Epiſcopo tamen approbatum. Num tuta ſic agit conſcientia?

℞. Libertas hæc non poteſt ipſi permitti juxta Laurentium de Peyrinis Italum *de offic. Prælati regul.* q. 3. c. 1. n. 202. qui fundat opinionem ſuam in Bulla Clementis VIII. *Regularis.* 84. §. 28. vi cujus nec ipſe Superior poteſt excipere confeſſiones Novitiorum, nec alium a Magiſtro ipſis confeſſarium deputare, niſi ſemel aut bis tantum per annum probationis. *Ipſi autem magiſtro ſoli Novitiorum confeſſiones audiendi cura committatur*, ait Pontifex, *liceat tamen Superiori, etiam locali, ſi ita expedire judicaverit, vel per*

ſe

ſe ipſum, vel per alium ab eo deputandum ſemel aut bis in anno eorumdem Novitiorum confeſſiones audire. Pontas.

Nota. Bulla citata Clementis VIII. non videtur univerſaliter eſſe in uſu in Germania, ubi in pluribus monaſteriis, etiam ab obſervantia regulari celeberrimis, Novitiorum magiſter nunquam excipit confeſſiones eorum, ſed alius a Prælato regulari ad hoc deſignatus; & vere dubium eſt, quid conſcientiæ, profectui in virtute, ac ſaluti tyronis religioſi ſalubrius ſit, confiteri magiſtro, quocum ipſi quotidiana, vel alteri ex conventu, quocum ipſi extra confeſſionem nulla converſatio: utrinque non deſunt motiva allicientia & abſterrentia. Id indubitatum cenſetur, quod Novitii gaudeant omnibus favoribus ac privilegiis Religionis, & ab odioſis plerumque ſint exempti; hinc non ſubiiciuntur caſibus reſervatis a Superiore ſuæ Religionis, nec caſibus reſervatis ab Epiſcopo loci; poſſunt ſine alia licentia abſolvi a quolibet confeſſario approbato pro Regularibus ſine expreſſa excluſione Novitiorum; poſſunt inſuper abſque licentia Prælatorum Ordinis valide confiteri & abſolvi a peccatis etiam in Religione reſervatis per quemcumque confeſſarium, ſive ſæcularem ſive regularem ab Ordinario loci pro ſæcularibus approbatum; Novitii enim ante profeſſionem non ſunt vere ac ſtricte Religioſi, licet fruantur privilegiis Religioſorum, ſed quoad hoc ſunt inſtar ſæcularium; adeoque cuicumque confeſſario approbato ab Ordinario confiteantur, valida erit eorum confeſſio: neque etiam ante profeſſionem obligantur ſub culpa ad obſervationem regulæ & ſtatutorum Religionis, & ideo nec ligantur hoc ſtatuto, ſcilicet de confeſſione ſoli magiſtro Novitiorum facienda.

CASUS VI. Eugenia continuato per ſex menſes novitiatu ob incurſionem hoſtilem cogitur cum aliis monialibus fugere ex conventu, ad quem non niſi poſt anni lapſum, bello ſcilicet finito, cum ſecuritate reverti potuit pro explendo novitiatu. Diſceſſit autem cum licentia Epiſcopi & Superiorisſæ, ſub cujus obedientia durante abſentia ſemper perſtiterat. Satisne eſt ad validam profeſſionem, ſi compleat ſemeſtre, quod adhuc reliquum erat, dum ex conventu abiit?

℟. Si nulla alia ſubſit cauſa, quæ ipſam gratia profeſſionis indignam reddat, ocyus poſt reditum ad profeſſionem admitti poteſt, quin ſex menſes novitiatus reſiduos ſupplere teneatur: licet enim ex mente Concilii Tridentini Novitius non cenſeatur compleviſſe novitiatum ſuum, niſi per annum integrum probationem ſuſtinuerit, non tamen abſolute neceſſarium eſt, ut totum hoc tempus tranſigatur in monaſterio, in quo quis profeſſionem emiſſurus eſt; ſed ſufficit, quod ſemper geſtet habitum Novitii, vivat ſub obedientia ſui Superioris, & non diſcedat a conventu, niſi ex cauſa juſta & cum conſenſu ſui Superioris. Sic olim

 reſpon-

reſpondit Navarrus ad caſum omnino conſimilem, qui ipſi juſſu Cardinalium Concilii Tridentini interpretum decidendus erat. *Tenenda eſt pars affirmativa*, inquit inſignis hic Canoniſta L. 4. Conciliorum conſil. 32. n. 2. *tum quia prædictus Novitius detulit habitum ſuſceptum per totum unum annum, partim intra monaſterium partim extra illud, manens ſemper ſub obedientia ſui Superioris, & cum ejus licentia, juſta de cauſa data, & faciens ejus præcepta & mandata; quod videtur ſufficere ad implendum annum ſuæ probationis novitiatus.* Idem docent Sylvius reſol. var. v. *Novitius.* 1. & Suarez Tom. 3. de relig. Lib. 5. c. 14. *Pontas.*

CASUS VII. Euthalia Religionem ingreſſa ad probationem Ordinis ſuſcepta fuit ante decem vel undecim menſes. Sed velo accepto adeo variis infirmitatibus continuo affliɛtatur, ut vix appareat, eam ad obſervantias regulares unquam convalituram; maximo tamen cum fervore ac inſtantiſſime petit admitti ad profeſſionem, & ne monaſterio ſit oneri, ampliorem promittit dotem, ac antea promiſerat. Poteſtne virgo hæc tuta conſcientia admitti ad profeſſionem?

℟. Si Euthalia alias egregiis dotibus inſtructa eſt, quibus defectus ſanitatis corporalis compenſari poſſit, ſanctamque ſimul ac exemplarem vitam ducit, poteſt admitti juxta S. Beuve Tom. 1. caſ. 50. Licet enim infirmitates ipſius videantur incurabiles, id tamen impedimento non foret ad obſervanda eſſentialia religionis, nempe tria vota, in quo conſiſtit obligatio primaria perſonæ religioſæ; imo poſſet etiam obſervare ſaltem partem conſtitutionum regularium, quamvis ad omnes obſervandas in rigore foret inhabilis. Promiſſio Euthaliæ de augenda dote ſua, facta non eo fine, ut ad profeſſionem recipiatur, ſed præciſe ideo, ne conventui ſit oneri, nil vitioſi continet aut vituperatione digni, maxime ſi monaſterium hujusmodi ſubſidio indigeat: æquum enim eſt, ut auctione dotis compenſentur monaſterio expenſæ in profeſſam faciendæ ob ejusdem infirmitates fors perpetuas. *Pontas.*

CASUS VIII. Caſtulus in anno biſſextili profeſſionem emiſit non connumerato die intercalato. Cum jam continuis detineretur infirmitatibus, ita ut ferendis regulæ aſperitatibus impar eſſet, quærit an non ex eo, quod annus novitiatus non fuerit integer, annullari poſſit profeſſio in ſuum non minus quam monaſterii commodum.

℟. Profeſſio Caſtuli nulla eſt ; quia deficiente uno die annus probationis non fuit completus . quod tamen ad validam profeſſionem abſolute neceſſarium eſt : annus enim iſte non ad annuum ſolis orbem eſt exigendus, ſed ad civilem & politicum calculum , quo dies duo bisſexti tanquam unus idemque ſpectantur , ut habetur Leg. *Cum bisſextum.* 98. ff, Lib. 50. Tit. 16. Sic etiam expreſſe habetur ex Sacra Congregatione Concil. quæ in una Patavina 4. Junii 1627. cenſuit, *non valere profeſſionem reſpectu anni bisſextilis cujusdam , qui ingreſſus eſt Religionem* 27. *Martii* , *& die* 26. *ejusdem menſis ſequentis anni currente anno bisſextili emiſit profeſſionem.* Et in una Antegavenſi 31.Aug.1633. eadem S. Congregatio declaravit , *profeſſionem emiſſam a Fratre Ordinis Recollectorum S. Franciſci in anno bisſextili , non exſpectato lapſu diei, qui illi anno accreſcit , eſſe invalidam , ut emiſſam ante lapſum anni præſcripti a Concilio Tridentino.* Hinc Caſtulus ; ſi necdum elapſum eſt quinquennium ab emiſſa profeſſione , licite poteſt contra eam reclamare. *Fromageau.*

CASUS IX. Joannes durante novitiatu ſuo ſæpius egreſſus eſt monaſterium , & ſemel quidem per tres fere menſes extra illud ſe detinuit , retento tamen ſemper habitu Novitii , & ſciente ac conſentiente Superiore. An non videtur impugnari poſſe ipſius profeſſio , quam poſtea emiſit ?

℟. Per abſentiam Novitii etiam notabilem a ſuo conventu , dummodo fiat cum licentia Superioris , & depoſito nunquam habitu, non cenſetur interrumpi novitiatus. Hinc valida eſt Joannis profeſſio , & ea ex hoc argumento impugari non poteſt. *Fromageau.* Vide Caſ. 6.

CASUS X. Sophia Sanctimonialis , poſtquam per octo menſes novitiatum peregerat in quodam monaſterio , Superiorum juſſu abiit ad alium conventum , ubi reliquos quatuor probationis menſes confecit. Poteſtne in hoc ſecundo monaſterio ejusdem cum primo Ordinis ac diœceſis , & conſequenter eidem Epiſcopo ſubjecto , in quo ſolum per quatuor menſes novitiatum perfecit , his elapſis validam profeſſionem emittere ?

℟. Novitiatus Sophiæ non cenſetur eſſe interruptus , licet in duobus monaſteriis eum perfecerit ; & hinc elapſo probationis anno poteſt ad profeſſionem admitti in ſecundo monaſterio , quo ex obedientia tranſiit , dummodo utriusque monaſterii conſenſus accedat. *Fromageau.*

CASUS XI. Jacobina anno probationis jam perfuncta , ſed ob ſupervenientem infirmitatem ad profeſſionem non admiſſa , ex medicorum conſilio & annuentibus Superioribus

ſæculum repetit, ac ad parentes ſuos abit, facilius ac citius recuperatura valetudinem priſtinam, depoſito quidem Religionis habitu, ut res minore cum ſtrepitu fieret, nunquam tamen dimiſſo vocationis ſuæ, ac profeſſionis religioſæ propoſito. Degit apud ſuos per quinque menſes pietati vacans ac ſeceſſui, ac recuperata valetudine integra redit ad monaſterium. Poteſtne Jacobina ocyus admitti ad profeſſionem abſque novo probationis anno?

℟. Mox poteſt admitti Jacobina ad profeſſionem, quin novum inchoare novitiatum teneatur; dummodo monaſterii ſtatus interea mutatus non fuerit, & eadem adhuc vigeat obſervantiæ ratio: *cum* enim juxta regulam juris 31. in 6. *qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.* Congregatio Cardinalium Concilii interpretum quæſtionem hanc diremit, nec iterandum denuo in ſimili caſu novitiatum eſſe pronunciavit. Rem affert Proſper Fagnanus in Cap. *Ad Apoſtolicam.* Ita autem loquitur: *Cum olim dubitatum eſſet in ſacra Congregatione Concilii, an is, qui habitu religionis ſuſcepto annum integrum manſit in Religione, eoque elapſo gravi morbo correptus, & propterea profeſſione nequaquam emiſſa permiſſu Superiorum ad ſæculum redit, ſi poſſit inde ad triennium morbo liberatus, & ad monaſterium reverſus protinus emittere profeſſionem, vel potius per alium annum ſtare in probatione teneretur; S. Congregatio cenſuit poſſe ſtatim emittere profeſſionem, non expectato alio probationis anno, niſi Religionis aut perſonæ conditio ſit mutata; idque Superiorem Religionis animadvertere diligenter debere. De Lamet.*

Vide *Abbas.* caſ. 4. & 5. *Abbatiſſa.* caſ. 1. & 2. *Approbatio.* caſ. 15.

NUMMULARIUS.

1. *Nummularii* dicuntur, qui tanquam commiſſarii ab aliis conſtituti certas pecuniæ ſummas in regione extera cuipiam numerandas curant, aut ab una urbe in aliam dirigunt, idque per delectos ibi procuratores ſuos, aut per litteras cambiales; ex quo negotio modicum lucrum reportant tum pro opera ſua ac induſtria, quam adhibent, tum propter pericula amittendi pecuniam, quæ ſubeunt, tum denique pro expenſis, quas in commodum aliorum facere tenentur.

2. Nummularii tenentur habere codicem fideliter ac in forma conſueta confectum, in quo ratio negotiationis, litteræ cambiales, debita tam activa quam paſſiva, ac omnes expenſæ contineantur. Non poſſunt obtinere prorogationem

nem termini, quo ſolvenda pecunia, niſi in tabulario forenſi depoſuerint ſtatum authenticum & exactum omnium bonorum ſuorum, mobilium & immobilium, ac debitorum; niſique creditoribus regiſtra ſua ac codices exhibuerint, ſi ab illis id exigatur. Si in fraude deprehendantur, publica protectione deſtituuntur, & excidunt beneficio ceſſionis bonorum, omnique ſpe illud denuo recuperandi.

3. Nummularii in Curia Romana ſunt ii, quibus incumbit negotium requirendi, obtinendi Romæ, ac per ſuos correſpondentes curandi expeditionem Bullarum, proviſionum, reſcriptorum, diſpenſationum &c.

CASUS I. Galerius nummularius exercet commercium cambii, cumque ſummam 500. florenorum Genevæ cuidam ſolvendam curaſſet, recipit ex hoc negotio aliquod lucrum; licet omnis ipſius labor in eo poſitus fuerit, quod ſcripſerit ad amicum ſuum, aut mercatorem urbis illius, ut ſolveret hanc ſummam, ſive debitam prius Galerio, ſive a Galerio ad mandatum amici vel mercatoris viciſſim ſolvendam alteri. An lucrum hoc non eſt injuſtum?

℞. Lucrum iſtud, modo non ſit immoderatum, juſtum eſt ac legitimum. Ratio eſt 1. quia Galerius tenetur ferre damnum in caſu, quo periret hæc ſumma. 2. Quia ipſi labor incumbit, ac expenſæ faciendæ ſunt pro translatione pecuniæ; & licet ea in hoc caſu nullo labore, nec expenſis Galerio ſteterit, non poteſt tamen injuſtitiæ argui, aut de uſura condemnari, ſi modicum lucrum recipiat; quia cavet de periculo amittendæ pecuniæ, quod fors contingere poſſet ex parte amici aut mercatoris Genevenſis; facilitas autem translationis ut fructus publici ſui officii, & propriæ induſtriæ conſideranda venit. Notandum autem, uſurarium fore, ſi Galerius majus lucrum reciperet retardatæ ab illo, cui litteras cambiales dederat, ſolutionis cauſa, aut ſi ſe obligaret ad ſolvendum intereſſe in caſu, quo ſumma 500. florenorum tempore deſignato non ſolveretur. *Expectatio pretii ſolvendi*, ait S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. ad 7. *habet rationem mutui; unde quidquid ultra juſtum pretium exigitur, eſt quaſi pretium mutui, quod pertinet ad rationem uſuræ. Pontas.*

CASUS II. Guirinus cum opus haberet 100. Ducatis, convenit deſuper Nummularium florentinum, ac ſub hac conditione obtinet, ut eos poſt decem dies redderet in eo valore, quem tunc haberent Venetiis; utque, ſi Guirinus eos diutius ſervaret, tempus ſolutionis prorogetur de menſe in menſem ſub nova ſemper littera cambiali, iisdemque

conditionibus. Accidit autem, ut elapſo termino illi 100. Ducati ſex pluris valerent Venetiis, quam Florentiæ valebant. Eſtne hoc lucrum Nummularii legitimum?

℟. Juxta S. Antoninum 2. part. Summ. Theol. Tit. 8. c. 3. hujusmodi commercium communiter cenſetur uſurarium; eo quod tantum exerceatur ob ſpem lucri exinde capiendi. *Communiter cenſetur uſurarium*, ait, *quia ibi eſt mutuum & ſpes lucri in campſore, ex quibus duobus perficitur uſura. Pontas.*

CASUS III. Berardus Nummularius exercet cambium, quod vocant præfiniti temporis aut ſolutionis, quale exercent mercatores in foro argentario, qui dant 1000. florenos poſt tres menſes ſolvendos cum duobus aut tribus pro centum, & ſic a trimeſtri in trimeſtre. Eſtne juſtum hoc commercium?

℟. Cum hoc lucrum tantum recipiatur ob dilationem ſolutionis, ac per conſequens ſub ratione mutui, hujusmodi cambii ſpecies ex natura ſua veram uſuram continet, Berardusque ea intentione cambium hoc exercens peccat. Si tamen Berardus negotiationem exerceret, excuſari fors poſſet ratione lucri ceſſantis & damni emergentis. Hæc ſpecies negotiationis pecuniariæ obtinet in emporiis, maxime Lugduni. Ne autem uſura interveniat, neceſſe eſt 1. ut ſive nummularius ſive mercator ſic mutuans principaliter non intendat lucrum, ſed ſolum obſequium indigenti exhibendum. 2. Ut actu habeat animum has pecunias exponendi in negotiationem, nec ad manum ſint aliæ, quæ poſſent mutuo dari abſque detrimento ſui commercii. 3. Ut occaſio ſit præſens utiliter collocandi has pecunias, de quo advertendus mutuatarius, ut, ſi viſum fuerit, alio ſe convertat pro obtinendis pecuniis neceſſariis. *Pontas.*

CASUS IV. Lombardus nummularius opulentiſſimus cum in ſe ſuſcepiſſet prægrandes ſummas Statui ſubminiſtrandas, ac inſuper plura alia maximi momenti negotia ipſi gerenda eſſent pro bono commercii ſui, hæcque omnia ex præſenti ſua pecunia præſtare non poſſet, notabiles pecuniæ ſummas ab aliis privatis perſonis recipit mutuas, datoque viciſſim ſyngrapho ſe obligat ad ſolvendam fixo tempore ſummam, & interea conſuetum ac legibus determinatum cenſum; dum tamen ipſe ex ſumma Principi ſubminiſtrata recipit intereſſe decem pro centum. Confeſſarius ipſum obligat ad reſtitutionem, & ad deferendam menſam ſuam argentariam, ſi eam alia ratione ſuſtinere non poſſet. Num Lombardus tenetur obſequi confeſſario?

℟.

7. Non poteſt Lombardus tuta conſcientia pecunias accipere mutuas cum intereſſe ſolvendas, ut menſam ſuam argentariam ſuſtineat. Abſolute tenetur ſe conformare ſententiæ confeſſarii ſui obligantis ad reſtitutionem; eo quod hæc absque uſura fieri non poſſint, non obſtante, quod dicat, periculum ſe ſubiiſſe. Tenetur itaque lucrum integrum ex pecuniis mutuo acceptis reportatum tanquam uſurarium reſtituere illis, a quibus id percepit. Si tamen aut gravis neceſſitas Status, aut ſublimior poteſtas urgeret Lombardum ad ſubminiſtrandas has ſummas, poſſet mutuo eas accipere pro fœnore, licet mutuantes non poſſent petere cenſum, niſi in caſu, quo ejusmodi cenſus authoritate publica approbaretur. Videtur quoque, quod Lombardus poſſit recipere quoddam intereſſe a Principe, qui poteſt benefacere ſubditis, quorum bonum reputatur bonum Principis in communi neceſſitate Status. *Pontas.*

Nota. Cum valor periculi a nummulario in ſe ſolum recepti ſit duplo major in Lombardo, quam in aliis mutuantibus, & ratione periculi juſte accipiatur auctarium ultra ſortem, Lombardus non videtur obligandus ad reſtituendum lucrum.

Vide *Campſor. Mutuum* caſ. 1. *Reſtitutio. Uſura.*

NUNDINÆ.

Vide *Dominica & Feſta.* Caſ. 5. 11. & 12.

O.

OBEDIENTIA.

1. *Obedientia* eſt virtus disponens hominem ad exequenda mandata Superioris. Theologi diſtinguunt inter materialem] & formalem obedientiam. *Materialem* definiunt, quod ſit *virtus inclinans ad executionem operis præcepti, non qua præcepti, ſed qua habentis intrinſecam honeſtatem aut relationem in Deum, aut motivum virtutis diſtinctæ ab obedientia.* Addunt Theologi, iſtam obedientiam non eſſe virtutem ſpecialem, ſed eam extendi ad omnes virtutes, quæ inclinant ad actum, qui præcipi poteſt. Obedientiam autem *formalem* definiunt, quod ſit *virtus inclinans ad executionem præcepti Superioris, qua præceptum eſt.* Quamvis hæc obedientia extendere ſe poſſit ad omnes virtutes, eſt tamen virtus ſpecialis proprie dicta; quia pro objecto ſpeciali habet

bet obligationem obediendi voluntati Superioris, qui ut talis præcepit opus, & indicat, ſe velle ejusdem executionem.

2. Obedientia involvit obligationem indiſpenſabilem obediendi in omnibus, quæ juſta & rationabilia ſunt, non ſolum Superioribus eccleſiaſticis, verum etiam omnibus Superioribus laicis. *Non eſt poteſtas, niſi a Deo* inquit Apoſtolus Rom. 13. v. 1. cui homo ſe tenetur ſubiicere non ſolum ex metu punitionis, ſed etiam ex ductu conſcientiæ & amore juſtitiæ; id quod idem Apoſtolus expreſſis ac formalibus verbis indicat, dum ibidem v. 5. ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Idem S. Petrus 1. Ep. c. 2. omnibus fidelibus præcipit, inquiens: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi tanquam præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis.*

3. Quilibet ergo fidelis in omnibus, quæ concernunt ſalutem animæ ſuæ, circa dogmata fidei ac regulas conſcientiæ, obedire tenetur confeſſario, parocho & Epiſcopo ſuo. Quilibet Clericus tenetur præſtare ſinceram ac perfectam obedientiam ſuo Prælato; quilibet Religioſus ſuis Superioribus in omnibus, quæ ad obſervantiam regularem ſpectant, liberi ſuis parentibus, famuli & ancillæ ſuis dominis; ac tandem quilibet homo ſtatui politico ſubjectus debet obedire conſtitutionibus ac legibus ſui Principis, adeoque etiam mandatis Ducum, miniſtrorum, judicum politicorum ac Officialium ſui Principis tam civilium quam militarium.

4. Ex reſponſione ad primum caſum hujus articuli patebit, quandonam & in quibus circumſtantiis non teneatur quis juxta doctrinam S. Thomæ Superioribus ſuis exhibere obedientiam.

CASUS I. Rumoldus parochus in publica theologica conferentia proponit quæſtionem, an inferior ſemper teneatur ſub reatu peccati obedire legitimo Superiori ſuo in omnibus: quidam abſolute ac indiſcriminatim tenent affirmativam; alii autem negativam tuentur ſententiam. Quinam eorum veritati magis propinquant?

℟. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 104. art. 5. C. duobus modis poteſt contingere, ut inferior non teneatur in omnibus obedire ſuo Superiori: 1. Quando a Superiore Superioris præcipitur inferiori, ne mandatum Superioris ſubalterni exequatur v. g. Parochus præcipit quidpiam, licet juſte, ſuo vicario aut capellano, & Epiſcopus prohibet executionem mandati; in hoc caſu vicarius non poteſt obedire

ſuo

ſuo parocho. Vel Prior monaſterii imperat quidpiam Religioſo ſubdito, etſi juſte, non licebit huic obedire, ſi invitus ſit Generalis aut Provincialis, aut expreſſe obedientiam prohibeant. 2. Non tenetur quis obedire Superiori ſuo, quando præcipit quidpiam, in quo inferior eidem ſubjectus non eſt; ut ſi prohiberet cogitare de aliqua re, quæ de ſe mala non eſt. Idem S. Thomas in 2. Sent. diſt. 44. q. 2. art. 3. C. & ad 1. 2. 3. 4. 5. Idem Quodl. 2. q. 5. art. 9. C. docet, ad hoc, ut quis obedire teneatur, requiri 1. ut Superior præcipiens ſit legitimus, & canonice inſtitutus. 2. Ut nihil præcipiat, quod ſit de ſe malum, & præceptis Dei aut Eccleſiæ contrarium. 3. Ut nihil jubeat, quod excedit poteſtatem ejus. Ex quibus ſequitur, Superiori obedientiam non deberi, quando via injuſta & contra leges ad ſuperioratum pervaſit, vel quando injungit peccaminoſa, aut ea, ad quæ ejusdem authoritas ſeſe non extendit. *Pontas.*

CASUS II. Aemilianus Superior eccleſiaſticus Petro ſubdito ſuo aliquid præcipit, quod eidem a Superiore ſæculari prohibetur. Cuinam Petrus obedire tenetur?

℟. Utraque poteſtas, eccleſiaſtica & ſæcularis, eſt a Deo. Certum eſt, poteſtatem ſæcularem non eſſe ſubjectam poteſtati eccleſiaſticæ, niſi in quantum illam Deus huic ſubditam eſſe voluit; nec etiam huic ſubjecit illam Deus, niſi in rebus ad ſalutem pertinentibus. Petrus itaque non tenetur præferre juſſa Superioris eccleſiaſtici, niſi in rebus æternam animæ ſalutem ſpectantibus. In omnibus aliis rebus debet magis ac prius obedire Superiori ſæculari. Quod ſi vero utraque poteſtas in eodem Superiore reſideat, nulla utique facienda eſt, & nec fieri poteſt diſtinctio. *Poteſtas ſpiritualis & ſæcularis*, inquit S. Thomas in 2. Sent. diſt. 44. q. 2. art. 4. ad 4. *utraque deducitur a poteſtate divina. Et ideo in tantum ſæcularis poteſtas eſt ſub ſpirituali, in quantum eſt ei a Deo ſuppoſita, ſcilicet in his, quæ ad ſalutem animæ pertinent, Et ideo in his magis obediendum poteſtati ſpirituali, quam ſæculari. In his autem, quæ ad bonum civile pertinent, eſt magis obediendum poteſtati ſæculari, quam ſpirituali ſecundum illud Matth.* 22. *REDDITE, QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI &c. Pontas.*

CASUS III. Leontius Religioſus eſtne obligatus vi voti obedientiæ ad obediendum Superiori ſuo præcipienti quidpiam contra regulam Ordinis, vel quod excedit rigorem regulæ?

℟.

℞. Certum eſt, Leontium in neutro caſu obligari ad obedientiam. *Quod enim Religioſus*, ait, S. Thomas Quodl. 10. art. 10. C. & in 2. Sent. diſt. 44. q. 2. art. 3. ad 3. *non tenetur Prælato obedire in his, quæ ſunt contra Deum vel contra regulam, vel quantum ad ea, in quibus Prælatis diſpenſatio non committitur, omnes communiter dicunt. Quod etiam in his, quæ ſunt arctiora, quam regula, obedire non teneatur, ſed ſic obedire ſit obedientiæ perfectæ, ab omnibus dicitur.* Idem D. Thomas ſentit de rebus prorſus indifferentibus, & nullam habentibus relationem ad regulam, ut confricare barbam, vel levare feſtucam de terra. *Pontas.*

NOTA. S. Bernardus *de præcept. & diſpenſ.* c. 5. ſic habet: *Prælati juſſio vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis; nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi; nec plus exigat, quam promiſi.* Poteſt autem Superior regularis ſubdito præcipere aliquam relaxationem ab obſervatione regulæ, v. g. jejunii regularis, recitationis divini Officii &c, ſi id ad tempus expedire judicet ad ejus ſalutem corporalem. Multo magis poteſt ipſi præcipere aliquam auſteritatem & mortificationem extraordinariam in pœnam commiſſi criminis, & ad præcavendum relapſum; & hujusmodi ſubditus abſolute tenetur obedire; quia id vel maxime conducit ad obſervantiam regulæ, ad quam voto adſtringitur. Vide Caſ. 17.

CASUS IV. Baſilius Superior Benigno ſubdito ſuo religioſo præcipit rem, circa quam hic dubitat, an in conſcientia teneatur obedire. Quid agendum in hoc dubio?

℞. Dubium Benigni vel reſpicit ipſam perſonam Superioris, utrum ſcilicet ſit legitimus Superior, vel non; aut ſpectat rem ab eo præceptam, an videlicet licite fieri poſſit, nec ne. Si primum, ad tollendum dubium conformare ſe debet opinioni communiori & magis receptæ reliquorum Religioſorum, ita ut obedire teneatur, ſi pars major ipſum agnoſcat tanquam Superiorem legitimum; licet non nulli ipſum ut talem non revereantur. *In primo caſu*, inquit Cabaſſutius Jur. Can. Theor. & prax. L. 1. c. 21. n. 17. *de dubio circa perſonam præcipientis vel favet ei communis Regularium opinio, quamvis pauci aliqui diſſentiant, credentes, non eſſe legitimum Superiorem; & tunc debet inferior ſic dubitans adhærere communi judicio, & ſic obtemperare; quia communis opinio facit jus.* Si ſecundum, debet conſulere virum doctum, cui aliunde nullam debet obedientiam; & ſi non obſtante ipſius conſilio dubium adhuc ſubſiſtat, non tenetur obedire. *De materia vero præcepti*, ait idem, *ſi inferior dubitat, num licita ſit, non ei licet in ea re obedire, quamdiu perdurat dubium: ſic enim peccaret, dum ſe peccati periculo exponit.* Ita etiam

am S. Thomas 1. 2. q. 96. art. 6. C, & ad 2. Advertit tamen Cabaſſutius, quod ſubditus ob ipſam authoritatem præcipientis poſſit deponere dubium; cum æquum non ſit, ut authoritas & efficacia legis dependeat a ſcrupulis ac dubiis ſubditi. *Pontas.*

NOTA. Superior eſt in poſſeſſione ſuæ poteſtatis præcipiendi; & in dubiis melior eſt conditio poſſidentis. Habet inſuper jus certum præcipiendi, quo ſpoliandus non eſt per ſuperveniens dubium ſubditi. Bonum commune quoque, ac prudentia legislativa in Deo exigere videtur, ut jubeat ſubditos parere in caſu dubii. Imo lex dubia probabilius non datur; quia leges ſic exigunt promulgari ac ſolent, ut earum exiſtentia fiat credibilior non ipſa; & hinc etiam lex contra Superiorem dubia probabilius non datur.

CASUS V. Chryſologus Abbas regularis Religioſis ſuis imperat quædam, quæ ipſis prohibentur ab Epiſcopo diœceſano. Cuinam parendum?

℟. Quando res a Chryſologo imperatæ reſpiciunt ſolum diſciplinam regularem monaſticam, Religioſi in omnibus eidem obedire tenentur in conſcientia. Quod ſi vero concernant diſciplinam eccleſiaſticam, tenentur obedire Epiſcopo, qui habet jus ſartam tectamque conſervandi in tota diœceſi ſua diſciplinam eccleſiæ, ejusque urgendi obſervantiam, Regularibus ſive exemptis ſive non exemptis nullatenus exceptis, ut clare colligitur ex decretis Concilii Tridentini Seſſ. 25. de Regular. c. 11. 12. 13. 14. & 22. Ita quoque docet S. Thomas in 2. Sent. diſt. 44. q. 2. art. 3. ad 3. Hinc ſi Epiſcopus v. g. præciperet celebrationem feſti in ſua diœceſi, & Abbas regularis monaſterii ejusdem diœceſis eam Religioſis ſuis inhiberet, hi Epiſcopo potius quam Abbati ſuo obedire tenerentur. Idem dicendum circa omnia alia pure ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentia. *Pontas.*

CASUS VI. Hidulphus Religioſus Ordinis reformati cogitat interdum ſcribere ad Epiſcopum ſuum diœceſanum, cujus jurisdictioni monaſterium profeſſionis ſuæ ſubjectum eſt; id autem expreſſe ac ſevere ipſi interdicit Superior localis, niſi tam litteras a ſe ſcriptas, quam reſponſorias ab Epiſcopo acceptas eidem legendas exhibeat. Teneturne Hidulphus in conſcientia Prælato ſuo hac in re obedire?

℟. Nec litteras ad Epiſcopum datas, nec ab eodem receptas Superiori ſuo immediato legendas exhibere in conſcientia tenetur Hidulphus, cujus monaſterium a jurisdictione Epiſcopi dependet. *Sicut non oportet*, inquit Sylvius Reſol. var. V. *Abbas.* 1. *Priorem eſſe conſcium omnium eorum, quæ Abbas cum ſuis Religioſis tractat, aut quæ Religioſi*

gioſi cum eo ; ita non oportet Abbatem omnia ſcire, quæ ſuus Epiſcopus cum ſuis Religioſis communicat, vel contra. Alias poſſet contingere, ut Religioſo male ac injuſte vexato a Superiore ſuo omnia ſublata eſſet occaſio ac libertas confugiendi ad Epiſcopum, ſuasque querelas ad eum deferendi. *Pontas.*

Nota. Idem dicendum de litteris a Religioſo ad Prælatum ſuum abſentem ſcriptis, aut a Prælato Religioſo ſubdito inſcriptis, quas nec referandi nec legendi jus habet Decanus aut Prior clauſtralis, etſi citius ad ejusdem quam Religioſi manus devenerint ; & ſi immediate Religioſo tradantur, hic eas Decano aut Priori exhibere non tenetur.

CASUS VII. Joſephus Religioſus monaſterii Procurator confitetur Hieronymo confratri ſuo, diſpoſuiſſe ſe propria authoritate de ſumma notabili, quam clanculum ſibi reſervaverat. Id ſubodoratus Abbas regularis præcipit Hieronymo confeſſario, ut ſibi manifeſtet ſingula, quorum hac de re notitiam haberet. Renuit obedire Hieronymus, non obſtante licentia a Joſepho obtenta declarandi omnia & ſingula, ſi id ex re fore arbitraretur. Teneturne Hieronymus vi voti obedientiæ dicere veritatem ?

℟. Hieronymus confeſſarius nec tenetur nec poteſt obedire Abbati, niſi jam aliunde, vel ante vel poſt auditam confeſſionem, facti hujus notitiam hauſerit ; licet Joſephus in rei manifeſtationem expreſſe conſenſerit. Si vero aliunde id reſciviſſet, ut rem jam extra omne dubium poſitam, poſſet manifeſtare, quod extra confeſſionem ipſi innotuit; ita tamen, ut nec a longe adverti poſſit, quod etiam ex confeſſione id ſciat : imo nec aliunde cognita manifeſtare poſſet, ſi vel minimum exinde ſcandalum oriri poſſe prævideatur. Ea, quæ tractantur ac geruntur in foro pœnitentiæ, nullo prorſus modo pertinent ad forum externum, nec ad hoc unquam referri poſſunt. *Pontas.*

Nota. Summa Superioris imprudentia ac injuſtitia foret, ſi ad convincendum Religioſum ſuſpectum de delicto teſtimonium requireret ab ejusdem confeſſario, etiam circa ea, quæ extra confeſſionem noſſe præſumitur : vix enim id fieri poſſet, quin confeſſarius iſte incurreret ſuſpicionem fracti ſigilli.

CASUS VIII. Athanaſius Superior monaſterii graves ob cauſas ſuſpicatur, quempiam ex ſuis Religioſis commiſiſſe peccatum grave contra votum paupertatis. Hinc injungit magiſtro noviciorum, qui re ipſa plenam culpæ commiſſæ noti-

titi-

titiam habet, ut rei totius ac delicti ſeriem ſibi exponat. Num obedire tenetur?

℞. Si peccatum Religioſi hujus eſt penitus occultum, ita ut nemo, ſaltem cum fundamento, de eo ſuſpicetur, magiſter novitiorum non tenetur obedire Superiori: in hoc enim caſu manifeſtatio juxta S. Thomam 2. 2. q 33. art. 7. ad 5. fieri non poſſet ſalvo recto ordine correctionis fraternæ. Verum ſi jam in plurium notitiam pervenerit delictum, aut ob violentas ſuſpiciones jam ſuborta ſint ſcandala, tenetur Superiori obedire, & manifeſtare delictum, ut idem S. Thomas docet; quia ſilentium vergeret in grave damnum non ſolum delinquenti, ſed etiam illis, qui delicti habentes notitiam aut ſaltem ſuſpicionem, exinde ſumpſerunt occaſionem ſcandali. *Pontas.*

Nota. Notanda vel maxime hic eſt doctrina D. Thomæ, quam Quodl. 4. q. 8. art. 12. item Qnodl. 1. art. 16. C. tradit hiſce verbis: *Si autem peccatum fratris non ſit adeo occultum, quin per aliquas ſuſpiciones in multitudinis notitiam veniat, unde multorum ſcandalum oriatur, jam peccatum non ſolum nocet illi, ſed multis: & quia bonum multitudinis præfertur bono unius; ideo Prælatus debet diſquirere veritatem de facto, ut ſcandalum multitudinis ceſſet vel per pœnam peccantis, vel per ejus excuſationem. Et ideo in tali caſu poteſt præcipere ſcienti crimen fratris, quod manifeſtet; & ille, cui præcipitur, tenetur Prælato obedire.* Gravia ergo crimina Religioſi, maxime contra præceptum & votum caſtitatis, de quibus non ſolum in domo religioſa, ſed & foris paſſim vel habetur certa notitia, vel ſaltem violenta ſuſpicio, non poſſunt occultari a Prælato ſine novo, eoque graviori ſcandalo, ac graviſſime divinæ gloriæ & ſalutis animarum detrimento. Non indignandum ſcientibus delictum, vel cum fundamento ſuſpicantibus, ex eo ſolum, quod ſciant aut ſuſpicentur; ſed inquirendum eſt, & pro eventu inquiſitionis vel puniendus reus, & ita quidem, ut id innoteſcat ſcientibus aut ſuſpicantibus, vel publice innocentia ipſius declaranda: & ſic ceſſabit ſenſim ſcandalum, quod occultato delicto tenaciter hærebit, ni omnino ſerpat latius.

CASUS IX. Florentinus Religioſus in pleno Capitulo accuſat confratrem ſuum de gravi peccato contra vota religioſa commiſſo. Superior proin omnibus præcipit, ut, ſiquam haberent notitiam delicti, id manifeſtent. An Superior habet jus ſic præcipiendi, & ſubditi obligationem parendi?

℞. Juxta D. Thomam Quodl. 1. art. 26. C. Superior iſte habet jus obligandi ſuos Religioſos, ut comperta ſibi manifeſtent, & Religioſi tenentur in conſcientia obedire. Idem poteſt præcipere, quando agitur de patefaciendo peccato, de quo proxime perpetrando jamjam conſilia inita ſunt, nec-

dum tamen hucuſque in opus externum prodiit. Imo datur obligatio illud Superiori manifeſtandi, etiam non expectata deſuper ipſius juſſione, quando facile prævideri poteſt, peccatum hoc vergere in damnum vel ſpirituale vel temporale plurium aliorum. *Pontas.*

CASUS X. Mauritius viſitator cujuſdam monaſterii fœminarum grave habet fundamentum ſuſpicandi, unam ex Monialibus graviter peccaſſe contra aliquod votum ſubſtantiale religionis. Hinc eam in particulari examinat, & jubet, ut fateatur veritatem. Teneturne ex obedientia manifeſtare delictum?

℟. Monialis hæc non tenetur fateri peccatum ſuum, ſi ſit & maneat occultum; quia non vovit obedientiam ſimpliciter abſolutam & cæcam, ſed juſtam ac rationabilem, quam Apoſtolus Rom. 12. 1. vocat *rationabile obſequium veſtrum.* Nec juſte autem nec rationabiliter Superior a Moniali ſubdita exigit, ut extra tribunal pœnitentiæ fateatur delictum grave ſecreto a ſe commiſſum: ejuſmodi enim obedientiam ſolum in confeſſione præſtare tenetur confeſſario. Et in hoc ſenſu S. Gregorius Papa Can. *Admonendi.* 157. cauſ. 2. q. 7. ait: *Admonendi ſunt ſubditi, ne plus, quam expedit, ſint ſubjecti. Pontas.*

CASUS XI. Vindomius parochus dynaſtam parochiæ ſuæ in concubinatu viventem per fraternam correctionem ad bonam frugem reduxit, ſinceramque ejuſdem converſionem procuravit. Brevi poſt Epiſcopus effrenatam viri libidinem comperiens accerſit parochum, rei veritatem ex eo percepturus. Vindomio fixum ratumque erat conſervare famam dynaſtæ, quem meliora jam conſilia cepiſſe noverat; ſed urget Epiſcopus, eique imperat, ut, quæ ſibi nota eſſent, ediceret. Teneturne parochus obedire Epiſcopo?

℟. Doctiſſimus Gerſon *de Correct. prox.* exiſtimat, parochum hunc ex obedientia Epiſcopo ſuo debita poſſe eidem citra peccatum manifeſtare crimen dynaſtæ, tametſi jam plene emendatum. Cavendum tamen, ne id fiat in præſentia aliorum, quibus res adhuc poteſt eſſe incognita, ſed clam. Dein non tenetur parochus obedire, ſi certus ſit, quod Epiſcopus non intendat bonum ſpirituale delinquentis, ſed mera ducatur curioſitate ſciendi mores hominis: ejuſmodi enim curioſitas non poteſt non diſplicere Deo; nec Superior ex hoc motivo imperans agit rationabiliter, nec fungitur vice Dei. *Pontas.*

CASUS XII. Leonardus, quoties itineraturus eſt, quod non raro fieri ſolet, præcipit Roberto filio ſuo presbytero,

ut pro ſe miſſam celebret. Teneturne Robertus obedire patri ſuo? Aut num recuſare id poteſt absque omni peccato, etiam nullo interveniente impedimento?

℟. Quamvis contingere poſſit, ut Robertus peccet contra charitatem parenti debitam, non tamen peccat contra obedientiam: certum enim eſt, quod Clerici non teneantur obedire parentibus in iis, quæ ad functiones miniſterii ſacri, & ad obligationes ſtatus ſui pertinent; licet in aliis rebus debeant ipſis honorem & obedientiam. Ex ipſo Salvatoris noſtri exemplo id elucet, qui occupatus in templo matri ſollicite eum quærenti reſpondit: *Quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Itaque Robertus in hoc caſu ſequatur ductum conſcientiæ ſuæ & gratiæ; & ſi putet, ſe non bene diſpoſitum ad celebrandum, non debet celebrare ex ſolo ſtudio complacendi patri ſuo. *Pontas.*

CASUS XIII. Egbertus nobilis turpe exercet commercium cum Julia, & quoties ad eam inviſit, ſemper ſecum ſumit pediſſequum, quemdam ex famulis ſuis domeſticis. Hic neutiquam ignorans laſcivam Heri conſuetudinem, eam ex animo deteſtatur; ſed ægre dimittens famulitium alias ſumme proficuum, percontatur ex confeſſario, an licite poſſit obedire domino ſuo, eumque comitari accedentem domum amaſiæ; an vero potius teneatur domino ſimul & ſervitio ſuo valedicere, quam hujusmodi imperata facere.

℟. Famulus iſte in conſcientia tenetur dimittere ſervitium Egberti, poſito quod alio modo non poſſit declinare exhibitionem hujus obedientiæ: comitando enim herum cooperatur ad peccatum illius; cum, ut ſupponitur, non eſſet inviſurus Juliam ſolus, ac ſine famulo. Dein exponit ſe famulus periculo peccandi perſonaliter per cogitationes obſcœnas, vel prava deſideria. Et in hoc ſenſu SS. Patres explicant illa Chriſti verba Matth. 5. 29. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.* *Pontas.*

Nota. Etiam ceſſante periculo perſonali, repugnat honeſtati nominis Chriſtiani ſponte ſervire in malum; cum Apoſtolus 1. Cor. 5. v. 9. & 11. dicat: *Scripſi vobis: ne commiſceamini fornicariis. Si is, qui frater nominatur, eſt fornicator aut idolis ſerviens, cum ejusmodi nec cibum ſumere.*

CASUS XIV. Alphonſus ſexdecim annorum adoleſcens veniam ſibi a patre expetiit religionem ingrediendi. Renuit

autem pater, imo expreſſe ac abſolute prohibet, ne ante annum ætatis decimum octavum ingrediatur. Teneturne filius obedire?

℞. Si Alphonſus vere eſt vocatus ad ſtatum religioſum, certum eſt, quod non obſtante prohibitione patris poſſit ſtatum religioſum amplecti: majoris enim ipſi ponderis eſſe debet amor ac fidelitas erga Deum, quam amor ac obedientia erga patrem, ut pluribus in locis Scriptura docet. Sic Deut. 33. v. 9. dicitur: *Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ: neſcio vos; & fratribus ſuis: ignoro vos; & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt.* Et Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Hinc & S. Auguſtinus his authoritatibus nixus Epiſt. 243. alias 38. n. 9. conſulit cuidam adoleſcenti in hiſce circumſtantiis comprehenſo, ut exequatur propoſitum ſuum, ac ſalutaribus gratiæ ad ſanctiorem vivendi normam vocantis motibus obſequatur, poſtquam humiliter a parentibus religionem amplectendi licentiam petiit. *Pontas.*

Nota. Si obligant leges Principum ſæcularium, quorum eſt promovere bonum commune omnium ſubditorum ſuorum, dum ad ingreſſum in religionem, & ad profeſſionem religioſam ætatem determinant profectiorem, ac ſanctiones eccleſiaſticæ requirunt; cur non & filium in hoc caſu obliget mandatum patris, cujus eſt regere familiam ſuam, & invigilare bono privato liberorum ſuorum? Vel ſic: Si Deo vocanti ad ſanctius vitæ genus ſimpliciter obſequendum, cur non & obſequendum vocanti in teneriori ætate, antequam fors motiones gratiæ a placitis ſæculi ſuffocatæ fuerint? Sublimiori hæc criterio relicta ſunto.

CASUS XV. Polixena filia Milonis annum ætatis vigeſimum egreſſa abſque ambagibus declarat patri, ſe nec ſtatum religioſum, nec matrimonialem amplexuram. Pater autem abſolute & cum imperio jubet, ut vel clauſtrum vel nuptias eligat. Teneturne filia ex obedientia patri debita alterutrum eligere?

℞. Omnino non tenetur Polixena obedire in hoc caſu, & alterutrum amplecti. Superna Numinis vocatio eſt ſola regula, quam ſequi oportet. *Non tenentur*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. C. *nec ſervi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda. Pontas.*

CASUS XVI. Mathurinus Superior Claudio ſubdito ſuo prohibet proſecutionem operis pii jam cœpti. Teneturne opus inchoatum ex obedientia interrumpere?

℞.

℞. Si opus hocce bonum eſt obligationis indiſpenſabilis, Claudius non tenetur obedire Superiori ſuo; imo peccaret obediendo. Si vero non eſt ſtrictæ obligationis, poteſt interdum ſic exigentibus circumſtantiis obligari ad illud differendum, vel omnino dimittendum, ita volente Superiore; imo illud continuando peccaret contra obedientiam Superiori debitam; *quia non debet homo aliquod bonum facere culpam incurrendo*, ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 104. art. 3. ad 3. *Pontas.*

CASUS XVII. Roſula monialis quietiſſime vivens ac diſciplinariter in ſuo monaſterio poſtulatur ab alio conventu ejusdem Ordinis ad dignitatem Superioriſſæ. Cum autem monaſterio ſuo egredi nollet, Abbatiſſa in virtute obedientiæ ipſi injungit, ut poſtulationem acceptet, & ad egreſſum ſe comparet. Teneturne Roſula obedire?

℞. Cum obedientia, abſtrahendo a ſumma ejusdem perfectione, extendi non poſſit ultra ea, ad quæ quis voto ſeſe obſtrinxit, ut ſunt regula, conſtitutiones locales, ac obſervantiæ per conſuetudinem introductæ, Roſula non tenetur relicto ſuo conventu tranſire ad alium, ejusque regimen ſuſcipere; cum ad id ſeſe non obſtrinxerit per emiſſionem voti obedientiæ, utpote nullatenus contentum in regula aut conſtitutionibus. Non poteſt ergo cogi Roſula ad hunc tranſitum, ad quem juxta Bullam Urbani VIII. 26. Jul. 1695. præter licentiam Superioris liber monialis ipſius conſenſus requiritur. *Fromageau.*

NOTA. Reſponſio hæc videtur nimis indefinita: aliud enim eſt lex nova generaliter omnes obligans, novamque arduitatem ac rigorem notabiliter majorem invehens; & aliud eſt mandatum particulare afficiens ſolum unum vel alterum Religioſum ſubditum. Poteſt contingere, ut omnibus ac etiam ſingulis indiſcriminatim in communitate religioſa non poſſit vi voti obedientiæ præcipi aliquid, quod tamen poteſt præcipi uni vel alteri, aut etiam pluribus, qui ex obedientia tenentur exequi mandatum, etſi in regula aut conſtitutionibus Ordinis nulla prorſus ſaltem expreſſa ea de re fiat mentio; cum in iis ſolis concurrant circumſtantiæ exigentes obedientiam, v. g. diſpoſitiones neceſſariæ ac habilitas pro executione mandati ad incrementum divinæ gloriæ, utilitatem proximi tam publicam quam privatam, ad bonum Eccleſiæ ac decorem totius Ordinis; quæ diſpoſitiones non reperiuntur in omnibus in ordine ad executionem ejusdem mandati. Sic moderno tempore, dum anno præterito 1781. munus docendi tam in Univerſitatibus & Academiis quam Lyceis ac Gymnaſiis totius Bavariæ a Sereniſſimo Electore demandatum fuit quatuor Ordinibus, Canonicorum Regularium ſcilicet, Benedictinorum, Præmonſtratenſium ac Ciſtercienſium, nemo dubitat, Religioſos, quibus id muneris a Superioribus ſuis injungitur, exercere actum obedientiæ vi voti debitum. Vide caſ. 3.

OBLATIONES.

1. *Oblationes* poſſunt definiri, quod juxta Canonum diſpoſitionem ſint *voluntaria & ſpontanea præſtatio, quam Chriſtiani ſacerdotibus ad obtinendam facilius placationem divinam pro peccatis ſuis offerunt.* Fiunt oblationes ordinarie poſt evangelium miſſæ parochialis, & quandoque maxime in ſummis feſtivitatibus ſaltem in Germania etiam poſt hymnum Angelicum *Gloria in excelſis Deo.*

2. Oblationes principaliter debentur parocho; nec veniunt in computationem portionis congruæ, vel partis tertiæ, quæ pro reparationibus debetur.

3. Antiquitus fideles ſingulis Dominicis ſacerdoti panem & vinum offerebant, quibus ſaltem ex parte uſus eſt ad ſacrificium miſſæ. Concilium ſecundum Matiſconenſe citatum a Burchardo, & habitum anno 585. piam hanc fidelium conſuetudinem omnino ad rationem præcepti evexit hiſce verbis: *Decernimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quam vini; ut per has immolationes & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel, vel cœteris juſtis offerentibus promereantur eſſe conſortes.* Id ipſum jam innuitur in antiqua lege Deut. 16. v. 16. & 17. ubi dicitur: *Non apparebit ante Dominum vacuus; ſed offeret unusquisque ſecundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei ſui, quam dederit ei.* Quæ verba juxta S. Thomam 2. 2. q. 86. art. 4. continent præceptum morale; quia Chriſtiani non minus tenentur quam Iſraëlitæ contribuere ad cultum altarium & ſancti ſacrificii, cum & iſti & illi jure naturali ac divino obligentur ad exhibendam Deo per oblationes notam gratitudinis ob ſupremam ejusdem bonitatem. Unde & univerſim apud primos Chriſtianos in uſu erant hæ oblationes ad miſſæ ſacrificium, ut teſtantur S. Juſtinus, S. Irenæus, Tertullianus, Origenes, & S. Hieronymus.

4. Fideles olim ipſi ad altare deferebant panem & vinum ad oblationem deſtinatum. Hiſce adhuc temporibus non nulla antiquæ hujus conſuetudinis ſuperſunt veſtigia non ſolum in miſſa celebrari ſolita ad coronationem ac unctionem Regum, ad benedictionem ſolemnem Abbatum & Abbatiſſarum, & in miſſis, quæ cantantur pro defunctis, maxime in die animarum; ſed etiam in eccleſia cathedrali Mediolanenſi, ubi etiamnum moris eſt, ut quatuor fæminæ nigris albisque veſtibus indutæ ſingulis diebus ad oſtium chori veniant, & Clericis ad oblationem aſcendentibus panem

nem & vinum præſentent a ſacerdote in miſſa conſecrandum; unde & Diaconiſſæ vocantur.

5. Antiquæ huic praxi fidelium offerendi ad miſſam panem & vinum, ſpicas frumenti, racemos aut alios fructus novos, quæ vix non ubique in deſuetudinem venit, ſucceſſit alia conſuetudo, offerendi ſcilicet pecuniam, ut parochi pauperes neceſſaria ſibi exinde comparare poſſint, vel, ſi aliunde jam de congrua ſuſtentatione ſibi proviſum cernerent, has pecunias in ſublevamen pauperum aut in alios pios uſus convertant.

6. Parocho nulla competit actio contra illos, qui recuſant facere oblationes: ſi tamen non poſſet honeſte ſubſiſtere absque hoc ſubſidio, procul dubio juxta S. Thomam 2. 2. q. 86. art. 1. & 4. quilibet parochianus teneretur pro ratione facultatum ſuarum per oblationes ſuccurrere ipſius neceſſitatibus.

7. Illud ut res maximi momenti hic prætermittendum non eſt, ut nimirum fideles, dum dona ſua ad altare offerunt, ſimul etiam interno mentis affectu animam, cor & omnia bona ſua Deo omnium bonorum datori offerant & conſecrent.

CASUS I. Domitius parochus & Jodocus Vicarius ab aliquot jam annis notabilem ſummam perceperunt ex oblationibus fidelium & ex adminiſtratione Sacramentorum. Poſſuntne de pecuniis hiſce diſponere pro libitu ſuo?

℞. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 86. art. 2. C. Clerici tantum ſunt depoſitarii ac diſpenſatores talium bonorum, non autem proprietarii ac domini. Adeoque Domitius & Jodocus tenentur his titulis percepta expendere 1. in propriam ſuam ſuſtentationem pro decentia ſtatus. 2. ad conſervationem eorum, quæ pertinent ad cultum divinum. 3. in ſubſidium ac levamen pauperum. Aliud tamen dicendum videtur de donationibus ac remunerationibus, quas ſacerdos recipit a fidelibus ob aliquod ſervitium aut obſequium temporale vel ſpirituale iis præſtitum titulo gratitudinis: ejusmodi enim honoraria ſub nomine oblationum ad altare non videntur comprehenſa; quia offerentes in tali caſu præſumuntur habere hanc intentionem, ut donatarium faciant rei donatæ dominum. *Pontas.* Vide *Beneficiatus* caſ. 13. 14. 17. 18. & 19. *Bona eccleſiaſtica* per totum.

CASUS II. Pompejus toparcha cum ſine multis ac gravibus incommodis hyemali tempore non poſſet accedere ad eccleſiam parochialem, de licentia Epiſcopi in caſtro ſuo exſtruendum curavit ſacellum, in quo fundavit Sacrum

quotidie celebrandum a Capellano ſuo domeſtico. Ingens quotannis hominum agreſtium multitudo in feſto Patrocinii ad ſacellum hoc peregrinantur, ibique poſt Sacrum dona ſua offerunt, eaque vel altari imponunt, vel in pelvim mittunt impoſitam menſulæ ad latus altaris collocatæ. Oblationes haſce Capellanus jam a viginti annis ſibi vendicat; quas autem novus Plebanus illius parochiæ ſuas eſſe prætendit. Quid juris?

℞. Memoratæ oblationes pertinent ad Capellanum: nam 1. homines accolæ ac ruricolæ, dum has oblationes faciunt, ne quidem cogitant de parocho, cenſenturque eo offerre animo, ut oblata in commodum celebrantis cedant, ad quem proin juxta S. Thomam 2. 2. q. 86. art. 1. C. pertinent. 2. Sacerdotes Capellis domeſticis deſervientes non ſunt deterioris conditionis quam Religioſi, qui ſecundum Doctorem Angelicum ibid. art. 2. ad 1. ſibi poſſunt attribuere oblationes, quando Capellis privatis deſerviunt. 3. Denique Capellanus iſte jure præſcriptionis has ſibi oblationes vendicat; cum jam per viginti annos in quieta earumdem poſſeſſione perſtiterit. *Pontas.*

Nota. In Germania, & maxime in Bavaria oblationes, quæ in ſeparata ab altari menſa fiunt in ſummis feſtivitatibus, ex intentione offerentium cedunt eccleſiæ. Cæterum circa oblationes ad altare ſub miſſa fieri ſolitas varia pro varietate locorum conſuetudo inſpicienda eſt, & non avaritia non nullorum parochorum, omnia oblata, non ſolum quæ fiunt ad altare ſummum, ad quod ipſi celebrant, ſed etiam quæ fiunt ad altaria lateralia, ubi celebrant alii ſacerdotes, ſibi arrogantium.

CASUS III. Erecta eſt in quadam parochia celebris confraternitas de SS. Sacramento, prætenditque parochus, omnes oblationes factas ſub Officio ſolemni, quod ſingulis diebus Dominicis ante miſſam parochialem celebrari ſolet, ad ſe pertinere. Jurene id prætendit?

℞. Si parochus non derogavit juri ſuo per conventionem contrariam, aut ſi oblationes iſtæ per conſuetudinem legitime præſcriptam non applicantur ipſimet eccleſiæ vel pauperibus, parochus juxta S. Beuve Tom. 3. caſ. 142. jure easdem ſibi prætendit. *Pontas.*

OBSCOENA COGITATIO.

Vide *Cogitatio.*

OBSESSUS A DÆMONE.

1. *Obſeſſus a dæmonio*, ſeu *dæmoniacus* dicitur ille, qui corporaliter vexatur a dæmone. Interdum dæmon loquitur ex ore obſeſſi ita, ut difficile ſit diſtinguere, an dæmon vel ipſe obſeſſus verba proferat; ex ſequentibus tamen indiciis poteſt colligi, quod dæmon loquatur. 1. Quando dicit res, aut verba profert, quorum intelligentia ſuperat captum dæmoniaci, vel illorum, qui præſentes loquentem audiunt; ut ſi homo ruſticus, litterarum omnino expers loqueretur idiomate Græco aut alio peregrino, quod nunquam didiciſſe noſcitur, aut ſi ſubtiliſſimas Theologiæ vel philoſophiæ quæſtiones explanaret; tunc dubitari non poteſt, quin dæmon ſit locutus, quod evidentiſſimo argumento exinde obfirmatur, ſi ſcilicet obſeſſus ceſſante agitatione dæmoniaca tranquillitati ſuæ reſtitutus interrogetur de iis, quæ ipſe, aut potius dæmon ex ore ipſius protulerat, & declaret, ſe nullam prorſus eorum notitiam aut memoriam habere. 2. Quando pandit res occultas, quæ ſciri a nemine poſſunt, ad exemplum puellæ, ex qua ſpiritum Pythonem Paulus ejecit, ut habetur Act. 16. v. 16. 17. & 18. 3. Quando obſeſſus in momento temporis ex ſtatu exhauſtionis pene totalis omnium virium, extremique languoris ac debilitatis tranſit ad extraordinarias vires ac robur inſolitum.

2. Dantur perſonæ, quæ exagitantur vaporibus atris ac malignis, dumque per hos cerebrum inundatur & corrumpitur, ſimul phantaſia ſusdeque verſa turbatur, a dæmone ſe poſſeſſos aut obſeſſos credunt. Viri cauti ac prupentis eſt ſollicite cavere, ne iſtis illaqueetur tendiculis, aut interdum latentibus decipiatur impoſturis. Hinc non facile ad exorciſmos recurrendum, niſi ex ſpeciali permiſſione Epiſcopi, quæ non niſi adhibita matura deliberatione, rei veritate perſpecta, ac obſeſſione dæmoniaca luculentis argumentis probata concedenda eſt.

CASUS I. Achilles poſſeſſus aut obſeſſus a dæmone ſæpius eructat blaſphemias & juramenta; quin etiam interdum exercet actiones graviſſime peccaminoſas. Peccatne per hoc mortaliter?

℞. Non peccat; quia libertate caret, & dæmon in ipſo ac per ipſum operatur. S. Thomas 1. 2. q. 8. art. 3. C. ait; *Diabolus propria virtute, niſi refrenetur a Deo, poteſt aliquem inducere ex neceſſitate ad faciendum aliquem actum, qui de ſuo genere peccatum eſt. Non autem poteſt inducere ne-*

ceſſitatem peccandi ; *quod patet ex hoc* , *quod homo motivo ad peccandum non reſiſtit niſi per rationem* , *cujus uſum totaliter impedire poteſt movendo imaginationem & appetitum ſenſitivum* , *ſicut in arreptitiis patet* : *ſed tunc* , *ratione ſic ligata* , *quidquid homo agat* , *non imputatur ei ad peccatum. Pontas.*

CASUS II. Balthaſarus parochus in parochia ſua habet energumenum periculoſe decumbentem. Poteſtne ipſi miniſtrare SS. Viaticum , ſi illud petat ?

℟. Juxta S. Thomam in 4. Diſt. 9. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 3. in arg. *Sed contra.* eadem ratio habenda eſt energumenorum , ac eorum , qui uſu rationis deſtituti ſunt. Hinc ſicut his poteſt miniſtrari SS. Sacramentum , dum habent lucida intervalla , eduntque ſigna , ex quibus dignoſcitur , eos cum affectu devotionis anhelare SS. Sacramentum , ſic etiam illis non eſt denegandum , ſi actu non vexentur a dæmone , & in iiſdem circumſtantiis verſentur. Hinc Balthaſaro agendum ad normam a D. Thoma traditam. Excipit tamen S. Doctor eos energumenos , de quibus certo conſtat , quod in punitionem commiſſi criminis a dæmone torqueantur : *Dæmoniacis*, ait ibid. q. 2. ad 2. *non eſt deneganda communio* , *niſi forte certum ſit* , *quod pro aliquo crimine a dæmone torqueantur* ; niſi peccatum ſuum ſincera pœnitentia expiaverint. *Pontas.*

NOTA, Non eſt credendum , ullum eſſe vere obſeſſum , niſi in eo deprehendantur indicia manifeſta , & operationes ſoli dæmoni poſſibiles. Reliqua aut corruptæ phantaſiæ aut impoſturis, quarum millena exhiberi poſſunt exempla , tribuenda ſunt.

OCCASIO PECCANDI.

1. *Occaſio peccandi* fere coincidit cum *periculo* peccandi. Eſt autem duplex , ſcilicet proxima & remota. *Proxima* eſt , quæ hominem frequenter ad peccatum inducit. *Remota* eſt , quæ non adeo frequenter inducit ad peccatum.

2. Poteſt fieri , ut occaſio peccandi , quæ ſpectatis circumſtantiis loci , temporis, perſonarum , majoris proclivitatis ad vitium & hujusmodi uni eſt proxima , alteri , vel etiam eidem ipſi in diverſis circumſtantiis, ſit tantum remota.

3. Innocentius XI. 2. Martii 1679. damnavit ſequentes propoſitiones : 1. n. 61. *Poteſt aliquando abſolvi* , *qui in proxima occaſione peccandi verſatur* , *quam poteſt* , *& non vult omittere* ; *quin imo directe & ex propoſito quærit* , *aut ei ſe ingerit.* 2. n. 62. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda* , *quando cauſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit.*

3. n. 63. *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali vel temporali, noſtro, vel proximi.*

4. S. Carolus Borromæus part. 4. Act. Eccleſ. Mediol. In inſtruct. Confeſſar. circa medium confeſſariis circa eos, qui in occaſione peccandi verſantur, ſequentem præſcribit regulam: *Sciant denique confeſſarii, ſe non poſſe iis impendere beneficium abſolutionis, qui peccati mortalis occaſionem omnem fugere ſerio non propoſuerint.*

CASUS I. Franciſcus exercet negotiationem illicitam, merces prohibitas invehendo, ac modo frumentum modo vinum de uno ad alium locum aſportando, ut quæſtum faceret. Poteſtne abſolvi, ſi profeſſioni huic renunciare nolit?

℟. Non poteſt abſolvi; quia, etiam præſcindendo a gabellarum defraudatione, & a periculo inferendi grave damnum ſibi ac familiæ ſuæ, ejusmodi fæx hominum ſemper fovet propoſitum ſaltem habituale injuſte reſiſtendi ac vim inferendi etiam miniſtris publicæ juſtitiæ, ſi opus fuerit ad ſui defenſionem. Jam vero homines taliter animo comparati non ſunt capaces abſolutionis ſacramentalis, haud minus ac illi, qui habentes domi concubinam, propter utilitatem exinde ſibi provenientem nolunt eam elicere. C B.

CASUS II. Ariſtus vir nobilis ac dives in tugurio ſuo rurali diu noctuque paratas tenet menſas luſorias ad nobilium virorum ac mulierum oblectationem; tametſi probe ſciat, aliquos exinde occaſionem aucupari amores turpes ac laſcivos nutriendi. Poteſtne a culpa excuſari?

℟. Peccat graviſſime: tametſi enim quis poſſit absque peccato procurare aliis occaſionem recreationis de ſe penitus indifferentis, ac proinde perſona nobilis hoc titulo domi ſuæ poſſit inſtruere menſas deſtinatas luſui moderato ac brevi cum delectu temporis & perſonarum; cum tamen ejusmodi genus recreationis nocturno æque ac diurno tempore, pro viris ac fœminis promiſcue paratum non ſit res indifferens, præcipue quando jam conſtat, quosdam ex colluſoribus prenſaturos occaſionem fatuos ſuos amores fomentandi, evidens eſt peccare Ariſtum; eo quod absque neceſſitate ad aliorum peccata cooperetur, & peccandi occaſionem ſubminiſtret. C. B.

CASUS III. Saleſius ſacerdos ex pluribus Titii confeſſionibus ſciens, eum verſari in occaſione proxima ac voluntaria peccandi, die quodam ipſum audire recuſat pro confeſſione, licet ſerio rogantem. Licuitne ſic agere Saleſio?

℟. Licite ſic egit; dummodo nulla mali ſuſpicio exinde oriatur Titio apud alios. Ratio eſt; quia per hoc nihil eo

rum

rum revelat Saleſius, quæ audivit in præcedentibus confeſſionibus Titii, neque ullum in ipſum exercet actum, unde alter rationabiliter poſſet offendi. Imo quemadmodum non ſolum licite, ſed etiam laudabiliter negatur pœnitenti in voluntaria peccandi occaſione verſanti abſolutio, ut a prava peccandi conſuetudine reſipiſcat, ita ob eundem finem poterit laudabiliter negari confeſſio, cum eodem modo in utroque caſu res agatur pœnitenti utilis. Si tamen, ut dictum jam eſt, repulſa Saleſii ſiniſtris ſuſpicionibus exponeret vitam & mores pœnitentis, teneretur excipere confeſſionem Titii; quia alias ſaltem indirecte lædi poſſet ſigillum ſacramentale. Ita Tamburinus L. 5. de pœnit. c. 6. §. 3. n. 15. & plerique alii. C. B.

Nota. Peſſima eſt hæc reſponſio: non enim ſolummodo prohibetur jure naturali ac divino revelatio confeſſionis etiam indirecta, ſed etiam uſus notitiæ ſacramentalis extra actualem adminiſtrationem Sacramenti in gravamen pœnitentis absque hujus licentia.

Vide *Abſolutio* caſ. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22.

ODIUM.

1. Solum *odium inimicitiæ* articuli hujus argumentum efficit, & definitur, quod ſit *averſio a perſona imprecatioque mali, ut ei male ſit*, vel *Actus voluntatis perſonam averſantis malumque optantis, ut ei male ſit*.

2. Præceptum charitatis in nullo unquam caſu admittit odium erga proximum: odiſſe quidem licet vitia & peccata, nunquam autem perſonam proximi; imo verus amor eſt odiſſe peccatum proximi, quod illum ipſi Deo reddit exoſum. Ex eadem ratione quis poteſt proximo *malum pœnæ* precari, ſi ſolum intenditur bonum ipſius ſpirituale, aut evitatio proprii mali, quod ipſe vult & poteſt inferre. Nunquam licet odiſſe inimicos ſuos aut perſecutores, quamvis mala nobis inferant etiam graviſſima: dicit enim Chriſtus: *diligite inimicos veſtros;* poſſumus tamen odiſſe peccatum inimicitiæ, quam fovent erga nos.

3. Licet odium ex ſuo genere ſit peccatum mortale, poteſt tamen fieri veniale *ob imperfectionem actus*, vel *quia non eſt odium deliberatum*, vel *quia circa minimum bonum*. Vide S. Thomam 2. 2. q. 25. per totum, ubi agit de charitate proximo debita, cui odium opponitur.

CA-

CASUS I. Frodulphus vir probus videns, Baſilium a pluribus jam annis vitam vivere ſceleratiſſimam ac corruptiſſimam, ingens erga eum concipit odium. Peccatne?

℟. Non ſolum poteſt Frodulphus, ſed & debet odiſſe in Baſilio pravitatem morum, & ſceleratam vivendi licentiam; ſed absque peccato non poteſt odiſſe ipſam perſonam, abſtrahendo ab impietate ejusdem. Diſtinguendum eſt juxta D. Thomam 2. 2. q. 34. art. 3. C. in homine id, quod habet a Deo, & id, quod habet a ſemet ipſo & diabolo: ſine gravi peccato odiſſe non poſſumus, imo amare debemus in proximo ea, quæ habet a Deo, ſcilicet naturam humanam & gratiam; non autem amanda, ſed potius odio habenda ſunt ea, quæ habet a ſemet ipſo vel dæmone, ut ſunt defectus juſtitiæ & peccatum. *Pontas.*

CASUS II. Alipius valde potentem habet inimicum, & frequenter illi imprecatur mala temporalia. An id ſine peccato fieri poteſt?

℟. Si nil aliud intendat, quam ut hæc mala ſint ipſi ad ſalutem animæ, non peccat. Peccat autem, ſi mala temporalia ipſi velit ex ſpiritu vindictæ aut odii. Chriſtianus tenetur diligere proprium inimicum, orare pro eo, illatam offenſam ei condonare, in omnibus neceſſitatibus gravibus, corporalibus ac ſpiritualibus, eidem ſuccurrere, & omnia exhibere, quæ cuivis alteri Chriſtiano exhiberet, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 8. ad 3. Quæ omnia fieri poſſunt ope gratiæ, quæ inſtanter a Deo petenda eſt. *Pontas.*

Vide *Charitas.*

OFFICIALIS.

1. *Officialis* in ſenſu proprio dicitur ille, qui loco Epiſcopi per totam diœceſin exercet jurisdictionem eccleſiaſticam *contentioſam*; dum ad Vicarium generalem plerumque ſolum pertinet jurisdictio *voluntaria*. Ordinarie in diœceſi tantum habetur unus Officialis, licet poſſint conſtitui duo, ſi amplitudo diœceſis id requirat, unus videlicet in urbe epiſcopali, & alter in alia urbe diœceſana, qui in jure vocatur Officialis *foraneus*. Jurisdictio Officialis eſt *ordinaria*; & hinc proprie dicendus eſt Officialis *Epiſcopatus*, & non *Epiſcopi*.

2. Omnes Clerici in Sacris conſtituti ſubſunt jurisdictioni Officialis diœceſani quoad actiones mere perſonales, qua-

les ſunt illæ, quæ concernunt ſervitium ac cultum divinum, adminiſtrationem Sacramentorum, quæque nullum ſibi habent annexum ſcandalum publicum: dantur tamen plures caſus, maxime circa cauſas matrimoniales, qui ſunt de foro judicis laici. Dicitur: *quod actiones mere perſonales*; ſi enim actio vel ex parte tantum concurrat *realis*, aut ſit *mixta*, in pluribus provinciis, maxime in Gallia, (Adde moderno tempore, etiam in ditionibus Auſtriacis Imperatori ſubjectis) non permittitur cognitio judici eccleſiaſtico; prout ipſi etiam ſublatum eſt jus cognoſcendi in cauſis Beneficialibus, & pluribus aliis.

3. Officialis in cauſa criminali non poteſt condemnare reum ad mulctam pecuniariam, vel ad pœnam afflictivam, ſed ſolum ad pœnas canonicas v. g. ad ſervandum determinatis diebus & præſcripto tempore jejunium, vel ad certas preces perſolvendas.

4. Officialis non poteſt decernere monitorium, ſaltem in Gallia, niſi ex permiſſione judicis laici, nec decretum quodcumque contra perſonam laicalem, nec alium quemcumque actum validum extra territorium ſuæ jurisdictionis.

5. Recuſato in judicio Epiſcopo cenſetur etiam recuſatus Officialis diœceſanus; non autem recuſato Officiali cenſetur recuſatus Epiſcopus: imo recuſato Officiali poſſet Epiſcopus nominare alium ad cauſæ cognitionem.

6. Jurisdictio & poteſtas Officialis finitur morte conſtituentis, vel per ſimplicem revocationem diplomatis, quo ad officialatus munus gerendum inſtitutus fuit.

CASUS I. Imelinus etiì non graduatus decennio abhinc ab Epiſcopo ſuo creatus eſt Officialis, cum Concilium Tridentinum inſinuet ſufficere, ſi talis perſona huic muneri aliunde ſit idonea. Poteſtne exercere hoc munus? Et ſuntne validæ ſententiæ ab ipſo hucusque pronunciatæ?

℞. Licet in aliquibus provinciis Officialis publico Doctoratus aut Licentiatus gradu debeat eſſe inſignitus, in quibus ſcilicet ea Concilii Tridentini modificatio non eſt recepta, quæ his verbis exprimitur: *vel alius, quantum fieri poterit, idoneus*; ſententiæ tamen ab ipſo prolatæ ſunt habendæ ut validæ ac legitimæ propter enormem confuſionem, quæ alias exinde emergeret: æquitas enim naturalis in ejusmodi eventibus ſeveritati juris ſcripti anteponenda eſt. Sic L. *Quidam*. 57. ff. Lib. 42. Tit. 1. ſententiæ a judice prolatæ necdum majorenne cenſentur validæ: *Princeps enim, qui ei magiſtratum dedit, omnia gerere decrevit.* Item L. *Barbarius*. 3. ff. Lib. 1. Tit. 14. dicuntur valida judicia,

quæ

quæ protulit quidam ſervus fugitivus prætoriam dignitatem dolo aſſecutus. *Pontas.*

CASUS II. Diomedes presbyter coram Officiali accuſatur de commiſſo homicidio; ſed non aderant probationes ſufficientes ad eum convincendum. Poteſtne Officialis absque læſione conſcientiæ ſuæ, & ſine periculo incurrendi irregularitatem decernere monitorium, etſi prævideat, Diomedem admiſſi criminis convincendum, ut homicidam judici ſæculari extradendum, & ab eo capitali ſupplicio plectendum?

℟. In Italia monitoria tantum adhibentur in ordine ad effectus civiles. In Gallia autem & in aliis quoque provinciis obſervatur alia conſuetudo, ac locum habent etiam in criminalibus. Et ubi hæc viget obſervantia, poteſt Officialis illæſa conſcientia contra Diomedem ſtatuere monitorium, etſi prævideat, eum morte afficiendum; quin facta executione capitalis ſententiæ irregularitatem incurrat: qui enim ſolum eſt cauſa *remota* mortis reo inferendæ, juxta decretalem Honorii III. Cap. *Exhibita.* 22. Lib. 5. Tit. 12. non incurrit irregularitatem. Idem prorſus judicium ferendum de hoc Officiali, ac de Prælato, qui ſimul eſt dominus territorialis loci, ac verbis generalibus mandat judici ſuo, ut officium ſuum adimpleat in inſtructione proceſſus contra reum, etſi hic morte plectatur; aut de judice eccleſiaſtico, qui degradatum prius presbyterum atrociſſimi criminis reum tradit poteſtati ſæculari pro meritis caſtigandum; ſerio autem rogat, ne morte aut mutilatione puniatur: nec prior nec poſterior unquam habiti ſunt pro irregularibus. *Pontas.*

CASUS III. Syreneſius presbyter diœceſis Friſingenſis proficiſcitur Viennam, & dum tranſit Paſſavium, atrox ibi crimen perpetrat, propter quod judicialiter convenitur, & ab Officiali Paſſavienſi ſuſpenſus ab Ordinibus declaratur. Teneturne ſe gerere tanquam vere ſuſpenſum, licet ut talis nec ab Epiſcopo ſuæ originis, nec ab Epiſcopo ſui Beneficii fuerit declaratus?

℟. Tam leges Canonicæ quam civiles unanimi conſenſu ſtatuunt, reum forum ſortiri in loco delicti, eumque ſubeſſe jurisdictioni judicis localis, in cujus territorio delinquit, licet ſolum tranſeat per locum. Rationes autem hujus diſpoſitionis præcipuæ ſunt. 1. Quia judex loci, in quo delictum fuit commiſſum, facilius, promptius ac plenius poteſt cognoſcere de crimine, delinquente, & ejusdem complicibus, ſimulque minoribus impendiis proceſſum inſtituere, ac alius judex remotior. 2. Quia reparatio ſcandali aliis per delinquentem

quentem dati eſt inter præcipua objecta, ad quæ reſpiciendum judici delicta punienti; intereſt autem boni publici, ut ſcandalum reparetur in eo loco, in quo delictum fuit commiſſum, & ſcandalum datum. Itaque Syreneſius ſeſe ut vere ſuſpenſum gerere debet. *Pontas.*

CASUS IV. Blaſius judicio contendit cum Artemone viro præpotente. Agitur de ſucceſſione Blaſio in controverſiam vocata ab Artemone, qui eam ſibi vendicat titulo donationis, quam fraudulenter in ſuum ſavorem ſibi procuravit; quod tamen ſufficienter probare non poteſt Blaſius, teſtibus veritatem edicere recuſantibus. Itaque Blaſius ab Officiali diœceſano impetrat monitorium, vi cujus ſub interminatione cenſurarum eccleſiaſticarum injungitur Artemoni, ut Blaſio actori juxta rei veritatem reſpondeat & ſatisfaciat; teſtibus vero, ut ea, quæ vera eſſe noverint, palam ediſſerant. Monitorium hoc bina jam vice fuit publicatum; & Artemon appellat ſuper eo tanquam de abuſu ad ſupremum tribunal ſæculare. Potuitne Artemon ſalva conſcientia ſic appellare unice eum in finem, ne veritas pateſiat, & hæreditas ſibi eripiatur? Teſtes vero an ſunt obligati ad veritatem manifeſtandam? Quod ſi taceant, an non incurrunt excommunicationem mox ab Officiali pronunciandam?

℞. Artemon graviſſimi peccati ſe reum conſtituit; attamen cum monitorium non niſi ad petitionem Blaſii obtentum fuerit, potuit ab eo appellare: in inſtantiis enim ſive civilibus ſive criminalibus jam ad forum ſæculare delatis Officialis absque abuſu ſuæ poteſtatis nunquam poteſt concedere publicationem monitorii, niſi ad requiſitionem, aut ſaltem permiſſionem judicis laici, in cujus foro cauſa jam agi cœpta eſt. Ex quo ſequitur, quod teſtes vi monitorii non tenentur] ſe ſiſtere ad deponendum teſtimonium: tenentur tamen ſub pœna peccati mortalis ad inſtantiam Blaſii in judicium vocati dicere veritatem. *Pontas.*

CASUS V. Epigenes mortuus eſt, relicta unica prole ex Irene, quam ante biennium uxorem duxerat. Eduardus germanus frater Epigenis bonorum illius ſe hæredem dicebat, propugnans, & legitimis probationibus evicturum ſe promittens, matrimonium fuiſſe contractum cum impedimento dirimente, de quo [nulla unquam fuit petita aut obtenta diſpenſatio, licet impedimentum illud a contrahentibus non fuerit ignoratum; ac proin prolem relictam eſſe illegitimam. Cauſam hanc ſuam Epigenes detulit ad Officialem diœceſanum tanquam ſolum competentem judicem circa impedimenta matrimonii. Tutor infantis autem imploravit officium judicis

laici.

laici. Culnam ex his duobus judicibus competit cauſæ iſtius cognitio ?

℟. Certum eſt, judicem eccleſiaſticum poſſe ſolum legitime cognoſcere in cauſa de vinculo matrimonii : id tamen intelligi debet de matrimonio actu ſubſiſtente, & non de eo, cujus vinculum per mortem alterutrius conjugum ſolutum jam eſt : in tali enim caſu cauſa ceſſat eſſe fori eccleſiaſtici, poteſtque judex laicus ſolus de ea cognoſcere. Nullum igitur Eduardus habet jus cauſam ſuam movendi ad tribunal Officialis ; & bene egit tutor requirendo deſuper judicem laicum. *Pontas.*

Nota. Abſtrahendo a lege particulari, vi cujus ejuſmodi cauſa pertinet ad forum ſæculare, ut eſt in Gallia, videtur eundem debere eſſe judicem in cauſa matrimonii vivente utroque conjuge adhuc ſubſiſtentis, ac per mortem alterutrius ſoluti. Ad judicem autem eccleſiaſticum pertinet diſpenſatio in impedimentis matrimonii, conſequenter & judicium de valore aut nullitate matrimonii. Ad hæc agitur in hoc caſu de legitimitate prolis ex matrimonio inter Epigenem & Irenem vel valido vel invalido procreatæ ; & ſic neceſſario quæſtio eſſe debet de matrimonio inter præfatos conjuges adhuc ſubſiſtente, cum proles non fuerit effectus matrimonii per mortem ſoluti. Si ergo certum eſt, quod judex eccleſiaſticus ſolus poſſit cognoſcere in cauſa de vinculo matrimonii, prout in reſponſione dicitur, & ex eo, utrum hoc matrimonium vinculum induxerit vel non, dependeat deciſio de legitimitate vel illegitimitate prolis, certum quoque eſſe debet, ſolum judicem eccleſiaſticum eſſe competentem in cauſa caſus propoſiti, & tutorem ad forum incompetens detuliſſe cauſam pupilli ſui.

CASUS VI. Leridius judicialiter accuſatus coram Epiſcopo vel Officiali, juſtam habet cauſam recuſandi Epiſcopum. Poteſtne hoc non obſtante Officialis pergere in cognitione cauſæ, & etiam ferre ſententiam ? Vel ſi legitime recuſetur Officialis, poteſtne illam ipſam cauſam ad ſe evocare Epiſcopus, ſubſtituendo alium judicem in locum recuſati Officialis ?

℟. In priori caſu Officialis nullum amplius habet jus continuandi cognitionem cauſæ, recuſato ſcilicet juſte Epiſcopo. In poſteriori autem caſu, recuſato nimirum Officiali, Epiſcopus non cenſetur eſſe revocatus, poteſtque hic ſubſtituere alium judicem ad terminandam cauſam in tribunali Officialis pendentem. Cabaſſutius Jur. Can. Theor. & prax. L. 1. c. 13. n. 13. hujus diſcriminis hanc allegat rationem ; *Quia Officiales cenſentur addictiores Epiſcopo, a quo dependent ; ſed Epiſcopus non dependet ab illis in ſua dignitate & juribus. Pontas.*

CASUS VII. **Chriſtovalus parochus detentus in carcere** officialatus, declaratus fuit ab Officiali ſuſpenſus a divinis, ac condemnatus ad jejunium in ſolo pane & aqua ter per ſeptimanam, & incarcerationem trimeſtrem. Cum autem reus appellaſſet ad Metropolitanum, & conſequenter ſub bona ac debita cuſtodia aliorſum eſſet transferendus, Officialis contra ipſum decernit executorium, vi cujus adſtringebatur parochus ad faciendas pro ſua deportatione expenſas. An non peccavit in hoc Officialis contra juſtitiam?

℟. Officialis absque læſione ſuæ conſcientiæ non potuit cogere parochum per executorium ad ſolvendas expenſas ſuæ deportationis. Dum proceſſus aliquis fuit a Promotore intentatus ex officio, penes Epiſcopum eſt onus ſuppeditandi ſumptus, donec cauſa finita fuerit in foro Metropolitani, ſalvo tamen jure regreſſus contra accuſatum, ſi ſolvendo ſit. *Pontas.*

CASUS VIII. Theofridus Vicarius generalis & ſimul Officialis inchoavit proceſſum criminalem contra aliquem parochum. Cauſa autem vix non ad ſententiam usque jam perducta Epiſcopus a Papa vel a Concilio provinciali excommunicatur. Poteſtne Theofridus hoc non obſtante continuare proceſſum, & pronunciare ſententiam?

℟. Cum Vicarius generalis & Officialis una eademque perſona reputentur cum ſuo Epiſcopo in iis, quæ concernunt jurisdictionem ordinariam, exuto ſua jurisdictione Epiſcopo eadem ultra nec a Vicario Generali & Officiali ullo jure exerceri poterit. Cabaſſutius Jur. Can. Theor. & prax. L. 1. c. 13. n. 12. & 17. hanc allegat rationem; *Excommunicato Epiſcopo Vicarius & Officialis nullam poſſunt exercere jurisdictionem; quia fons exaruit, unde dimanabat omnis eorum jurisdictio.* Juxta eundem Cabaſſutium l. c. n. 1. quando Epiſcopus notorie eſt ſuſpenſus, interdictus aut excommunicatus, ipſius jurisdictio de jure communi devolvitur ad Capitulum Cathedrale, eodem modo, ac ſi ſedes epiſcopalis per mortem vacaret, usque dum Prælatus a cenſuris abſolutus, aut eidem ſucceſſor fuerit ſubſtitutus: excommunicatio enim inducit mortem civilem in iis, quæ reſpiciunt jurisdictionem eccleſiaſticam. Ex quo ſequitur, Theofridum non amplius poſſe proſequi cauſam contra præfatum parochum. *Pontas.*

CASUS IX. Ivo Officialis Epiſcopi & ſimul parochus ſub ſecreto ſcit crimen, de quo parochianorum quiſpiam ad forum ſuum delatus fuerat. Poteſtne, aut omnino tenetur ſuper hoc crimine ferre ſententiam ut judex?

℟.

℟. Optime faciet Ivo juxta S. Beuve Tom. 1.caſ.5. ſi amoveat a ſe in hoc caſu officium judicis; cum ut parochus ſit pater ſpiritualis ſuorum parochianorum. Hinc, licet regulariter ac ſtricte loquendo poſſit judicare hac in re, juxta leges prudentiæ tamen alius judex eſt conſtituendus, ut ſic Ivo utilius poſſit laborare pro ſalute parochiani ſui, & magis ipſius confidentiam ſibi conciliet. *Pontas.*

CASUS X. Valerius diaconus de graviſſimo crimine convictus ab Officiali diœceſano condemnatus fuit ad ſubeundam pœnam canonicam, & ad relegationem extra diœceſin. Teneturne Valerius in conſcientia ſe conformare huic ſententiæ?

℟. Tenetur in conſcientia ſeſe ſubiicere quoad pœnam canonicam, non autem quoad relegationem ex diœceſi; cum non ſit in poteſtate judicis eccleſiaſtici quempiam condemnare ad exilium; eoquod judicibus eccleſiaſticis proprie non ſit territorium, & relegatio aut exilium ſit pœna afflictiva, ad quam infligendam jus non eſt poteſtati mere eccleſiaſticæ. *Pontas.*

Nota. Reſponſio hæc fors conformis eſt jurisprudentiæ Gallicanæ; cum jure autem communi non concordat, vi cujus relegationis pœna in aliquem certum locum diœceſis, vel etiam in exilium extra diœceſin poteſt, & ſolet quoque adhiberi ab Epiſcopis contra Clericos delinquentes. Vide Caſ. *Cum fortius.* 1. Lib. 5. Tit. 2. Item Can. *Cum beatus.* 8. diſt. 45.

CASUS XI. Maximilianus Officialis ſcit, quemdam uſurarium publicum eſſe incorrigibilem; in ipſum ergo ex officio pronunciat excommunicationis ſententiam absque præviis admonitionibus canonicis. Peccavitne?

℟. Non eſt dubium, quin valde graviter peccaverit; quia violavit ordinem ab Eccleſia ſtabilitum, quæ jubet, ut univerſim omnem excommunicationis ſententiam præcedant tres admonitiones canonicæ. Imo requiritur inſuper, ut pateſiat, quod ſperatum effectum ſortitæ non fuerint, antequam ad ipſam excommunicationem procedatur. *Pontas.*

CASUS XII. Emebertus propriæ manus chirographo fidem ſuam obſtrinxit Mariæ de matrimonio cum ipſa contrahendo; ſed pœnitentia poſtmodum ductus renuit ſtare promiſſis. Citatus igitur ad officialatum condemnatur ad mulctam 25. florenorum cameræ epiſcopali applicandorum, ad aliam 100. florenorum Mariæ pro damno ac intereſſe ſolvendorum, ac tandem ad duos florenos pro hoſpitali loci. Poteſtne Emebertus cum ſufficienti fundamento appellare ab hac ſententia?

℟. Quoad mulctam ſibi ab Officiali impoſitam recte appellat; quia Eccleſia non poteſt condemnare ad mulctam ipſi Epiſcopo applicandam, ſed tantum ad eleemoſynam in favorem hoſpitalis, vel cujusdam eccleſiæ particularis. Neque potuit Officialis Emebertum condemnare ad 100. florenos Mariæ ſolvendos; cum ſoli judici laico competat jus ſententiæ in ſimilibus cauſis ferendæ. Poteſt tamen Officialis ad mulctam pecuniariam condemnare Clericum, uti etiam ad damna & intereſſe parti adverſæ præſtanda; quia Clericus ut talis naturaliter ſubjacet jurisdictioni judicis eccleſiaſtici. Obſervandum hic, quod, dum Officiales Epiſcopi, Metropolitani, ac Primatis uniformem ſuper eadem cauſa pronunciarunt ſententiam, appellari tanquam de abuſu non amplius poſſit ad aliud tribunal. *Pontas.*

CASUS XIII. Parochus & curatores eccleſiæ litigant inter ſe ſuper materia fabricam eccleſiæ concernente. Officialis pronunciavit ſententiam in favorem parochi, eo quod adverterit, curatores eſſe litigatores temerarios, ordinavitque, ut ſententia ab iisdem executioni mandaretur juxta tenorem ac formam ſuam *non obſtante oppoſitione aut appellatione quacumque.* Jurene ab hac ſententia potuerunt appellare curatores, ac citra labem commiſſæ contra eccleſiam inobedientiæ?

℟. Judex eccleſiaſticus non poteſt præcipere, ut nulla fiat appellatio contra ipſius ſententiam; & hinc curatores, ſi læſos ſe exiſtiment, poſſunt appellare ad Metropolitanum, imo, ubi conſuetudinis eſt, etiam de abuſu juſto plus extenſæ poteſtatis ad ſupremum tribunal laicum. Unicus tantum eſt caſus, ubi appellatio contra judicium eccleſiaſticum locum non habet; dum ſcilicet agitur de puncto correctionis & diſciplinæ eccleſiaſticæ, v. g. de exorto tumultu aut dato ſcandalo in eccleſia vel occaſione proceſſionis; in hoc aut ſimili caſu judex eccleſiaſticus poteſt urgere executionem ſententiæ ſuæ, non obſtante appellatione. *Pontas.*

CASUS XIV. Vandrillus diœceſis Tarbenſis in Gallia presbyter, & in vicina diœceſi Vicarius cujusdam parochiæ ruralis perditiſſima vivendi licentia publico ſcandalo fuit parochianis; & hinc Epiſcopus diœceſanus mandat Promotori Officialatus, ut contra ipſum procedat criminaliter. Officialis inſtituto deſuper & finito judiciali proceſſu proſcribit eum, & relegat extra diœceſin. Eſtne legibus conformis hic procedendi modus?

℞. Juxta antiquam canonicam diſciplinam Eccleſia condemnabat Clericos ad flagellationem vel ad exilium, pro qualitate ſcilicet perſonæ vel gravitate commiſſi criminis. Cum autem Epiſcopus qua talis in Gallia nullum habeat territorium jurisdictioni ſuæ ſubjectum, unde Clericum ejicere poſſit, non poteſt Officialis Clericum delinquentem pœna relegationis, aut ulla alia inducente infamiam afficere, niſi ſit approbata a ſacris Canonibus, vel legibus civilibus conſentanea: Epiſcopus *audientiam habet, non territorium*, ait Blondellus in notis ad Bibliothecam canonicam Bochelii. Advertendum tamen eſt, quod Officialis poſſit compellere ejusmodi Clericum extraneum, ut in propriam diœceſin ſe recipiat, ſub pœna proceſſus judicialis & per viam juris contra ipſum conſtituendi in caſu inobedientiæ; quia ex præſcripto Canonum Clerici tenentur deſervire Eccleſiæ in propriis ſuis diœceſibus, ſaltem niſi alibi habeant Beneficium, aut negotium ſtabile pertractandum, quo a reſidentia in ſua diœceſi impediantur. *Pontas.*

Nota. In Germania, ubi omnes Epiſcopi ſunt ſimul Principes Romani Imperii, & verum habent territorium, in quo ſupremum exercent dominium, hæc reſponſio non procederet. Vide Caſ. 10.

CASUS XV. In quadam diœceſi Galliæ orta eſt inter duos parochos controverſia ſuper materia mere ac indubitato ad forum Officialis diœceſani pertinente. Lite jam conteſtata utrique parti cœpit ſuboriri ſuſpicio circa Officialis illegitimum modum procedendi. Petunt ergo ab Epiſcopo, judicem in præſenti cauſa ſibi dari Archidiaconum, aut unum ex Advocatis Parlamenti regii. Poteſtne Epiſcopus hanc ipſis concedere gratiam?

℞. Non poteſt. Ratio eſt 1. Quia, cum Epiſcopus omnem ſuam jurisdictionem contentioſam in manus ſui Officialis quaſi depoſuerit, non poteſt amplius delegare alium judicem, niſi Officialis ipſe ſit abſens, vel infirmus, vel in forma juris a partibus recuſatus, aut ob aliam rationem legitimam & gravis momenti non agnitus. Imo nec ipſe Epiſcopus poteſt hanc cauſam ad proprium ſuum judicium trahere. 2. Quia Officialis eſt judex naturalis ac perpetuus in diœceſi, habetque jurisdictionem ordinariam, nec poteſtate & authoritate judicis privari poteſt, quamdiu ſuum gerit officium. Si tamen Officialis legitime eſſet recuſatus, Epiſcopus pro dijudicanda cauſa delegare poſſet Archidiaconum vel alium Clericum, non autem laicum. *Generaliter prohibemus*, inquit Innocentius III. Cap. *Contingit.* 8. Lib. 1. Tit 43. *ne ſuper re-*

bus ſpiritualibus compromittatur in laicum ; quia non decet, ut Laicus in talibus arbitretur. Pontas.

CASUS XVI. Euphemianus & Florus ambo parochi ejusdem loci inter ſe litigant de erectione alicujus confraternitatis. Euphemianus Florum provocat & citari facit ad comparendum coram officiali; at vero Florus, cui aliunde non bene convenit cum Officiali diœceſano, accedit ad Officialem metropolitanum, eidemque ſupplicat, ut cauſam hanc, ejusdemque cognitionem ad ſe evocet. Potuitne Officialis metropolitanus annuere poſtulatis, canoniceque, vel ſaltem valide cauſam hanc judicare?

℟. Officiali metropolitano nullum prorſus competit jus evocandi ad ſe cauſam pendentem in prima inſtantia coram Officiali Suffraganei: Metropolitanus enim non eſt judex ſubditorum Suffraganeorum ſuorum, niſi in ſolo caſu legitimæ appellationis. Ita Innocentius IV. Cap. *Romana*. 3. §. 10. Lib. 2. Tit. 15. in 6 *Pontas.*

CASUS XVII. Anthemius Officialis a Joanne & Jacobo in quadam controverſia electus fuit arbiter, laudumque pronunciavit: noluit tamen aquieſcere Joannes, qui plus juſto læſum ſe credebat; & hinc ipſum Jacobus ad eundem Officialem citandum curat, ut ad aquieſcendum compelleretur. Joannes autem comparere nolens provocavit Jacobum ad judicem laicum. Poteſtne Joannes proſequi cauſam ſuam coram tribunali ſæculari?

℟. Certum eſt, Joannem poſſe citra inobedientiam erga Eccleſiam, & absque omni injuſtitia cauſam ſuam deferre ad forum ſæculare; & ipſe Jacobus nullum omnino habet jus petendi executionem laudi arbitralis, niſi coram hoc ipſo tribunali. Ratio eſt 1. Quia arbitria omnem ſuum vigorem ac robur habent a Principe ſæculari, & conſequenter ab eodem etiam approbari vel improbari debent. 2. Quia aliunde jam arbiter inter partes litigantes earum judex eſſe non amplius poteſt. *Pontas.*

CASUS XVIII. Leander ampliſſimæ diœceſis Epiſcopus indiget ſumma 5000. florenorum pro reparatione palatii ſui epiſcopalis; & hinc munus Officialis vendit Feſto pro 4000. florenis. Eſtne ſimoniaca venditio hæc? Et ſi ſit ſimoniaca, an non bona fides excuſat Leandrum a peccato?

℟. Munus Officialis eſt res vere ſpiritualis: nam univerſa poteſtas Officialis, quæ conſiſtit in exercitio jurisdictionis in perſonas eccleſiaſticas & ſæculares quoad cauſas pure ſpirituales & eccleſiaſticas, in ferendis cenſuris, ac in ligandis & ſol-

ſolvendis animabus, certe eſt ſpiritualis. Hinc non potuit vendi a Leandro abſque peccato ſimoniæ, cujus & Feſtus emptor ſeſe reddidit participem. *Si aliquis Epiſcopus*, inquiunt Patres Concilii Chalcedonenſis part. 2. act. 15. can. 2. *per pecunias fecerit ordinationem, & ſub pretio redegerit gratiam, quæ non poteſt vendi . . . aut promoverit per pecunias diſpenſatorem, aut defenſorem, vel manſionarium, vel quemquam omnino, qui ſubjectus eſt regulæ; pro ſuo turpiſſimo lucri commodo is, qui hoc attentaſſe probatus fuerit, proprii gradus periculo ſubjacebit; & qui ordinatus eſt, nihil ex hac ordinatione, vel promotione per negotiationem facta proficiat; ſed ſit alienus a dignitate vel ſollicitudine, quam pecuniis acquiſivit.* Concilium Toloſanum de anno 1590. part. 4. c. 2. n. 7. ita hac ſuper re ſeſe exprimit his verbis: *Si alii liçet Eccleſiaſtico ſuam aut eccleſiæ ſuæ jurisdictionem Prælatus, cujuſcumqne fuerit dignitatis, ſimoniaca populi Chriſtiani offenſione vendiderit, commiſerit, loc .tve, ipſo facto excommunicatus exiſtat. Pontas.*

CASUS XIX. Philoſtorgius parochus ex argumentis evidentibus ſcit, Gualterium ſuum olim Vicarium cum maximo parochianorum ſcandalo ex ſordida avaritia extorſiſſe pecunias ab iis, quibus Sacramenta adminiſtraverat; quare ipſum poſt ſæpius iteratas eorundem parochianorum querelas ad Officialem evocat reddendæ rationis ergo. Cauſa inſtructa ultro citroque proceditur juxta formam a jure præſcriptam; ſed cum ſententia jam propediem ferenda eſſet, Officiali in mentem venerat, Philoſtorgium agere ex mera malevolentia & paſſione; & hinc usque adeo diſtulit pronunciationem ſententiæ, ut parochus conſuetis juris remediis uſus ipſum interpellaverit ad cauſam finiendam: Officiali autem adhuc rem protrahente Philoſtorgius contra ipſum denegatæ juſtitiæ cauſa appellat, eoque nomine ceu privatam perſonam accuſat. Promittit quidem Officialis, ſe mox laturum ſententiam; Philoſtorgius tamen nihilo ſecius ipſum ut judicem recuſat. Potuitne parochus in conſcientia ita ſe gerere erga Officialem? Potuitne etiam ſalva reverentia Officiali debita ipſum recuſare ut judicem ſuum, præſertim ſi Gualterius nolit acceptare alium?

℞. Certum eſt, Philoſtorgium in ſua agendi ratione haud eſſe reprehenſibilem, utpote legibus apprime conformi. Hine cauſa Philoſtorgium inter & Gualterium non poteſt amplius judicari ab alio, quam a Vicegerente officialatus, poſito quod detur talis, vel ab alio Officiali ſpecialiter ad hoc ab Epiſcopo deputato. Officialis autem taliter accuſatus a judice appellationis condemnari debet ad expenſas, damna & intereſſe in pœnam denegatæ juſtitiæ. *Pontas.*

CASUS XX. Kilianus Officialis, quoties aliquod Breve Pontificium v. g. obtentam diſpenſationem circa impedimentum matrimonii exequitur, recipit aliquam retributionem ab iis, in quorum favorem Breve fuit impetratum; licet in reſcripto expreſſe contineatur, ne Officialis quidquam *etiam ſponte oblatum* recipiat pro executione diſpenſationum, idque ſub pœna excommunicationis. Eſtne ſecurus in conſcientia?

℟. Cum prohibitio hæc in plerisque regnis ac provinciis meri ſtili eſſe cenſeatur, Kilianus pro executione diſpenſationum moderatam retributionem accipiens juxta introductam conſuetudinem, non peccat. *De Lamet.*

Nota. Hujusmodi prohibitiones Romæ non ſunt meri ſtili, ſed obligant in conſcientia: ſenſus tamen earum eſt, ne aliquid accipiatur ultra taxam.

CASUS XXI. Innocentius Papa XI. conceſſit cuidam Religioſo Breve, per quod nulla declaratur ipſius profeſſio, utpote per vim & metum emiſſa; Breve autem eſt inſcriptum Officiali diœceſano & ſimul Superiori regulari, ſine addito, quod alteruter ſolus poſſit exequi. Poteſtne Officialis illud ſolus exequi, ſi Superior operam ſuam jungere renuat?

℟. Cum delegatio Pontificia ad exequendum Breve facta ſit duobus ſimul, & quidem abſolute, ac ſine omni clauſula, neuter ſolus ſine altero Breve exequi poteſt; & uterque peccat, ſi ſine legitima cauſa obſequi nolit. Aliud foret, ſi reſcripto clauſula adderetur, ut, ſi alter nolit, unus exequi poſſit, ut habetur Cap. *Sciſcitatus* 13. Lib. 1. Tit. 3. *De Lamet.*

Vide *Appellatio.* caſ. 7. & 8. *Diſpenſatio in matrimonio.* caſ. 21. 27. 28. 29. 30. & 31. *Excommunicatio. Reus.* caſ. 6.

OFFICIUM BREVIARII.

1. *Officium Breviarii* antiquis temporibus in occidente vocabatur *Curſus divinus*, in oriente vero *Canon*, *Synaxis*, *Collecta.* Vocabulum hoc *Breviarium* in eo ſenſu, quo hic accipitur, ſignificat certas preces publicas vel privatas, quas Clerici in Sacris conſtituti, Beneficiati & Religioſi profeſſi determinatis horis diurnis & nocturnis ſive in choro, ſive privatim quotidie recitare tenentur, ad debitum Deo cultum exhibendum, & ad impetranda tam ſibi ipſis quam omnibus aliis fidelibus dona gratiarum ad obtinendam ſalutem neceſſariarum.

2. Om-

2. Omnes homines, in quibus aliqua Dei fuit notitia, ab Adamo usque indeſinenter laudaverunt ac invocaverunt Dominum, quiſque in particulari, ſuasque ipſi neceſſitates expoſuerunt. Enos Sethi filius primus inſtituit uſum precum ſolemnium: *Iſte*, dicitur Gen. 4. v. 26. *cœpit invocare nomen Domini.* Noë, Abrahamus, Iſaac, Jacob, Moyſes, & omnes, qui eos ſecuti ſunt, nullo non tempore fideliter ſervarunt in hoc antiquam traditionem patrum ſuorum. In lege nova Chriſtiani ad exemplum divini Magiſtri ſui nunquam intermiſerunt obligationem adeo eſſentialem Religioni, ut teſtantur authores vetuſtiſſimi, S. Juſtinus, Tetullianus & Origenes.

3. Numerus horarum canonicarum pro variis variarum eccleſiarum & religioſorum Ordinum conſuetudinibus fuit varius. Hodie numerantur ſeptem Horæ Canonicæ, quæ ſunt *Matutinum* cum *Laudibus*, *Prima*; *Tertia*, *Sexta*, *Nona*. *Veſperæ* & *Completorium*; quarum diverſas ſignificationes ſequentes quinque verſus exprimunt:

Hæc ſunt, ſeptennis propter quæ pſallimus horis:
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina ſolvit.
Prima replet ſputis, cauſam dat *Tertia* mortis,
Sexta cruci nectit, latus ejus *Nona* bipertit.
Veſpera deponit, tumulo *Completa* reponit.

4. Sub hoc officio non comprehenditur illud, quod vocant *Officium parvum B. Mariæ Virginis*, quod ex antiqua conſuetudine in aliquibus eccleſiis cantatur in choro; nec ad illud recitandum obligantur, quin non niſi ad horas canonicas privatim dicendas tenentur; ſicut nec obligantur ad *Officium Defunctorum*, quod non pertinet ad Officium Breviarii, niſi in die commemorationis fidelium defunctorum.

5. Circa medium ſæculi V. inceptum eſt in aliqualem ordinem redigi Officium divinum, illudque fuit compoſitum ex hymnis, pſalmis, lectionibus ex Scriptura ſacra excerptis, homiliis SS. Patrum, collectis & aliis precibus. Muſæus presbyter Maſſilienſis, cujus meminit Gennadius *de viris illuſt.* c. 79. quique vivebat anno 450. Salvianus ejuſdem eccleſiæ presbyter, Leander Epiſcopus Hiſpalenſis, Vigilius Papa, S. Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis & alii ſubſequo tempore operi huic perficiendo ſuam contulerunt operam. Cum autem quilibet Epiſcopus pleniſſima poteſtate & authoritate polleret in ſua diœceſi circa ea, quæ diſciplinam concernebant

quivis officium divinum ordinavit, prout ipſi bonum meliusve viſum eſt; & inde evenit, ut nulla eſſet conformitas in Breviariis, quibus perſonæ eccleſiaſticæ in orbe Chriſtiano utuntur, & vix non totidem diverſa dentur Breviaria, quot in Eccleſia exiſtunt diverſi Ordines religioſi.

6. Certum tamen eſt, omnia hæc diverſa Officia ad unum eundemque reſpexiſſe ſcopum, ſcilicet ut laudetur Deus, ut familiaria ſibi reddant perſonæ ſacræ eloquia divina, & denique ut per preces iſtas a ſuprema Dei bonitate obtineatur venia peccatorum, & neceſſaria gratiarum ſubſidia impetrentur tam ſpiritualia quam temporalia. Eccleſia introducendo plum hunc uſum Officii divini imitari principaliter voluit cœleſte illud Jeruſalem, ſeu Eccleſiam triumphantem, in qua perennes adorandæ majeſtati divinæ inceſſanter laudes decantantur, & in perpetuum decantabuntur; jugem inſuper fovere intendit in cordibus hominum infiniti beneficii redemptionis noſtræ memoriam, & ad quotidianum grati animi obſequium nos excitare.

7. Quilibet ſacerdos, diaconus & ſubdiaconus indiſpenſabiliter tenetur recitare quotidie Officium Breviarii, niſi ex cauſa legitima impediatur, vel omnino non valeat ſatisfacere huic obligationi, veluti ob morbum, aliave impedimenta. Idem dicendum de omnibus aliis perſonis eccleſiaſticis, quæ, licet non ſint in Sacris conſtitutæ, gaudent tamen Beneficio ſive ſimplici ſive curato: imo tales præterea obligantur ad reſtitutionem fructuum ſui Beneficii, quos perceperunt illis diebus, & intra tempus illud, quo ex culpa ſua omiſerunt recitare Breviarium; cum fideles bona ſua Clericis beneficiatis non contulerint, niſi ea intentione, ut per preces ſuas animabus fundatorum ſint ſubſidio, & Eccleſiæ deſerviant ea ratione, quam cujusvis exigit ſtatus, conditio & obligatio.

CASUS I. Lucanus ſubdiaconus quater aut quinquies tantum per annum omittit recitare Breviarium absque ulla cauſa legitima. Peccatne mortaliter, & quidem toties, quot diebus omittit?

℞. Nullum eſt dubium, quin peccet mortaliter toties, quoties ex culpa ſua omittit. Sic unanimiter ſentiunt omnes Theologi etiam laxiſſimi; fundaturque hæc reſponſio in definitionibus variorum Conciliorum, ſcilicet Agathenſis ſub initium ſæculi ſexti habiti, Nannetenſis anno circiter 800. celebrati, & Lateranenſis de anno 1215. Accedunt etiam conſtitutiones Pontificum Innocentii III. Bonifacii VIII. Clementis V. & S. Pii V. &c. *Pontas.*

CA-

CASUS II. Auguſtinus ordinatus fuit ſubdiaconus inter horam undecimam antemeridianam & duodecimam. Teneturne in conſcientia recitare integrum officium illius diei, vel tantum Nonam, Veſperas & Completorium?

℟. Juxta ordinem ab Eccleſia ſtabilitum Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia ac Sexta recitari debent ac ſolent ante meridiem. Cum autem Auguſtinus ante ſuam ordinationem non teneretur ad Officium, dicendum, quod ſolum teneatur ad recitandas illas horas, quæ recitari ſolent in Eccleſia ab hora, qua ordinatus eſt, nempe ad Nonam, Veſperas & Completorium; alias enim lex Eccleſiæ reſpectu Auguſtini haberet vim retroactivam, quod de nulla lege dici poteſt, niſi expreſſe hoc exprimatur in lege. *Pontas.*

CASUS III. Poſito autem, quod Auguſtinus fuerit ordinatus in ipſo meridie, & prævidens impedimenta plurima poſt meridiem occurſura recitaverit Nonam, Veſperas & Completorium mane ante ſuam ordinationem, eſſetne liber ab omni obligatione Breviarii pro tota illa die? An vero teneretur in conſcientia repetere illam partem Officii tempore pomeridiano?

℟. Teneretur in hoc caſu repetere illas horas, quæ in eccleſia primum tempore pomeridiano recitari ſolent: non enim percipi poteſt, quomodo ſatisfacere potuerit per anticipatam recitationem horarum obligationi, quam mane necdum habuit, ſed primum per ſuſceptum Ordinem contraxerat. Solutio debiti ſupponit debitum; certum autem eſt in hac hypotheſi, quod Auguſtinus ante ordinationem non contraxerit debitum; & conſequenter non potuit anticipato ſolvere, quod non debebat. Tenetur ergo poſt ordinationem repetere Nonam, Veſperas & Completorium, ut vere dici poſſit, quod obligationi ſuæ ſatisfecerit, & debitum exſolverit. *Pontas.*

CASUS IV. Gerbertus presbyter ex mera negligentia quodam die omiſit integrum Officium. Commiſitne totidem peccata mortalia, quot ſunt horæ canonicæ?

℟. Variant circa hoc Doctores: aliqui dicunt, per omiſſionem totius Officii divini tot committi peccata, quot in eo comprehenduntur Horæ diſtinctæ; quidam vero defendunt, unicum tantum committi peccatum, licet poſſit contingere, ut quis plurium peccatorum internorum ſeſe reum conſtituat per plures reiteratos ac moraliter diſtinctos actus voluntatis, qua quis ſtatueret non ſatisfacere huic ſuæ obligationi, qua utique voluntate ac diſtinctis ejusdem actibus plura ſucceſſive committeret peccata. Poſterior tamen ſen-

tentia

tentia verior videtur, & majori fundamento nixa quam prior; quia verum eſt dicere, talem non niſi unicum Officium diurnum omittere, id eſt, ſolum illud Officium, ad quod illo die obligabatur. Interim tamen Gerbertus omittendo totum Officium multo gravius peccat, quam ſi duntaxat aliquam ejusdem partem omitteret. *Pontas.*

Nota. Inutilis ac otioſa videtur ſcrupuloſa hæc diſcuſſio in præſenti materia: certum enim eſt, quod detur obligatio in confeſſione exponendi, quot quis horas, vel utrum totum Officium ex mera deſidia omiſerit; certum quoque eſt, omiſſionem unius horæ eſſe peccatum mortale, non ita tamen grave, ac foret omiſſio duarum aut trium horarum; ſive dein multiplicentur peccata mortalia juxta multiplicationem horarum omiſſarum, ſive unum peccatum committatur, majori tamen gravitate ſua adæquans minores gravitates plurium peccatorum mortalium, in praxi vix non idem eſt, nec multum immutatur judicium confeſſarii in ordine ad impertiendam abſolutionem aut injungendam ſatisfactionem.

CASUS V. Andreas diaconus neglexit recitare Nonam, tametſi commode recitare potuiſſet. An peccavit graviter?

℞. Peccavit graviter. Sunt Authores, qui exiſtimant peccari mortaliter, ſi omittatur ſolum pars dimidia unius horæ minoris. Sed quidquid ſit de hac opinione, quæ videtur nimis rigoroſa, id omnino tenendum conformiter ad ſenſum communem omnium Doctorum, quod ille certe peccet mortaliter, qui absque omni rationabili cauſa omittit unam horam canonicam integram, qualiscumque ea ſit: una ſola omiſſa deſtruitur ſignificatio myſtica Officii divini, quæ indicata eſt in prænotatis hujus articuli n. 3. *Hi qui, tenentur*, ait S. Antoninus 3. part. Summ. Theol. tit. 13. c. 4. §. 5. *ſi dimittunt aliquam horam ex induſtria vel negligentia ſua, mortaliter peccant; quia præceptum transgrediuntur Eccleſiæ. Pontas.*

CASUS VI. Lælius parochus propter functiones & occupationes neceſſarias easque continuas Dominica Paſchatis non potuit recitare Breviarium ſuum ante mediam undecimam nocturnam. Dum incipit, monetur, eſſe rixas inter quosdam parochianos cum præſentiſſimo periculo, ne ingens oriatur tumultus, niſi relictis omnibus ad ſedandas turbas mediator veniat. Poteſtne abire ad reconciliandos rixantes, & absque peccato integrum eo die penſum canonicum omittere, quod neceſſario futurum prævidet?

℞. Parochus hic absque omni peccato poteſt omittere recitationem Breviarii: quando enim eodem tempore concurrunt duæ obligationes incompatibiles, certum eſt, præferendam eſſe eam, quæ eſt urgentior ac majoris momenti.

Idem

Idem dicendum de aliis operibus charitatis, quæ in aliud tempus differri non poſſunt, v. g. quando urget neceſſitas conferendi Baptiſmum, aut infirmo miniſtrandi Sacramenta Pœnitentiæ, S. Viatici & extremæ unctionis; quia ejusmodi functiones longe magis ſunt neceſſariæ, quam recitatio Breviarii. Sic univerſim, quando negotium differri non poteſt ſine peccato, ſine ſcandalo, aut ſine notabili damno ſive proprio ſive alieno, & non ſupereſt aliud tempus pro recitatione Breviarii, eo ipſo datur legitima excuſatio a re citatione Breviarii, v. g. ſi concionator in vigilia ſolemnis feſti non poſſit ſe præparare ad digne ac cum ædificatione concionandum altero die, niſi omittat Breviarium, poteſt illud licite omittere. Ratio eſt; quia ex omiſſione concionis populus ſcandalizaretur, & ipſe concionator notabile proprii honoris detrimentum incurreret; neque Eccleſia præſumitur habere intentionem obligandi concionatorem in tali caſu ad recitationem Breviarii. Verum quando prævideri poteſt negotium magni momenti, & neceſſarium, datur obligatio anticipandi horas canonicas, ſi fieri poſſit. Nec licet aſſumere functiones & labores incompatibiles cum recitatione Breviarii, niſi quis ad eos obligetur ex officio & vocatione ſua; alioquin enim juxta authorem *Conferentiarum Rupellenſium* q. 14. de Off. div. quis cenſeretur absque ulla neceſſitate ultro conſentire in omiſſionem Breviarii. *Pontas.*

CASUS VII. Arſacius hora noctis decima dubitare incipit, utrum jam recitaverit Veſperas. Teneturne in conſcientia eas recitare?

℟. Si non poſſit deponere hoc dubium per argumentum valde probabile, ita ut ipſi fiat veroſimilius, quod jam recitaverit, tenetur in conſcientia recitare hanc partem Officii: *in dubiis* enim, ut ait Clemens III. *ſemitam eligere debemus tutiorem. Pontas.*

Nota. Illis, qui ſciunt, ſe eſſe valde obliviosos circa actiones diurnas, ſufficientis argumenti inſtar quandoque poteſt eſſe prudens præſumptio.

CASUS VIII. Fredulphus in Curia Romana reſignavit Bernardino Clerico tonſurato Prioratum ſimplicem; & Bernardinus jam quatuor abhinc menſibus proviſiones Beneficii obtinuit, nec tamen hucusque ejusdem poſſeſſionem aggredi voluit. Teneturne recitare Officium a die, qua reſignatio a Papa fuit acceptata, vel ſaltem a die, qua obtinuit proviſiones ſuas, & poſſeſſionem Beneficii capere potuit?

℟.

℟. Licet quidam defendant, ejuſmodi reſignatarium mox teneri ad recitationem Officii, ex quo accepit collationem Beneficii; dicendum tamen videtur, eum non obligari in conſcientia, antequam ejuſdem poſſeſſionem adierit. Ratio eſt 1. Quia obligatio recitandi Breviarium in Beneficiariis principaliter fundatur in perceptione fructuum Beneficii; fructus autem ante aditionem poſſeſſionis legitime percipi non poſſunt. 2. Quia Beneficiarius ante captam poſſeſſionem non poteſt exercere jura Beneficii, nec peragere ullam functionem; itaque nec onera Beneficii illi ferenda ſunt juxta regulam juris 55. in 6. *Qui ſentit onus*, ſentire debet commodum. 3. Quia ipſum jus ad Beneficium ante aditam poſſeſſionem aliquo modo eſt imperfectum ac incertum; quia facile poſſet contingere, ut pluries jam eveniſſe conſtat, ut ab adeunda poſſeſſione impediatur. Obſervandum tamen 1. dari Beneficia, quorum fructus groſſi percipiuntur ante aditionem poſſeſſionis, dummodo tempore determinato ſumatur poſſeſſio; & in hoc caſu datur obligatio mox recitandi Breviarium. 2. Ad idem obligatur, qui ſua culpa ac negligentia differt adire poſſeſſionem Beneficii actu vacantis; quia juxta regulam juris 25. in 6. *mora ſua cuilibet eſt nociva*, nec juſtum eſt, ut quis ex ſua culpa referat commodum, aut ut Eccleſia privetur precum ſubſidio ob ejus negligentiam. *Pontas.*

CASUS IX. Chryſogonus Religioſus profeſſus, necdum tamen in Sacris conſtitutus, aut Beneficio proviſus, & Petrus novitius omittunt interdum Breviarium. Peccantne mortaliter?

℟. Magnum inter Religioſum profeſſum & Novitium intercedit diſcrimen; primus peccat mortaliter, alter vero omnino non peccat, ſi nec Ordine ſacro initiatus eſt, nec poſſidet Beneficium. Omnes prorſus Religioſi profeſſi tenentur ad Officium, ſicut Beneficiati, idque vi conſuetudinis univerſaliter receptæ, quæ vim legis obtinet. Ita ſentiunt communiter Theologi & Canoniſtæ cum S. Antonino, qui 1. part. Summ. Theol. tit. 13. c. 4. §. 1. ait: *Tenentur ad horas Religioſi profeſſi ... ratione ſuæ profeſſionis; quia non ſolum ſunt inſtitutæ hujuſmodi Religiones ad orandum particulariter pro ſe, ſed etiam ad orandum pro univerſali utilitate fidelium. Ad hujuſmodi autem orationem, ſcilicet faciendam in perſona totius populi Chriſtiani, pro utilitate omnium ſunt inſtitutæ ſpecialiter horæ canonicæ.* Sunt, qui etiam Religioſos Converſos obligant ad recitationem Breviarii; ſed communis Theologorum ac Canoniſtarum opinio eſt, eos non

non obligari ad Officium majus, ſed ſolum ad quasdam alias preces a Regula vel a Prælato præſcriptas; cum non ad munia clericalia, ſed ſolum ad opera ſervilia monaſterii & ad miniſterium Religioſorum profeſſorum ſint deſtinati. *Pontas.*

CASUS X. Chryſoſtomus Religioſus profeſſus, necdum Sacris initiatus, nec Beneficium poſſidens ex monaſterio ſuo fuit ejectus per ſententiam legitimi judicis. Teneturne ſemper & quotidie ad recitationem Breviarii? An ad idem teneretur, ſi ex diſpenſatione Pontificia reverſus fuiſſet in ſæculum, nunquam religionem repetiturus?

℞. *Quoad* 1. Poteſt defendi, Chryſoſtomum in rigore non obligari ad recitationem Breviarii, cum non amplius cenſeatur eſſe membrum monaſterii. *Religioſi nullatenus ſacri*, inquit Cabaſſutius, Jur. Can. Theor. & prax. L. 1. c 21. *ex monaſteriis ejecti ab hoc onere liberantur... Cum enim iſtud onus Officii ex ſola monaſteriorum conſuetudine, aut regulæ monaſticæ præſcripto ortum ducat, quoties Religioſi ex monaſteriis & communi regula ejiciuntur, tametſi votiva caſtitate adhuc adſtringantur, non tamen regularibus obſervantiis; quippe qui translati ſunt ex illo ſtatu & conditione, quæ ipſos Officio divino tenebat divinctos, & monaſticis, a quibus amoti ſunt, inſtitutis.* Navarrus autem cum quibusdam aliis ſentit oppoſitum; & eorum ſententia pro conſcientia eſt tutior: *is enim ſemper remanet monachus*, verba ſunt Navarri Man. de hor. Can. c. 7. n. 20. *nec uxorem ducere poteſt, & ad Ordinem ſuum fere ſemper una vel alia via, ſi volet, redire poteſt. Quoad* 2. Nec in hoc caſu Chryſoſtomus tenetur ad recitationem Officii, ut docet Cajetanus in Summ. V. *Horæ Canonicæ*, n. 3. cum D. Thoma; quia ex diſpenſatione legitima rediens in ſæculum avellitur a ſocietate religioſa, & conſequenter non amplius tenetur ad ejusdem obſervantias regulares. *Pontas.*

CASUS XI. Polydorus excipit confeſſionem Monialis profeſſæ commorantis in domo patris ſui, ipſamque interrogat, an quotidie recitaverit Officium majus. Ea reſpondet, quod non; eo quod ad id ſe non obligari arbitraretur ex eo tempore, quo deſtructo per hoſtiles copias monaſterio cum omnibus aliis Monialibus ad ſuos ſe recipere compulſa fuerit. Eſtne hæc ratio ſufficiens ad ipſam eximendam ab obligatione Breviarii? Poteſtne Polydorus eam abſolvere, quin ipſi imponat obligationem Officium recitandi imposterum?

℞. Hæc ratio eſt legitima; poteſtque Polydorus Monialem abſolvere, quin ipſi imponat obligationem poſthac recitan-

citandi Officium. Ratio eſt ; quia Moniales non tenentur ad obſervantias & regulas communes Religionis, niſi in quantum totum corpus religioſæ communitatis ſubſiſtit. Ita reſpondet Cabaſſutius L. 1. c. 21. & addit : *Ita decerni ac definiri vidimus ab Epiſcopis & Regularium Prælatis.* Aliud tamen dicendum foret, ſi in tali caſu Moniales obligarentur ad recitationem Breviarii ex ſpeciali ſtatuto Ordinis, aut conſtitutione monaſterii.

CASUS XII. Baſilius parochus primo per ſententiam fuit ſuſpenſus ab Ordinibus, poſtmodum vero ob enormia crimina etiam excommunicatus ac degradatus. Ex eo ergo tempore vivit ut ſimplex laicus, nec amplius dicit Breviarium. Num jure ?

℟. Non poteſt ſe eximere ab obligatione privatim recitandi Breviarium ; licet illud licite recitare non poſſet publice tanquam Eccleſiæ miniſter : iniquum plane foret, ſi criminoſus commodum aliquod ex ſuo crimine reportaret ; cum juxta legem *nemo ex delicto ſuo faciat conditionem ſuam meliorem.* Clericus in Sacris conſtitutus, etſi excommunicetur aut degradetur, ſemper tamen conſervat characterem in ordinatione receptum, in quo fundatur obligatio recitandi horas canonicas. Accedit, quod in hoc miſerabili ſtatu vel maxime indigeat miſeratione divina, quam eo certius ſibi attrahet, quo preces ipſius ſunt ferventiores. *Pontas.*

CASUS XIII. Lazarus presbyter ſummo mane recitavit Matutinum & Laudes ex mero motivo devotionis peculiaris erga beatiſſimam Virginem, cujus eo die recurrebat Officium, & quidem cum expreſſo propoſito præfatas horas ſecunda vice perſolvendi ea intentione, ut ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ. Teneturne ſub peccato eas denuo recitare ?

℟. Non tenetur ; quia obſervatio præcepti in hujuſmodi rebus, in quibus Eccleſia requirit actum, non intentionem, non dependet ab intentione operantis, ſed a poſitione operis præcepti. Sub eadem ratione conſiderari debent hæc obligatio & præceptum audiendi miſſam diebus Dominicis & feſtis ; Eccleſia non exigit formalem & expreſſam intentionem ſatisfaciendi præcepto, dummodo quis devote aſſiſtat. Lazarus igitur non tenetur repetere horas jam ſemel, licet ex privata devotione, recitatas. Sunt tamen Authores, qui ſentiunt oppoſitum. *Pontas.*

CASUS XIV. Benignus anno ætatis ſuæ duodecimo vel decimo tertio acceptavit Prioratum ex ſolo motivo metus erga patrem ſuum hoc præcipientem. Itaque nunquam recitat Breviarium, ſe ad id in conſcientia non teneri ratus ;

eo

eò quod hoc Beneficio proviſus fuerit contra propriam voluntatem ſuam. Excuſatne ipſum hæc ratio ab obligatione recitandi Breviarium ?

℟. Si metus hic præciſe ſit *reverentialis*, vel metus *levis*, non eum excuſat. Si vero eſt metus *gravis*, non tenetur recitare Officium Breviarii. Interea tamen, ſi percipit fructus Beneficii, metus qualiscumque demum, quo urgente acceptavit Beneficium, eum non liberat ab onere Breviarii; quia juxta regulam juris 55. in 6. *Qui ſentit commodum, par eſt ut ſentiat onus.* Si autem eam ætatem attigerit, ut poſſit renunciare Beneficio, quocumque modo libuerit; hoc ni faciat, cenſetur illud ultro acceptare, & conſequenter obligatur ad recitationem Breviarii. *Pontas.*

CASUS XV. Geranus proviſus Beneficio ſimplici, cujus redditus annuatim ad 500. florenos excurrunt, neſcit recitare Breviarium, nec commode poteſt invenire quempiam, qui ipſum doceat modum, regulas ac Rubricas. Poteritne ratio hæc ipſum excuſare a recitatione Breviarii ?

℟. Si prævidit Geranus hanc moralem impotentiam ſatisfaciendi ſuæ obligationi, peccavit graviter acceptando Beneficium; &, ſi habeat Breviarium, tenetur in conſcientia illud recitare modo meliori, quo fieri poteſt. Si Beneficium habet pingues redditus, tenetur pro mercede conducere perſonam habilem, quæ ipſum doceat, qua ratione, & quo ordine ſit recitandum Breviarium, Denique ſi non habet Breviarium, tenetur illud ſibi comparare; vel ſi Breviarium non deſit, non poſſit autem per ſe ipſum, & absque alterius auxilio illud recitare; vel ſi ſit in morali impotentia modum & ordinem addiſcendi, fundationem Beneficii exequendi, ejusdem onera perſolvendi, ac jura defendendi, tenetur in conſcientia illud dimittere; quia, ut Leo X. in Bulla *Supernæ.* 7. §. 38. ait: *Propter Officium datur Beneficium. Pontas.*

CASUS XVI. Bonaventura ſacerdos amiſit uſum oculorum. Teneturne in conſcientia conducere alium, quo juvante poſſit recitare Breviarium ?

℟. Sacerdos cæcus non tenetur ad Breviarium; cum nemo teneatur ad impoſſibile. Interim tamen, ſi novit aliquam ejus partem recitare ex memoria, dubio procul obligatur ad illam partem. Quando facile poteſt invenire amicum, qui gratis operam ſuam præſtare velit ad recitandum integrum Breviarium, dubitandum non eſt, quin teneatur uti in rem ſuam hac amici humanitate. Denique ſi Beneficium poſſideat, poſſitque reperire perſonam idoneam, quæ

ipſum juvet, redditusque Beneficii ad remunerationem juvantis ſufficiant, omnino tenetur hoc ſibi procurare ſubſidium. *Excuſamus Cæcum*, ait Navarrus Man. de orat. & hor. Can. c. 21. n. 14. *aut oculis ita caligantem, ut legere non poſſit. Ipſe autem* (Dominicus Soto) *excuſat illum ſimpliciter; nos vero cum limitatione, niſi poſſit illas* (horas Canonicas) *cum ſocio recitare, & eſſet, qui vellet & poſſet eum juvare gratis; aut pretio, ſi haberet redditus eccleſiaſticos ſufficientes ad ſe alendum, & illum ad id conducendum. Obligamus item eum ad recitandam eam partem, quam memoriter tenet; ſi earum pars major fuerit, licet non habeat ſocium, nec habere teneatur. Pontas.*

CASUS XVII. Emericus Beneficiatus jam a tribus menſibus tertiana laborat, & toto hoc tempore nunquam recitavit Breviarium, ab hac obligatione exemptum ſe ratus ob ægritudinem. Num ita eſt?

℟. Videtur Emericus juſto mitius in cauſa propria ſenſiſſe; cum tertiana febris non ſit cauſa ſufficiens ad hoc, ut quis ſecum diſpenſet in recitatione Breviarii, relictis utpote ordinarie intervallis inter paroxiſmos febriles. Dein poteſt pridie anticipari Matutinum cum Laudibus pro die ſequenti, quo inſultationes febriles rediturae ſciuntur. Imo diebus ipſis, quibus quis febri agitatur, datur obligatio recitandi ſaltem horas minores, ſi majores non poſſint recitari, quod ex cenſura ſequentis propoſitionis eruitur: *Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem*: quam quidem propoſitionem Innocentius XI. defendi prohibuit ac doceri ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & Sedi Apoſtolicæ, extra articulum mortis reſervatæ. *Sacerdos, Clericusve ſacris initiatus*, ait S. Carolus in Concil. Mediol IV. 3. parte Tit. de vit. & honeſt, Cler. *aut eccleſiaſticum Beneficium obtinens, horarum canonicarum Officio cum adſtrictus ſit, meminerit ſe febri, morbove aliquo, vel adverſa valetudine leviter aliquando laborantem, non juſtam propterea excuſationem habere, quam ob rem illud intermittat, omittatve. Itaque ſi quando corporis infirmitate affectus eſt, ipſe pro ſua conſcientia recte videat, quid præſtare poſſit, ac ne omittendo graviter peccet, & Beneficii, ſi quod habet, fructus ſuos ne faciat. Pontas.*

NOTA. Tamdiu infirmitas vel febris non cenſetur diſpenſare ab Officio, quamdiu non impedit, ne infirmus aut febricitans alia ſua negotia gravia atque moleſta tractet. Qui magnam diei partem in confabulationibus ac librorum lectione impendere ſolet, vix diſpenſari ab Officio licite poterit; facto enim probat ſuo, ſe non ita eſſe

eſſe ab infirmitate oppreſſum, ut recitare Officium nequeat ſine notabili damno.

CASUS XVII. Arſenius presbyter ægrotat; dubitat tamen, an morbus ſit adeo gravis, ut poſſit licite omittere Breviarium; imo nec medicus audet decidere hoc dubium. Peccatne non recitando?

℟. Peccat; quia præſumptio tamdiu ſtat pro præcepto, quamdiu non conſtat, dari cauſam excuſantem a lege; quod non contingit in dubio, quod facile oriri poteſt ex vana apprehenſione, vel inordinato ſui amore: & id in hoc caſu merito præſumendum eſt ex eo; quia nec ipſe medicus audet reſolvere dubium. Quamdiu ergo dubium non poteſt deponere Arſenius, ita ut intus in mente perſuaſus ſit, dari impotentiam moralem recitandi, tamdiu tenetur ad recitationem Breviarii. Imo nec judicio medici in hiſce circumſtantiis ſemper fidendum, niſi remotis paſſionibus ac rejectis levibus apprehenſionibus propria coram Deo in conſilium vocetur conſcientia. S. Ambroſius Can. *Contraria*. 21. de Conſecr. diſt. 5. ait: Contraria ſtudioſe ſunt divinæ cognitioni præcepta medicinæ: a jejunio revocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui ſe medicis dederit, ſe ipſum ſibi abnegat. *Pontas.*

Nota. Aliud dicendum foret, ſi ægrotans prudenter dubitaret, an recitatio Breviarii non ſit aggravatura morbum, aut effectum ac operationem medicinæ retardatura: tunc enim licite omittit Breviarium; quia dubium non verſatur circa licentiam omiſſionis.

CASUS XIX. Euprepius presbyter plerumque matutino jam tempore poſt reliquas horas recitat etiam Veſperas, imo & Completorium, ut liberius per reliquum diem vacet aliis negotiis. Peccatne?

℟. Quamvis in Officio publico determinatum cuilibet horæ tempus aſſignatum ſit, non tamen datur adeo rigoroſa obligatio obſervandi hunc ordinem temporis in recitatione privata. Nihilominus Euprepius nimium aberrat ab ordine conſueto & mente Eccleſiæ, dum mane recitat Veſperas & Completorium, & quidem ordinarie, quod ſine inconvenientia fieri non poteſt; & hinc, niſi habeat cauſam legitimam, ſaltem venialiter peccat. *Si hoc facit propter laſciviam*, inquit S. Thomas Quodl. 5. art. 28. *ut ſomnolentiæ & voluptati vacet, non eſt abſque peccato. Si vero hoc faciat propter neceſſitatem licitarum & honeſtarum occupationum, licite poteſt de ſero dicere Matutinas. & in aliis horis canonicis*

 impeus

tempus prævenire, ſicut hoc etiam in ſolemnibus eccleſiis fit. Pontas.

CASUS XX. Gerardus parochus ſæpius differt penſum horarum canonicarum exſolvere usque ad horam octavam vel nonam veſpertinam, & tunc incipit a Matutino; eo quod hoc tempore a negotiis, & perſonis ſeſe crebrius interpellantibus haud ita præpeditus tranquillius poſſit orare, quam diurno. Num hæc ratio excuſat eum a peccato, ſaltem mortali?

℞. Peccat certe; peccatum tamen hoc non cenſetur mortale. *Non tamen videtur eſſe mortale*, inquit S. Antoninus 2. part. Summ. Tit. 13. c. 4. §. 4. *modo non tranſeat dies, qui, quantum ad hoc, videtur terminari circa mediam noctem: non enim iſtud præceptum de horis dicendis refertur ad tempus.* Quod autem Gerardus ſaltem peccet venialiter, patet ex eo; quia agit contra conſuetudinem univerſalem Eccleſiæ, ac contra illius intentionem, in quantum per ordinem divini Officii intendit repræſentare congruenter myſteria paſſionis dominicæ. *Pontas.*

CASUS XXI. Aniſtius non raro celebrat miſſam, antequam recitavit Matutinum & Laudes. Peccatne? Num graviter vel leviter?

℞. Omnino non peccat Aniſtius, ſi juſta ac legitima de cauſa ſic agit. Peccat autem, ſi deficiente omni rationabili cauſa celebrat ante dictum Matutinum; quia agit contra Rubricas Miſſalis, contra generalem conſuetudinem Eccleſiæ, & contra conſtitutionem Innocentii IV. de anno 1254. 6. Martii in Bulla *ſub Catholicæ*. §. 3. n. 11. ubi Pontifex ait: *Sacerdotes autem dicant horas canonicas more ſuo; ſed miſſam celebrare, priusquam Officium matutinale compleverint, non præſumant.* An vero iſtud peccatum ſit mortale, authores non conveniunt. S. Antoninus cum pluribus aliis cenſet, illud eſſe mortale: *Qui nondum dictis Matutinis*, ait 3. part. Summ. Theol. tit. 13. c. 4. §. 4. *celebrat, mortaliter peccat ſecundum Guillelmum & Hoſtienſem, quamvis poſtea diceret, ex hoc; quia facit contra generalem & approbatam conſuetudinem Eccleſiæ.* Item ibidem c. 3. §. 4. *Miſſa non debet dici ab eo, qui non dixit Matutinum, licet poſſit audiri: alias dicendo eſſet mortale; quia contra conſuetudinem generalem Eccleſiæ.* Licet authoritas S. Antonini Archiepiſcopi maximi eſſe debeat, in hoc tamen doctrinæ moralis articulo rigori nimium indulſiſſe videtur: ſunt enim authores non contemnendæ authoritatis in magno numero, qui tenent oppoſitum, & expreſſe docent, celebrantem ſine ſufficienti cauſa ante reci-

citationem Matutini non peccare mortaliter. Id certum eſt, quod, ſi quis dubitet, utrum ſine peccato mortali celebrare poſſit ante recitationem Matutini & Laudum, & tamen ſtante dubio celebret, eo ipſo peccet mortaliter. *Pontas.*

Nota. Forte S. Antoninus reſpexit ad ea tempora, quibus parochi Officium adhuc recitabant publice in eccleſia, alta voce, & ſtatutis horis, ut fit in choro. Certe hic mos erat in tota Germania.

CASUS XXII. Frobertus cum in recitatione Matutini jam perveniſſet ad tertium Nocturnum, vel ad ultimum pſalmum in Veſperis, ſupervenit perſona dignitate & authoritate multum excellens, quæ eum petit ad alloquium. An eo finito tenetur de novo inchoare Matutinum vel Veſperas?

℟. Tenetur denuo inchoare interruptam horam, ſi interruptio duravit per tempus valde notabile. Ad idem tenetur, quando interruptionis hujus, utut non diuturnæ, nullam habuit juſtam cauſam; cauſa autem juſta non eſt officioſa ſalutatio aut alloquium amici, niſi ſit breviſſimum, aut niſi perſona colloquens tantæ ſit authoritatis, ut omnibus relictis ſtatim eidem patere debeat aditus; in quo caſu non videtur obligari poſſe ad inchoandam de novo horam interruptam. Si denique interruptio fuerit notabilis, & ſine juſta cauſa, peccat, & quidem fors mortaliter, qui ſic interruptam horam non inchoat de novo. *Pontas.*

Nota, In hujusmodi legibus mere humanis, præſertim introductis mera conſuetudine, prout eſt conſuetudo recitandi Breviarium extra chorum, phariſaico more deſipere videntur, qui peccata mortalia ſomniant ob interruptionem precum, quæ ſeorſim conſtituunt integram orationem.

CASUS XXIII. Eutropius Beneficiatus interdum recitat Tertiam ante Primam, vel Completorium ante Veſperas absque juſta cauſa. An peccat? Et num tenetur repetere horam præpoſtero ordine jam recitatam?

℟. Non tenetur eam repetere, nec peccat mortaliter, quamvis peccet venialiter; eo quod absque legitima cauſa contra intentionem & univerſalem conſuetudinem Eccleſiæ invertat ordinem divini Officii. Imo ſi haberet juſtam cauſam ſic immutandi ordinem, omnino non peccaret. Talis juſta cauſa foret, ſi Canonicus legitime impeditus dicta jam Prima veniret in chorum, dum Tertia inchoatur; hic cum aliis poſſet dicere Tertiam, eaque finita privatim ſupplere Primam. *Si quis*, inquit S. Antoninus 2. part. Summ. Theol. tit. 13. c. 2. §. 4. *prætermiſſa una hora, puta poſt Primam dicat Sextam, ſufficit ſecundum Guillelmum, quod ſuppleat id*

tantum quod omiſit, puta Tertiam; & pœnitentiam agat de negligentia ſua. Pontas.

CASUS XXIV. Anatholius ſubdiaconus plerumque quatuor minores horas Officii dicit ſub miſſa, cui intereſt diebus Dominicis & Feſtis. An ſatisfacit?

℟. Satisfacit, & tuta conſcientia poteſt recitare Breviarium ſub miſſa, cui ex obligatione præcepti intereſt; ſicut & injunctas pro pœnitentia in confeſſione preces perſolvere poſſet. Ratio eſt; quia preces divini Officii & auditio Sacri ſunt res compatibiles, imo ad unum eundemque finem tendunt, qui eſt per preces laudare Deum, præceptumque Eccleſiæ adimplere. *Poterit tamen ſimul audire miſſam & horas perſolvere; quia iſta ad unum ordinantur finem; & præceptum audiendi miſſam non eſt verbis intendere, ſed ſacrificio adeſſe, etiam verbis non auditis. Unde & ſimul præcepto miſſæ ſatisfieri poteſt, & præcepto recitandi horas.* Sunt verba Cardinalis Toleti Inſtruct. Sacerd. L. 2. c. 13. n. 6. *Pontas.*

CASUS XXV. Sixtus parochus ſub recitatione Breviarii quandoque aſſumit actiones externas, iiſque ſe occupat. Quæritur, an peccet, & an teneatur in conſcientia horas ſic recitatas repetere; vel an teneatur ad reſtitutionem, ſi non repetat.

℟. Sunt quædam actiones externæ prorſus incompatibiles cum attentione interna ad orationem requiſita, ut legere, ſcribere & ſimilia: ſunt etiam, quæ non ſunt incompatibiles, veluti deambulare, aut inclinatione ſalutare tranſeuntem; & has poſteriores actiones aſſumere ſub recitatione Breviarii aut nullum eſt peccatum, aut tantum veniale: qui autem inter actiones priores recitat Breviarium vel integrum, vel ſaltem partem notabilem, peccat mortaliter, &, ſi Beneficium poſſideat, tenetur ad reſtitutionem, niſi repetat ea, quæ hoc modo recitaverat. *Si dicendo horas aliis exercitiis ſe occupavit manualibus*, inquit S. Antoninus in Summ. Confeſſ. part. 3. *ut faciendo coquinam & hujusmodi, videtur mortale; quia non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ; & ſi mens circa alia vagatur voluntarie non curans, & ſic quaſi per totum Officium, videtur mortale. Secus ſi proponit velle attendere, & diſtrahitur, ſcilicet cum advertit, & diſplicet ei. Pontas.*

NOTA. Quod Beneficiati teneantur fructus ex Beneficio perceptos reſtituere, in caſu omiſſionis divini Officii, tam certum eſt, quam quod maxime. Sed qui recitat Breviarium inter actiones cum attentione interna incompatibiles idem agit, ac ſi omnino omitteret. *Qui voluntarie & data opera mentem alio diſtrahit*, ait P. Conci-

na

na Tom. 2. Theol. Chriſt. diſſ. 2. q. 10. *& poſitive atque animo deliberato perſiſtit in hac diſtractione tempore recitationis, re ipſa non implet præceptum, quemadmodum non impleret præceptum confeſſionis annuæ per confeſſionem ſacrilegam.* Sicut enim, qui confitetur ſacrilege, facit confeſſionem voluntarie nullam, ſic qui animo voluntarie diſtracto horas canonicas recitat, ſuæ obligationi non ſatisfacit, præceptum de recitando divino Officio non adimplet, ac proinde idem eſt, ac ſi prorſus actum non poneret.

CASUS XXVI. Arnaldus diaconus itinerans perdidit ſua culpa Breviarium, & quidem in regione, in qua ſibi aliud comparare non poteſt.. Peccatne mortaliter omittendo recitationem divini Officii?

℞. Indubitatum eſt, quod ſi peccaverit in cauſa, eo ipſo etiam peccet in effectu. Hinc ſi fors advertenter dimiſit Breviarium ea intentione, ut deinceps non teneretur illud recitare, peccavit mortaliter non ſolum dimittendo, ſed etiam toties peccat mortaliter, quoties ejuſdem recitationem omittit, niſi cauſam omiſſionis per ſeriam pœnitentiam revocaverit. Si vero ex mera inadvertentia, incuria aut oblivione amiſit Breviarium. tunc omiſſio recitationis tale eſt peccatum, quale eſt ipſa amiſſio; ſi inadvertentia non eſt peccaminoſa, nec peccaminoſa erit omiſſio recitationis; ſi autem illa inadvertentia eſt venialiter peccaminoſa, etiam veniale peccatum erit omiſſio recitationis. Sylveſter tamen vult, ut in tali caſu omiſſio Breviarii ſuppleatur per alias preces. Sic ait V. *Hora*. q. 4. *Modo ſuppleant per pſalmos vel Pater noſter & hujuſmodi. Sed circa iſtam ſuppletionem non oportet multum eſſe ſcrupuloſum; quia conſurgit ex naturali lege potius, quam Eccleſiæ præcepto, ut recompenſetur benefactoribus; quod etiam per minimam orationem fieri poteſt, cum præponderet omnibus theſauris, ſicut ſpirituale temporalibus. Pontas.*

CASUS XXVII. Albanus ſacerdos fere ſemper ſolus recitat Breviarium, & voce adeo ſubmiſſa, ut ſe ipſum non audiat. Satisfacitne coram Deo obligationi ſuæ?

℞. Si habeat attentionem ſufficientem & requiſitam ad horas dicendas, eaſdemque recitet non mente ſolum, ſed etiam ore, diſtincte articulando ac pronunciendo ſingula verba, ſatisfacit ſuæ obligationi. *Nullo jure probatur*, inquit Navarrus Man. de orat. & hor. can. c. 20. n. 14. *recitantem horas teneri ad ſe audiendum; cum præceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum horas.* His tamen non obſtantibus fatendum, hunc modum recitandi horas canonicas non eſſe conſulendum, aut in praxin deducendum; quia conformius ſit ad mentem Eccleſiæ, & utilius precanti,

niſi ſit ſurdus, ſi altiori voce recitet Breviarium, ut ſe poſſit audire; eo quod concurrente viſu & ſimul auditu facilius percipiatur ſenſus verborum, quæ pronunciantur. *Pontas.*

Nota. Modus orandi ſubmiſſa voce non nullis potius conſulendus videtur, quam vituperandus; cum attentio, alioquin diviſa in ſonum verborum, ſic longe magis ſit collecta ad Deum, quem adorare oportet in ſpiritu & veritate. Sola oratio & attentio vocalis pertinet ad ſuperſtitionem ethnicam.

CASUS XXVIII. Sebaſtianus parochus quotidie recitat Matutinum & Laudes circa horam quartam vel quintam pomeridianam pro die ſequenti, ut ſic maturius poſſit altera die celebrare miſſam, & commodius vacare ſuis functionibus. Peccatne ſaltem venialiter ſic anticipando?

℞. Nullum prorſus peccatum. Ratio eſt; quia, ut D. Thomas ait Quodl. 5. art. 28. C. & in argum. Sed contra. *Deus clementior eſt quolibet homine. Sed homo non imputat debitori in culpam, ſi debitum ſibi reddat ante tempus. Ergo multo minus Deus. Pontas.*

Nota. Ratio præcipua conſuetudinis anticipandi Matutinum & Laudes, quæ jam univerſim introducta ac tolerata vim legis permittentis obtinuit, eſt; quod dies eccleſiaſticus jam incipiat a primis veſperis.

CASUS XXIX. Quintinus presbyter aſſuetus recitare Matutinum hora ſexta veſpertina pro die ſequenti ſemel ex mera oblivione illud omiſit, & hujus omiſſionis primum recordatus eſt poſt biduum. Num peccavit?

℞. Omnino non peccavit; quia oblivio & ignorantia invincibilis ſunt ejusdem rationis; ignorantia autem invincibilis excuſat ab omni peccato. Si tamen Quintinus jam ſæpius hujus obligationis fuiſſet oblitus, majorem teneretur adhibere curam, ne denuo per inadvertentiam excidat, v. g. ponendo aliquod ſignum paractæ aut non peractæ orationis; alioquin omiſſio demum fieret culpabilis; & quamvis excuſaret a tanto, non tamen excuſaret a toto. *Pontas.*

Nota. Qui pro examine veſpertino quotidiano & hunc articulum diſcutiendum ſibi præſtituit, utrum hodie omnibus obligationibus ſuis de præcepto, & quomodo ſatisfecerit, maxime penſo canonico, haud facile obliviſcetur objecti ſui primarii, quod eſt laus Dei.

CASUS XXX. Epimachus presbyter vel ex inadvertentia vel præmeditate recitavit aliud Officium ab eo, quod occurrebat eo die. Peccavitne? Num tenetur adhuc recitare Officium pro illo die præſcriptum, dum de hoc errore ſuo

non

non cogitavit, aut nullum ſibi movit ſcrupulum, niſi primum hora decima nocturna?

℟. Dicunt quidam authores, peccari tantum venialiter, ſi recitetur Officium aliud a præſcripto. Alii exiſtimant, ne quidem venialiter peccari, ſi adſit cauſa legitima. Quidquid ſit de hac varietate opinionum, dicendum, eum certe peccare mortaliter, qui ex intentione abbreviandi Officium, vel alia ſimili, aut ex notabili negligentia recitat aliud, ac præſcriptum eſt; quia hæc licentia immutandi Officium tenderet ad deſtruendam uniformitatem, quam Eccleſia vult obſervari, quantum fieri poteſt. *Non enim*, inquit S. Antoninus 3. part. Summ. Theol. tit. 13. c. 4. §. 5. *ex hoc videtur evadere grave peccatum, qui ad libitum ſuum ſine cauſa rationabili mutat conſuetum Officium.* Eccleſia non præcipit recitari Officium qualecumque, ſed illud determinat per Rubricas, & ipſum ordinem feſtorum in Breviario; quod proin ſi non perſolvatur, non ſatisfit præcepto Eccleſiæ. Limitanda tamen hæc reſponſio cum Navarro, & dicendum, talem mutationem, poſito quod Officia non ſint notabiliter diverſa, non eſſe peccatum mortale, niſi frequenter fiat. Sic habet Man. de orat. & hor. can. c. 19. n. 217. *Recitare interdum ex alio Breviario, vel ex ſuo de Sancto, cum deberet recitari de feria vel contra, ſponte, ſine ulla cauſa. eſt peccatum, ſed non mortale, modo citra contemptum legis, & adeo raro fiat, ut viro prudenti ac docto non videatur notabilis audacia... quia hujusmodi mutatio tam rara non videtur ita notabiliter contraire menti inſtitutoris Breviarii, ut ad culpam mortalem perveniat.* Addo, non eſſe repetendum Officium, ſi ex inadvertentia unum dictum fuerit pro alio, maxime ſi hoc ab illo non fuerit notabiliter diverſum. Si autem ſtudioſe dictum fuiſſet aliud Officium, & quidem notabiliter diverſum, illud omnino deberet repeti, etiam hora decima noctis; quia adhuc urget præceptum, & ſuppetit tempus illud adimplendi. Hinc Alexander VII. damnavit, ac ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda & Sedi Apoſtolicæ reſervata in praxin deduci vetuit hanc propoſitionem: *In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto. Pontas.*

CASUS XXXI. Arnulphus parochus in diœceſi Lugdunenſi ſemper hucusque recitavit Breviarium juxta morem Romanum. Teneturne ſub pœna peccati ſe conformare conſuetudini ſuæ diæceſis?

℟. Tenetur recitare Officium juxta morem diœceſis Lugdunenſis, cum ſit membrum hujus eccleſiæ ex eo tempore, quo adiit poſſeſſionem ſuæ parochiæ. Sacerdos tamen, qui

nec Beneficium habet, nec eſt adſcriptus ſervitio alicujus eccleſiæ particularis, poteſt pro libitu dicere Officium vel Romanum vel diœceſanum. *Pontas.*

CASUS XXXII. Eucherius potiori tempore Pariſiis commorans, in diœceſi Bleſenſi ſimplicem poſſidet Prioratum. Teneturne dicere Breviarium in illa diœceſi uſitatum?

℟. Non tenetur; ſed recitandum ipſi eſt Breviarum juxta conſuetudinem diœceſis Pariſienſis, in qua degit. Ratio eſt; quia leges diœceſanæ, conſtitutiones ac conſuetudines non obligant extra limites territorii diœceſani. Itaque ne omnino Eucherius quoad hoc careat omni lege, adſtringendus eſt ad leges loci, in quo moratur. Aliud dicendum foret, ſi tantum moraretur Pariſiis exiguo tempore, & quaſi tranſiens; quia in tali caſu non aquireret quaſi domicilium in diœceſi Pariſienſi, ut hujus Epiſcopo ſubiiceretur. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Sigebertus diœceſis Auguſtodunenſis presbyter, ſed Canonicus in quadam eccleſia collegiata Antiſiodorenſi, aliis in choro cantantibus Breviarium Antiſiodorenſe, privatim recitat ſemper Auguſtodunenſe a priori valde diverſam; & propterea non curat attendere ad Officium publicum, & quandoque notabilem ejusdem partem omittit absque ſcrupulo. An peccat?

℟. Peccat graviter 1. quia agit contra conſuetudinem Eccleſiæ, cujus membrum exiſtit, & violat uniformitatem divini Officii nunquam non ab eccleſiis maximi habitam. *Convenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri.* Can. *Convenit.* 13. de conſecr. diſt. 5. *Pontas.*

CASUS XXXIV Menander ſubdiaconus diœceſis Atrebatenſis ſtudiorum theologicorum cauſa per triennium commoraturus eſt Pariſiis, animo iisdem finitis in Patriam redeundi. Poteſtne Pariſiis ſemper recitare Breviarium juxta conſuetudinem ſuæ diœceſis?

℟. Regula rationi conformior ſimulque tutior eſt, ut quis ſe conformet eccleſiæ, in qua actu commoratur, faciatque, quod ibidem uſitatum eſt. *Nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano*, ait S. Auguſtinus Ep. 54. alias 118. n. 2. *quam ut eo modo agat, quo agere viderit eccleſiam, ad quamcumque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt.* Et hinc Menander quoad Officium divinum ſequi debet conſuetudinem eccleſiæ Pariſienſis, ſicut etiam quoad feſta & jejunia. Ex hoc vice verſa inferri debet, quod Clericus tranſiens per alienam diœceſin, etiamſi in quadam eccle-

ſia

ſia adſtiterit uni vel pluribus horis Officii divini differentis a ſuo, & ſuæ propriæ diœceſis, non ſatisfaciat, ſed teneatur eas horas privatim repetere congruenter ad Officium, quod in ſua diœceſi occurrebat; eo quod tantum tranſeundo & ad breve tempus in hac aliena diœceſi commoretur, & conſequenter receptæ in ea conſuetudini ſeſe conformare non poſſit. *Pontas.*

CASUS XXXV. Manilius ſacerdos vix unquam genuflexus recitat ſuum Officium, ſed ſedendo aut deambulando, vel ſtando. Peccatne?

℟. Quamvis conveniat pietati orare flexis genibus; eo quod hæc corporis compoſitio ſpiret majorem humiliationem & reverentiam erga Deum; id tamen non cadit ſub præcepto, dummodo ſtans, ſedens aut deambulans intus in mente ſervet debitam attentionem ac devotionem. Ipſamet Eccleſia in Officio publico utitur hoc triplici ſitu corporis, videlicet ſtatione, ſeſſione & genuflexione. *Pontas.*

CASUS XXXVI. Jacobus proviſus aliquo Prioratu a ſuo Epiſcopo, & Joannes eodem Beneficio proviſus in Curia Romana, tribus vel quatuor abhinc menſibus in judicio contendunt ſuper hoc Prioratu, cujus uterque juxta formam conſuetam poſſeſſionem arripuit titulo Beneficii. Teneturne ambo ad Breviarium usque ad finem litis?

℟. Si jus amborum revera eſt dubium, neuter obligatur ad Officium Breviarii titulo Beneficii. Nec obſtat capta poſſeſſio; quia ea non eſt tranquilla, & poteſt facile contingere, ut ille cauſa cadat, qui eſt jure potior; & hinc Beneficium inſtar vacantis haberi debet. Quod ſi vero alterutrius jus ſit certum ac manifeſtum, ita ut ille, ex cujus parte ſtat hoc jus, dubitare jam non poſſit, ſibi adjudicandum fore Beneficium, hic etiam pendente adhuc lite tenetur dicere Officium. His tamen in ſuperhabitis ille, qui percipit fructus Beneficii, obligatur præ altero ad recitationem Officii, *propter quod Beneficium eccleſiaſticum datur* juxta cap. *Quia*, fin. Lib. 1. Tit. 3. in 6. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Lævius Clericus tonſuratus habet Capellaniam, cujus redditus annui tantum ſunt 50. floreni, adeoque non ſufficientes ad honeſtam ſuſtentationem. An nihilominus obligatur ad totum Officium?

℟. Tenetur ad recitandum quotidie totum conſuetum Officium; quia obligatio recitandi Breviarium primario non fundatur in redditibus Beneficii; alioquin ſequeretur, quod, qui habet triplo majores redditus, quam ad congruam ſuſtentationem

tionem requiruntur, teneatur uno die ter recitare horas canonicas. Fundatur autem illa obligatio principaliter in aſſumptione ſtatus clericalis, quo ſe conſecrat Clericus ſervitio divino & Eccleſiæ eo modo peragendo, quem Eccleſia jam a primis ſæculis introduxit, quo videlicet quotidie redditur Deo tributum divinarum laudum & aliarum functionum clericalium. Ad hæc plura Concilia, & Pontifices obligant Beneficiatum ad recitationem Breviarii, haud diſtinguendo, an Beneficium ſit pingue vel tenue, ſub his terminis: *Quilibet habens Beneficium cum cura vel ſine cura.* Jam autem, juxta regulam juris, *ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.* *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Harduinus presbyter Beneficiatus cujuſdam eccleſiæ, in qua ab immemoriali tempore recitatur Officium juxta ritum Romanum, ſecunda Novembris non recitat Officium Defunctorum, ſed tantum de Octava omnium Sanctorum. An peccat graviter?

℟. Peccat graviter; quia ex conſuetudine Eccleſiæ Officium Defunctorum eo die cenſetur eſſe pars Officii divini obligatoria. *Officium mortuorum*, ait S. Thomas Quodl. 6. art. 8. *quandoque in Eccleſia dicitur, ſicut ordinarie pertinens ad Eccleſiæ Officium, ſicut in tota Eccleſia in die animarum dicitur Officium pro mortuis.* Sunt tamen diœceſes, in quibus præfato die præter Officium Defunctorum dicitur quoddam Officium proprium, & in talibus diœceſibus poſſet absque peccato omitti illud Defunctorum, niſi exſtet ſpeciale mandatum Epiſcopi ad hoc Officium obligans, vel conſuetudo habens vim legis. *Pontas.*

Nota. Die ſecunda Novembris præter Officium peculiare de Sancto vel de Octava etiam Officium defunctorum de præcepto eſt in tota Germania & Italia: ſolum enim Officium defunctorum, in quo deſunt horæ minores non poteſt conſtituere penſum diei canonicum.

CASUS XXXIX. Alexia monialis frequenter ſua culpa & absque licentia abeſt a choro, nec tamen privatim recitat Officium. Num peccat?

℟. Monialis vi inſtituti ſui ad chorum adſtricta, ſi abſens ſit a choro, tenetur ſub peccato mortali privatim recitare Officium; licet abſentia a choro, ſecluſis circumſtantiis peccatum conſtituentibus vel veniale vel mortale, non ſtatim peccaminoſa dici poſſit de ſe. Superiorissa quidem poteſt monialem ſubditam pro exigentia circumſtantiarum eximere a choro; circa privatam autem recitationem diſpenſare nunquam poteſt. *Fromageau.*

CA-

CASUS XL. Flavia monialis Breviarium fere ſemper recitat diſtracte. Peccatne? mortaliter vel venialiter?

℟. Quotieſcumque diſtractio eſt voluntaria, ſemper peccat. Si voluntaria hæc diſtractio extendatur per notabilem Officii divini partem, peccat etiam mortaliter. *Diſtricte præcipientes*, ait Innocentius III. Cap. *Dolentes* 9. Lib 3. Tit. 41. *in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus; ſtudioſe celebrent pariter & devote.* Voluntaria autem diſtractio non poteſt conſiſtere cum devotione. *Fromageau.*

CASUS XLI. In quadam eccleſia Cathedrali quotidie per Quadrageſimam dicitur in choro Officium *de Beata*. Daturne obligatio illud etiam extra chorum privatim recitandi?

℟. Non extat ullus canon univerſaliter receptus obligans ad publice recitandum Officium *de Beata*. Dicitur tamen hoc Officium certis diebus in quibusdam eccleſis ex conſuetudine introducta primum poſt tempora D. Bernardi, & Ordinum mendicantium inſtitutionem. Extra chorum autem non datur obligatio illud recitandi. *Fromageau.*

CASUS XLII. Officium *de Beata* fuit introductum in quadam eccleſia una cum diſtributionibus pro aſſiſtentibus huic Officio. Cogitant autem Canonici illud abrogare, & tamen diſtributiones aſſignatas æqualiter inter ſe partiri. Num licite?

℟. Officium jugiter continuandum eſt, nec citra injuſtitiam abrogari poteſt vel ex toto vel ex parte; nec abſentes ab hoc Officio poſſunt participare ex diſtributionibus, & contraria conſuetudo foret abuſus omnino tollendus. Hæc obligatio continuandi Officium multo fortior evadit, quando originem habet ab aliquo Concilio provinciali, illud expreſſe injungente eccleſiis ſuæ provinciæ. *De Lamet.*

CASUS XLIII. Pirminius collegiatæ cujusdam eccleſiæ Decanus, alio Breviario utitur, ſcilicet Romano, licet peculiare in diœceſi receptum ſit; ſicque etſi in choro præſens, aliis cantantibus Matutinum & Laudes, jam horas minores privatim recitat. Licitene?

℟. Indubitato peccat; & quidem eo gravius, quo magis obligatur, ut caput reliquorum Canonicorum, iis prælucere bono exemplo, cum iis pſallere ac cantare, quod fieri non poteſt, niſi idem cum ipſis recitet Officium, juxta conſuetudinem ſcilicet ac praxin ſuæ eccleſiæ. *De Lamet.*

CASUS XLIV. Coriander ſacerdos plerumque dicit Veſperas & Completorium, dum ad nocturnam quietem compoſiturus ſeſe veſtes exuit. Num peccat graviter?

℟.

℞. Non peccat graviter. Nam licet peccati gravis reus cenſendus ſit, qui notabilem divini Officii partem recitat diſtractus in illis externis actionibus, quæ neceſſariam attentionem omnino excludunt, ut ſunt ſcribere, pingere, & ſimilia: hoc tamen dicendum non eſt, quando res & actiones externæ debitam non impediunt reverentiam & attentionem, ut eſt veſtes exuere, lavare manus, & hujusmodi: ſecus neque preces dicendæ a ſacerdotibus, dum manus lavant, & ſacris paramentis ſeſe induunt pro Sacro dicendo, congrue in Miſſali præſcriberentur. C. B.

Nota. Adductum exemplum omnino non eſt ad rem: præter hoc enim, quod Rubrica præſcribens certas preces ſacerdoti ſacras veſtes induenti, communiter ſolum habeatur pro directiva, recitatio autem Officii divini ſit de rigoroſo præcepto; etiam preces illæ ſunt adeo breves, & actionem comitantur adeo ſanctam, ut nulla prorſus deduci poſſit conſequentia relate ad Officium reſpective prolixum & ſtricte præceptum, ut ſunt Veſperæ & Completorium. Ad hæc depoſitio veſtium ordinata ad quietem nocturnam non diſponit ratione ſui ad internam attentionem, quæ ad orationem requiritur, prout tamen diſponunt actiones myſticæ præparatoriæ ad miſſam. Hinc certum eſt, quod Coriander ſaltem peccet venialiter. Imo conſuetudo ſic faciendi longo tempore eſt peccatum mortale.

CASUS XLV. Hundius Capellanus ex obitu matris ſuæ ſummo dolore affectus dubitat, an eo die teneatur recitare Breviarium. Quid ipſi reſpondendum?

℞. Omnino tenetur: ſicut enim ab Officii divini recitatione non excuſatur corpore infirmus, quando absque gravi incommodo, & corporalis detrimenti periculo illud recitare poteſt, ita non excuſat mœror animi, & quidem multo minus; cum exercitium orationis multo magis conferat ad leniendum quam irritandum dolorem animi. C. B.

CASUS XLVI. Kilianus ſacerdos ordinarie recitat horas canonicas in loco, in quo plurimarum diſtractionum occaſionibus expoſitus eſt. Satisfacitne præcepto?

℞. Non ſatisfacit, ſi diſtractiones hæ attentionem & devotionem neceſſariam ipſi per notabilem divini Officii partem auferunt. Ratio eſt; quia talis, qui orationis gratia voluntarie eligit locum diſtractionibus undique patentem, revera vult eſſe diſtractus; ac proin parum curæ ſibi habet ſatisfacere præcepto Eccleſiæ. Quando autem diſtractiones iſtæ non adeo ſunt diuturnæ in animo orantis, nec multum præjudicant attentioni internæ, peccatum ipſius erit veniale; verum præcepto erit ſatisfactum. C. B.

CASUS XLVII. Alcuinus ſacerdos Lugduni habitans, ubi in craſtinum recitandum occurrit Officium de feria, ſequenti die iter facturus eſt Viennam Allobrogum, ubi recitandum eſt Officium de aliquo ſancto ſub ritu duplici. Poteſtne pridie ſui itineris dicere Veſperas & Matutinum de illo Sancto ?

℟. Poteſt, ſed neutiquam obligatur. Ratio eſt; quia, cum die craſtina jam futurus ſit Viennæ, poteſt, ſed citra obligationem, ſeſe pro illa die conformare conſuetudini eccleſiæ Viennenſis. Jam vero cum Officium veſpertinum ſit pars Officii diei ſequentis, videtur, quod poſſit anticipare tempus, & uti privilegio ſacerdotum illius loci, ad quem die craſtina acceſſurus eſt; maxime cum ibi diei Officium completurus ſit. C. B.

CASUS XLVIII. Pembus ſacerdos quærit, an teneatur ad horas canonicas illis diebus, quibus febri quartana vexatur. Quid reſpondendum ?

℟. Vel febris relinquit ægro tantum temporis & virium, ut poſſit abſque notabili ſuo incommodo explere Officium ſuum ex toto vel ex parte, an vero non? In primo caſu tenetur ad totum Officium, vel ad partem illius, juxta proportionem ſcilicet temporis ac virium, quas habet. In ſecundo caſu ad nihil tenetur. Communiſſima Doctorum ſententia eſt, taliter ægrotantem, ſi mane ſentiat, ſe ſat habere virium ac vigoris ad recitandum integrum Breviarium, obligari etiam ad dicendas mane Veſperas & Completorium, ſuppoſito, quod prævideat, id ſibi per morbum tempore pomeridiano haud poſſibile futurum. In dubio, an teneatur, Pembus conſulat virum pium ac prudentem; & ſi hic nil audeat decidere, infirmus poteſt deponere ſuum dubium ac credere, ſe eſſe diſpenſatum. C. B.

Nota. Circa ejusmodi leges humanas relate ad bonum publicum in quibusdam circumſtantiis v. g. gravis ægritudinis, neceſſariæ occupationis ratione ſtatus aut vocationis indifferentes, videtur quemque licite ſequi poſſe ſententiam æque probabilem in favorem libertatis.

Vide *Beneficatus*. *Breviarium*. *Canonicus*. *Pœnitentia ſacramentalis*. *Penſio*.

OPINIO.

1. *Opinio* juxta Polmanum eſt *actus intellectus adhærentis objecto æſtimato vero cum formidine de oppoſito*.

2. Dantur opiniones vere probabiles, eo quod nitantur rationibus ſolidis; & aliæ haud ſufficienter probabiles, eo quod non ſint fundatæ in rationibus ſat firmis. Inter ejusmodi opiniones aliquæ ſunt plus minusve probabiles; prout nempe rationes, in quibus fundantur, plus minusve ſunt ſolidæ. Sunt denique opiniones, quæ, licet minus probabiles, tutiores nihilominus ſunt pro conſcientia.

3. Diſtinguendæ ſunt duæ probabilitatis ſpecies, *extrinſecæ* ſcilicet & *intrinſecæ*, quarum explicatio in reſponſione ad caſum reperietur.

4. Non erit hic ſermo de aliis regulis probabiliſmum reſpicientibus; cum hæc materia ſit confuſiſſima & plena difficultatibus ob varietatem, imo etiam contrarietatem principiorum, quibus doctrinam ſuam ſuperſtruunt Authores ea de re ſcribentes; quorum aliqui nimium urgent rigorem, alii vero ad nimiam inclinant laxitatem, qua deſtruuntur principia ſolidiſſima doctrinæ moralis. Ad evitandum utrumque ſcopulum ſolum hic afferentur principia ac veritates adeo convincentes, ut nemo virorum doctorum ac prudentum eas rationabiliter in dubium vocare poſſit. Veritates hæ deſumuntur ex declaratione Conventus generalis Cleri Gallicani, qui anno 1700. præter alias damnavit ſequentes undecim propoſitiones circa materiam probabilitatis; alias ut falſas, temerarias, pernicioſas, & ſcandaloſas; alias ut viam ſternentes ad infinitos modos corrumpendi bonos mores; alias tanquam injurioſas ac contumelioſas antiquis Doctoribus, ex Theologia morali ſcientiam arbitrariam facientes in contemtum Scripturæ ac Traditionis, ac introducentes doctrinam humanam contra prohibitionem Jeſu Chriſti; alias denique ut deſtructivas veritatum evangelicarum, & erroneas, ut ex adjectis cenſuris patebit.

PROPOSITIO I. Puto, omnia eſſe hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipue in morali, libentius juniores quam antiquiores lego & ſequor ... Doctrina fidei a veteribus, doctrina morum magis a junioribus petenda, CENSURA: *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, ſanctis Patribus & antiquis Doctoribus contumelioſa; ſpreta in moribus Chriſtianorum componendis neceſſaria Scripturarum ac Traditionis authoritate & interpretatione moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones & doctrinas, Chriſto prohibente ſtabiliendas.*

PRO-

PROPOSITIO II. Ex authoritate unius tantum poteſt quis opinionem in praxi amplecti, licet a principiis intrinſecis falſam & improbabilem exiſtimet.

PROPOSITIO III. Hæc propoſitio, *ſexdecim ad probabilitatem requiruntur*, non eſt probabilis. Si ſufficiunt ſexdecim, ſufficiunt quatuor. Si ſufficiunt quatuor, ſufficit unus .... Ad probabilitatem ſufficiunt quatuor, ſed quatuor, imo viginti & ſupra teſtantur, unum ſufficere; ergo ſufficit unus. CENSURA: *Iſtæ propoſitiones falſæ ſunt, ſcandaloſæ, perniciosæ; ſpreta veritate quæſtiones morum ad numerum authorum exigunt, & innumeris corruptelis viam aperiunt.*

PROPOSITIO IV. Si liber ſit alicujus junioris ac moderni, debet opinio cenſeri probabilis; dum non conſtet, rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

PROPOSITIO V. Non ſunt ſcandaloſæ aut erroneæ opiniones, quas Eccleſia non corrigit. CENSURA: *Hæ propoſitiones, quatenus ſilentium & tolerantiam pro Eccleſiæ, vel Sedis Apoſtolicæ approbatione ſtatuunt, falſæ ſunt, ſcandaloſæ, ſaluti animarum noxiæ; patrocinantur peſſimis opinionibus, quæ identidem temere obtruduntur, atque ad evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam viam parant.*

PROPOSITIO VI. Generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. CENSURA: *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, perniciosa, novam morum regulam, novumque prudentiæ genus, nullo Scripturarum aut Traditionis fundamento, cum magno animarum periculo ſtatuit.*

PROPOSITIO VII. Si quis vult ſibi conſuli ſecundum eam opinionem, quæ ſit faventiſſima, peccat, qui non ſecundum eam conſulit. CENSURA: *Hæc propoſitio, quæ docet planda & adulatoria conſilia, & contra jus exquirere, & contra conſcientiam dare, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & in praxi perniciosa, viamque deceptionis aperit.*

PROPOSITIO VIII. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis ſacerdotalis aut epiſcopalis.

PROPOSITIO IX. Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

PROPOSITIO X. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

PROPOSITIO XI. In morte mortaliter non peccas, ſi cum attritione tantum Sacramentum ſuſcipias; quamvis actum contritionis tunc omittas libere; licet enim unicuique ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori. CENSURA: *Doctrina his propoſitionibus contenta eſt reſpective falſa, pernicioſa, erronea, probabilitatis peſſimus fructus.*

Nota. Plures harum propoſitionum jam prius damnatæ fuerunt ab Alexandro VII. & Innocentio XI.

5. Hiſce principiis inſiſtere debet quivis, ne a tramite veritatis, quem ingredi cupit, aberret. Sequens caſus continet tres majoris momenti difficultates, cæteriſque frequentius hac in materia recurrentes.

CASUS. Sylvanus circa materiam probabilitatis legit plures Authores, qui defendunt 1. Quod quilibet abſque peccato ſemper ſequi poſſit opinionem probabilem, licet fortaſſis non ſit tuta. 2. Quod quis in conſcientia eandem ſequi poſſit etiam in concurrentia alterius opinionis probabilioris. 3. Quod inter duas opiniones æqualiter probabiles ſequi liceat utramlibet. Poteſtne Sylvanus abſque peccandi periculo in praxi ſe conformare huic doctrinæ?

℟. D. Thomas Opuſc. 39. *de Fallaciis*. c. 2. ex Ariſtotele probabilitatem definiens ait: *Probabilia autem dicuntur, quæ videntur omnibus, vel pluribus ſapientibus, aut omnibus, vel præcipuis, & maxime notis.* Sed Theologi probabilitatem, in quantum refertur ad Theologiam ac doctrinam moralem, propius definiunt dicendo, quod opinio probabilis ſit *judicium de bonitate vel malitia actus nixum motivis apparenter ſolidis ac potentibus movere viros prudentes ac pios ad aſſenſum, cum formidine tamen oppoſiti.* Differt conſcientia probabilis a conſcientia, quæ vocatur *recta* in eo, quod hæc fundetur in principio certo & veritati conſono; cum illa duntaxat fundetur in principio, ex quo falſum æque ac verum deduci poteſt: ſic ex hoc principio: *Mater diligit filium ſuum*, deduci poteſt falſa hæc concluſio: Ergo Medea dilexit liberos ſuos. Ejuſmodi quoque principia ſunt hæc: *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.* vel *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* aut *Qui tacet, conſentire videtur.* Conſcientia probabilis differt ab *erronea* in hoc, quod conſcientia erronea nitatur principio falſo, quod non eſt conforme legi: ejuſmodi principia ſunt v. g. *Omnis ignorantia excuſat a peccato.* vel *Fide theologica credenda non ſunt, niſi quæ ſunt eviden-*

evidentia. Differt etiam a conſcientia *dubia ;* quia per conſcientiam dubiam ſolum quis judicat : eſſe periculum peccati faciendo rem vel omitendo, abſque majori inclinatione in affirmativam quam in negativam : ſic qui nullam prorſus habet rationem judicandi, hunc contractum eſſe uſurarium ; aut qui habet rationem, judicandi, non eſſe uſurarium, eodem tempore habet rationem, quæ tamen ipſi non videtur ſolida, judicandi, quod ſit uſurarius, habet conſcientiam dubiam de juſtitia vel injuſtitia hujus contractus, unde ſuſpendit ſuum judicium. Differt denique conſcientia probabilis a *ſcrupuloſa*, quæ eſt judicium fundatum in principiis tantum inanibus ac frivolis, ut ſi v. g. quis timeret ſe peccare die Dominica pulſando campanas ex eo, quod ſit opus manuale & labor ſervilis ; idemque timeret non pulſando, quia Superior juſſit pulſari ſecundum conſuetudinem. Poteſt quis amplecti opinionem ob authoritates non infallibiles, aut ob rationes ex ipſa natura rei petitas ; unde deſumitur probabilitas extrinſeca & intrinſeca. Probabilitas *extrinſeca* non excuſat a peccato errantem vincibiliter in rebus fidei & morum : *Diverſæ opiniones Doctorum ſacræ Scripturæ*, inquit S. Thomas; Quodl. 3. q. 4. art. 10. *ſiquidem non pertineant ad fidem & bonos mores, abſque periculo auditores utramque opinionem ſequi poſſunt. Tunc enim habet locum, quod Apoſtolus dicit ad Rom.* 14. *UNUSQUISQUE IN SUO SENSU ABUNDET. In his vero, quæ pertinent ad fidem & bonos mores nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus magiſtri : in talibus enim ignorantia non excuſat. Alioquin immunes a peccato fuiſſent, qui ſecuti ſunt opinionem Arii, Neſtorii & aliorum hæreſiarcharum.* Probabilitas *intrinſeca* eſt, quæ fundatur in ratione probabili animum movente ad aſſenſum ſpeculativum circa veritatem objecti ſecundum ſe ſeorſim ſpectatam ; & neque hæc poteſt a peccato excuſare, qui juxta talem conſcientiam operatur circa ea, quæ ſalutem animæ æternam concernunt, quando rationes oppoſitæ ſive ab authoritate ſive a ratione ſumantur, agnoſcuntur eſſe evidenter probabiliores ; cum Scriptura in hoc caſu probabilitatem intrinſecam & extrinſecam condemnet. Sic dicitur Prov. 14. v. 12. *Eſt via, quæ videtur homini juſta ; noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Et Matth. 15. v. 14. *Sinite illos : cæci ſunt ; & duces cæcorum : cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Hiſce principiis inſiſtere debet Sylvanus, ne ex lectione præfatorum authorum in errorem deducatur. *Pontas.*

Nota. 1. In concurſu duarum opinionum forte æqualiter probabilium licet ſequi utramlibet. Ratio eſt; quia divina providentia tenetur ſuas leges ſic promulgare, ut ſaltem earum exiſtentia poſſit fieri viro prudenti credibilior. Ergo ſi exiſtentia alicujus legis non videtur maniſeſte credibilior ſeu probabilior, non eſt præſumendum, quod detur; imo erit moraliter certum, non dari legem; & eo ipſo non tenemur eam ſequi. 2. Quando una opinio eſt notabiliter probabilior oppoſita, maxime cum hæc inſuper minus tuta eſt, tenemur indubitato ſequi probabiliorem. Ratio eſt; quia divina providentia tenetur & ſolet exiſtentiam legum ſuarum reddere credibiliorem non ipſa, nec tenetur aut ſolet illam reddere ſtricte moraliter certam. Ergo ubi datur notabiliter major probabilitas; eo ipſo datur character legis, & certitudo moralis late dicta de exiſtentia legis. Ubi autem datur moralis certitudo de exiſtentia legis, tenemur eam ſequi.

ORATIO.

1. *Orare* idem eſt, ac exponere Deo proprias ſuas neceſſitates, aut proximi, cum intentione ac deſiderio obtinendi per Jeſum Chriſtum ab infinita bonitate ipſius auxilia, quæ poſtulamus. Dicitur: *exponere Deo* neceſſitates ſuas; quia omnis oratio debet neceſſario dirigi ad Deum, ſive immediate, ſive mediate per interceſſionem juſtorum aut Sanctorum. Hinc juxta S. Auguſtinum oratio eſt *locutio ad Deum*. Additur: *cum deſiderio obtinendi*, ſcilicet efficaci ac conjuncto cum diligenti uſu omnium mediorum neceſſariorum ad impetrandum effectum.

2. Tres diſtinguuntur orationis ſpecies, quæ non niſi in modo differunt, quo ad Deum diriguntur: ſunt enim orationes *publicæ*, quæ ab Eccleſiæ miniſtris fiunt publice in templis, aliiſque locis ſpecialiter ad orationem deputatis. Item orationes *privatæ*, quas quilibet privatim & ſolus perſolvit. Denique oratio vel eſt vocalis vel mentalis. *Vocalis* nunquam meretur nomen veræ orationis, niſi dum cor & verba, quæ proferuntur, conſpirant. *Mentalis* eſt elevatio ſpiritus & cordis ad Deum, a quo interno affectu petimus auxilia illa, quibus indigemus.

3. Quæcunque oratio ad hoc, ut ſit utilis oranti & Deo accepta, debet eſſe conjuncta cum debita attentione, vel actuali vel virtuali ſaltem, ſemperque dirigi ad Deum in nomine & per merita Jeſu Chriſti. Non eſt abſolute neceſſarius ſtatus actualis gratiæ ad hoc, ut utilis ſit oratio, & accepta Deo: debemus enim nunquam non orare in ſpiritu humilitatis & in animo contrito. *S. Auguſtinus* docet, utiliter poſſe nos orare quocunque ſitu corporis, vel jacendo, vel genua flectendo, ſedendo, aut ſtando.

CA-

CASUS I. Malchio ſacerdos miſſionarius in quadam inſtructione tractans de orationis neceſſitate, docuit eandem in pluribus occaſionibus eſſe de præcepto divino; rogatus, ut caſus illos exponeret, nihil quod ad rem erat, reſpondit. Verane eſt ipſius propoſitio? & in quibusnam caſibus poteſt defendi, neceſſariam eſſe orationem neceſſitate præcepti divini?

℞. Propoſitio hæc Malchionis eſt certiſſima ac vera; invictum aſſertionis hujus argumentum ſunt verba illa Chriſti: *petite & dabitur vobis &c.* Fundatur hæc neceſſitas in extrema indigentia divinæ gratiæ, quam ſolus Deus poteſt nobis largiri. Præcipuæ occaſiones implendi hoc a Deo nobis injunctum orandi præceptum ſunt 1. Dum inſtat morbus, afflictio vel perſecutio. 2. Calamitates publicæ. 3. Violenta aliqua tentatio. 4. Extrema neceſſitas vel periculum ſalutis proximi. 5. Dum verſamur in periculo vitæ. 6. Quando adeſt occaſio audendi magnum aliquid pro gloria Dei, bono Eccleſiæ vel religionis. 7. Quando verſamur in ſtatu peccati mortalis. *Pontas.*

CASUS II. Jodoco novello ſacerdoti, dum ſacrum facit, adeo non ſufficit recitare Canonem miſſæ, qualis in Miſſali Romano exhibetur, ut eidem etiam immiſceat preces privatas, quas ad Deum fundit, eliciendo actus fidei, ſpei & charitatis, contritionis, bonorum propoſitorum &c. interdum etiam ad B. Virginem & ad Sanctos oratione ſua converſa; poſtmodum proſequitur Canonem, quem ſemel & iterum taliter orando interrumpit. An non intempeſtivæ ſunt hujusmodi preces? nonne male regulata & damnabilis eſt hæc Jodoci devotio?

℞. Non poſſunt excuſari talia devotionis privatæ exercitia: non licet celebranti quidpiam addere ad Canonem Miſſæ, ſi *Memento* excipias. Quid quod etiam ſacerdos toties & ſine neceſſitate interrumpens Canonem miſſæ, notabiliter ſe diſtrahat ab attentione, quam debet habere ad ſenſum verborum, quæ profert, & ab applicatione ad SS. Miſſæ ſacrificium. Accedit, quod talis orandi modus conſuetudini generali hactenus univerſaliter in Eccleſia obſervatæ plane contrarius ſit. *Pontas.*

CASUS III. *Ferrandus* ſatis modicam domi ſuæ ſubſtantiam poſſidens, ad pinguiorem fortunam aſpirat, ut commodius lucundiusque impoſterum vivere poſſit; quare ſæpius in orationibus ſuis Deum pro amplioribus bonis impetrandis interpellat. Peccatne hujusmodi oratione?

℞. Quando *Ferrandus* pro fine ac ſcopo orationis ſuæ habet ſolam majorem commoditatem ſuam temporalem & propriam ſatisfactionem, peccat hac ſua oratione, de qua dici nequit, quod ſit *aſcenſus mentis in Deum*, ut loquitur *S. Thomas.* 2. 2. *q.* 83. *art.* 17. *C.* Pro eo, ut ad Deum ſeſe elevet, inclinat ſe & abjicit, deſiderando & petendo, quod eſt infra Deum, nec eſſe poteſt finis ipſius principalis & vera felicitas. Juxta Doctorem Angelicum *loc. tit.* fideles non alio intuitu a Deo debent petere bona temporalia, niſi in quantum ſunt adjumenta & media obtinendi bona æterna. *Quare tu invocas Deum*, inquit S. Auguſtinus in pſal. 30. enarr. 4. n. 4. *Ut det mihi lucrum. Lucrum ergo invocas, non Deum. Invocas Deum, miniſtrum lucri tui facis Deum. Viluit tibi Deus.* Et in pſal. 85. n. 8. *Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia... Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum. Pontas.*

CASUS IV. Sylverius in peccatum mortale lapſus ſtatim admiſſæ noxæ pœnitentia ducitur. Cum vero contritio ipſius tantummodo ſit imperfecta, ſemperque coram Deo peccator perſeveret, poteritne accepta eſſe Deo oratio ejus?

℞. Verum eſt quidem, Deum non exaudire peccatorem in peccato ſuo perſeverare, & quaſi inſordeſcere volentem; attamen ex ſpeciali miſericordiæ ſuæ effectu exaudit eos, qui peccato ſuo ex corde renunciantes redire in gratiam deſiderant; modo oratio ipſorum quatuor has conditiones adjunctas ſibi habeat, quas D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 16. C. requirit, dicens: *Ut ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, pie, & perſeveranter.* Sylverii ergo oratio, etſi in mortali peccato conſtituti poterit eſſe accepta Deo; quia de commiſſo peccato dolet, & ſerio cum Deo in gratiam redire fatagit. Quod attinet objectionem, orationem ſcilicet debere eſſe piam, orationem autem peccatoris non poſſe eſſe piam, dicendum cum S. Thoma ibidem ad 2. quod talis oratio ſub aliqua ratione ſit pia; quia hujusmodi peccator orando petit id, quod veram pietatem attingit, nimirum remiſſionem peccatorum, & ſanctificationem ſuam. *Pontas.*

CASUS V. Theorianus Verbi miniſter apud Calvinianos nuper ad Eccleſiam Romano-catholicam converſus, videtur adhuc conſervaſſe quasdam Calviniſmi reliquias; quia, licet hæreſi ſerio renunciaverit, nunquam tamen ad B. Virginem aut ad Sanctos, ſed ad ſolum Deum per Jeſum Chriſtum preces ſuas dirigit. Confeſſario deſuper ipſi ſcrupulum moventi reſpondit, quod neceſſarium haud eſſe duceret,

ut

ut pro obtinenda venia peccatorum ac impetrandis neceſſariis gratiis ſe convertat ad Sanctos, ſed ſolummodo ad Deum; interea tamen, ſi ſibi pro pœnitentia injungerentur quædam preces ad B. Virginem vel ad Sanctos, promptiſſimum ſe fore ad obediendum. Eſtne erronea ac damnabilis hæc agendi ratio? Quid agendum confeſſarlo?

℟. Pium, bonum ac utile eſt invocare Deiparam & Sanctos cum Chriſto in cœlis regnantes, tanquam interceſſores apud Deum per merita Jeſu Chriſti: & quamvis hæc invocatio non ſit abſolute neceſſaria neceſſitate ſalutis, non tamen abſque errore condemnari poteſt. Et hæc doctrina eſt Concilii Tridentini Seſſ. 25. decr. de invoc. Sanct. quacum conſentit articulus 55. doctrinæ a ſacra Facultate Theologica Pariſienſi publicatæ: *Deiparam & Sanctos in cœlis cum Chriſto regnantes invocare tanquam interceſſores apud Deum per merita Chriſti bonum & utile eſt. Nec ejusmodi invocatio ſine errore damnari poteſt.* Hinc ſi Theorianus cultum Sanctorum non reprobet tanquam erroneum, ſemperque ſit diſpoſitus ad eosdem, ſi id præcipiatur, orationibus ſuis invocandos, non eſt inquietandus ſuper hac materia a confeſſario. *Pontas.*

Nota. Monendus tamen Theorianus, puniendum fore a Deo etiam *contemptum interpretativum* eorum, quæ morali certitudine, imo per ipſam profeſſionem fidei, & generalem praxin ac ſenſum fidelium, nec non per univerſalem experientiam ſenſuum & mentium conſtat, eſſe inſpirata, approbata, & commendata a Deo, ac diſponendus omni poſſibili modo, ut aſſumat aliquam devotionem erga Sanctos conſtantem, ne Deo pœnas luat, ſi forte lateret in animo talium devotionum contemptus, ſaltem interpretativus.

ORATORIUM, CONGREGATIO CLERICORUM.

1. Duæ dantur Congregationes *Oratorii*, Romæ una, & in quibusdam Italiæ locis, a S. Philippo Nerio inſtituta, quæ nullis regulis, ſed doctrinæ tantum morali Evangelii adſtringitur, nec alias qualescunque Regularium conſtitutiones adoptavit. Inſtituti hujus alumni nullo obligantur voto, ſed ſolo vinculo mutuæ charitatis; hunc ſpiritum tenentur perpetuo conſervare, in eoque perſervare; & ſi quispiam vellet adſtringere congregationem ad aliqua vota emittenda, omnino non audiretur, etiamſi major reliquorum numerus ab ipſius partibus & opinione ſtaret.

Romæ hæc congregatio habet domum, ei tamen non licet aliarum domorum ſuſcipere regimen; ſique alibi erigantur domicilia, illa Romano non erunt annexa ad conſtituendum unum inter ſe corpus; ſed quodlibet juxta id, quod Romæ eſt, regulatum proprio ſuo regimine & ſtare & conſervari debet, ſicque formare quaſi totidem corpora, nullo inter ſe nexu ab invicem dependentia. Tres tamen hodie Romano domicilio unitæ ſunt Familiæ, nempe Neapolitana, S. Severini, & Anxani. Reliquæ omnes ſunt independentes. Romanum Oratorium Superiorem habet, quem *Præpoſitum* vocant, quatuorque presbyteros eidem ad aſſiſtentiam datos ac deputatos. Superior habere debet annos ætatis ad minimum quadraginta, & quindecim in congregatione transactos; eligitur per pluralitatem votorum a presbyteris, qui decennium ſolidum in domo exegere. Regimen ipſius eſt tantum triennale, niſi confirmetur. Penes ipſum eſt cura temporalia adminiſtrandi. Ipſe una cum quatuor ſuis Aſſiſtentibus conſtituit Officiales domus, qui & ipſi tantum per triennium poſſunt ſtare in officiis ſuis, debentque habere annos ætatis ſaltem viginti duos, ſed pauciores quam quadraginta quinque. Exacto in Congregatione triennio cenſetur quis ejuſdem eſſe membrum; nec poteſt amplius ex illa dimitti, niſi ob culpas valde graves. In tali caſu cauſæ hujus judicium pertinet ad omnes presbyteros, qui decennium jam in Congregatione expleverunt, requirunturque in ordine ad repulſionem duæ partes tertiæ ſuffragiorum.

2. Altera Oratorii Congregatio per Galliam & etiam Belgium florens fuit inſtituta Anno 1611. a Cardinale *Berullo*. In Conventu Patrum Oratorii Pariſiis Anno 1631. celebrato, agente *P. de Gondri*, qui ſecundus Generalatum geſſit, fuit deciſum, ſtatum Clericorum Oratorii eſſe pure eccleſiaſticum; nullum ex hac congregatione poſſe ligari quovis voto, ſive ſimplici ſive ſolemni; ſeparandum hoc ipſo a corpore Congregationis eſſe, quisquis vel alium voluerit adſtringere ad emittenda vota, vel ipſemet emiſerit. Definitum inſuper fuit, ſupremam auctoritatem Congregationis reſidere in toto corpore debite ac legitime congregato, eidemque ipſum etiam Generalem eſſe ſubjectum, cujus eſt ſequi in omnibus pluralitatem ſuffragiorum, ita tamen, ut duorum votorum ferendorum ipſi jus competat. Ad continendam juſtis limitibus poteſtatem Præpoſiti Generalis, tres ipſi junguntur Aſſiſtentes; cautumque eſt, ut, qui patrimonium habent, ſtatutam quamdam penſionem ſolvant.

CA-

CASUS. Obliganturne Patres Oratorii Gallicani ſub peccati reatu ſtatutis in conventu generali congregationis ſuæ conditis?

℟. Cum ſtatuta hæc vel decreta obligent ſub peccato, quod in certis circumſtantiis etiam poteſt fieri mortale, tenentur utique accommodare ſe talibus ſtatutis. *Fromageau.*

Nota. Mirum eſt, quod Statuta hujus Congregationis, a qua excluduntur omnia vota, licet fundata in Conciliis Evangelicis, obligent ſub peccato; dum econtr. Statuta, Conſtitutiones, & ipſius Regulæ decreta in Ordinibus Religioſis credantur non obligare ſub peccato.

ORDO, SACRAMENTUM.

1. *Ordo* in genere eſt *Sacramentum, quo gratia, ſpiritualisque poteſtas confertur Clerico ad Euchariſtiam conſecrandam, muniaque ad eam ordinata rite peragenda.* Dicitur: *Clerico*, id eſt, illi, qui tonſura fuit initiatus; cum Ordo præſupponat Clericatum, & conſequenter etiam Baptiſmum. Additur: *ad Euchariſtiam conſecrandam*, quod ſolum intelligendum eſt de iis, qui Ordinem presbyteratus receperunt, ad quem omnes reliqui Ordines neceſſariam important relationem. Subjungitur denique: *muniaque ad eam ordinata rite peragenda*; quæ ſunt non ſolum functiones miniſtrorum ſacerdotibus inferiorum, ſed etiam functiones Epiſcopis propriæ, ut poteſtas ordinandi presbyteros, & alios miniſtros inferiores, conſecratio eccleſiarum, altarium &c.

2. Juxta S. Thomam ſeptem ſunt diverſi Ordines; quatuor nimirum, quos *Minores* vocant, ſuntque Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus & Acolythatus; & tres, qui *ſacri* & *Majores* dicuntur, nempe Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus. Hiſce S. Iſidorus addit Epiſcopatum, de quo jam actum eſt in articulo *Epiſcopus.* Tres poſteriores Ordines dicuntur *Sacri*; 1. Quia habent propinquiorem relationem ad SS. Euchariſtiam. 2. Quia Subdiaconi poſſunt attingere ac præparare vaſa ſacra ad conſecrationem requiſita; diaconi vero omnino adminiſtrare auguſtiſſimum Sacramentum in caſu neceſſitatis & in defectu ſacerdotis; Presbyteri denique non ſolum fidelibus miniſtrant, ſed & conſecrant SS. Euchariſtiam. 3. Quia recipientes hos Ordines penitus ſe conſecrant Deo per continentiam perpetuam, & ſeſe adſtringunt ad recitationem divini Officii, etiamſi Beneficia non poſſideant.

3. Quilibet horum ſeptem Ordinum eſt verum Sacramentum. *Oſtiariatus* pro materia ſua habet claves eccleſiæ, quas Epiſcopus ordinando tradens dicit: *Sic agito, quaſi redditurus Deo rationem &c.* *Lectoratus* materia eſt liber ſacer, & forma illa verba, quæ profert Epiſcopus tradendo librum: *Accipe, & eſto relator verbi Dei.* Materia *Exorciſtatus* eſt liber exorciſmorum, quem ex manibus Epiſcopi accipit ordinandus ſub hac forma: *Accipe, & commenda memoriæ &c.*, & *Acolythatus* materia urceoli vacui, & forma verba Epiſcopi: *Accipe urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam.* Miniſter ordinarius Sacramenti Ordinis eſt Epiſcopus.

4 Duo maxime in Sacramento Ordinis effectus diſtinguendi ſunt: primus & præcipuus eſt gratia habitualis; ſecundus eſt character animæ ordinati impreſſus, qui neceſſario ac eſſentialiter ſupponit characterem Baptiſmi & Confirmationis ex neceſſitate præcepti.

5. Functiones *Subdiaconi* ſunt juvare diaconum, eique ſervire in miniſterio ſacro; ſolemniter cantare epiſtolam in miſſis ſolemnibus; aquam affundere vino in calicem a ſacerdote in miſſa ſolemni conſecrandum; apertum tenere librum evangelii, dum illud ſolemniter cantatur a diacono, eumque exoſculandum præbere ſacerdoti celebranti; oblationes fidelium recipere; præferre crucem in proceſſionibus abſente acolytho; habere curam linteaminum & vaſorum ſacrorum ad ſacrificium miſſæ pertinentium; lavare etiam corporalia, purificatoria, & pallas.

6. Diaconi functiones ſunt miniſtrare ſacerdoti ſolemniter celebranti, quidquid ad celebrationem pertinet; cantare evangelium; inſtruere populum, & in defectu presbyteri prædicare verbum divinum cum licentia Epiſcopi; in caſu neceſſitatis ſolemniter adminiſtrare Baptiſmum; ab eccleſia expellere infideles, energumenos, excommunicatos denunciatos, interdictos, aliosque ab ingreſſu eccleſiæ prohibitos.

7. Officium *Presbyteri* eſt conſecrare corpus Jeſu Chriſti, adminiſtrare omnia Sacramenta, exceptis Confirmatione & Ordine; docere, prædicare, atque in via ſalutis dirigere fideles; benedicere aquam cum ſale diebus Dominicis, aquam baptiſmalem, cereum paſchalem, panes ſub miſſis ſolemnioribus ad altare offerendos, & reliqua omnia, quorum benedictio non eſt reſervata ſoli Epiſcopo. Reſervata autem eſt Epiſcopo benedictio Abbatum & Abbatiſſarum, Regum & Reginarum, quando ex more antiquo conſe-

erari

crari ſolent ; item conſecratio altarium ac ſacrorum oleorum, Infirmorum ſcilicet pro extrema unctione, Catechumenorum pro baptiſmo, ac Chriſmatis pro Confirmatione, præter alia quædam ; quæ tamen Epiſcopus poteſt committere presbyteris, ut ſunt benedictio ſacellorum privatorum, ornamentorum eccleſiæ ac altarium, cœmeteriorum, campanarum, linteaminum, & vexillorum militarium.

8. Absque diſpenſatione ſummi Pontificis Ordines non poſſunt recipi extra quatuor tempora, nec ante ætatem a SS. Canonibus præſcriptam.

9. Præter requiſitam ætatem etiam neceſſe eſt, ut ordinandus verum probatæ vitæ ac bonorum morum teſtimonium ſecum ferat, careatque omni impedimento canonico, ſcilicet ut non ſit bigamus, ſuſpenſus, aliisve cenſuris innodatus, aut defectu natalium laborans : ad ſacram ordinationem enim non ſunt admittendi, niſi illi, in quibus vocatis a Deo, & ab Eccleſia ſelectis, præter ſufficientem ſcientiam ac morum probitatem etiam advertitur zelus adeo purus ac ſincerus, ut prudens ſpes concipi poſſit, eos Eccleſiæ fore utiles. Ex hac ratione antiqui canones ab Ordinibus excludebant neophytos, & omnes recens ad Deum converſos ; quia Eccleſia ſecuram ſe reddere volebat de eorum perſeverantia in fide ac pietate, quod noſſe haud poterat, niſi ex pœnitentia eorum, ac ſtudio bonorum operum, quod præſeferebant.

10. Eccleſia hac præcautione ſemper uſa eſt non ſolum quoad recipiendos in ſacrum miniſterium, ſed ſummum quoque rigorem obſervavit erga jam receptos, ſacros Ordines criminibus ſuis turpiter dehoneſtantes, dum ſacri canones presbyteros hujusmodi indignos in perpetuum a miniſterio altaris excludebant, & eadem ſeveritate etiam ſubdiaconos ac diaconos delinquentes a functionibus eorum Ordinibus propriis removebant. Eccleſia quidem hodie, remiſſa non nihil antiqua ſeveritate, mitius agit ac indulgentius ; certum tamen eſt, mutata licet diſciplina, ſpiritum Eccleſiæ mutari nunquam, & ſemper eſſe eundem ; ac conſequenter pravos Clericos, ſanctitatem ſtatus ſui effrenata ac ſcandaloſa vivendi licentia conſpurcantes, qui olim a ſervitio Eccleſiæ fuiſſent expulſi, aut ſaltem per notabile tempus rigoroſe probati, hodiedum adhuc mereri, ut antiquæ ſeveritati eccleſiaſticæ ſubmittantur.

11.

11. Qui recipit Ordines, absque vera vocatione divina, quamdam ſacrilegii ſpeciem committit, uſurpando ſibi bonum, honorem ac miniſterium, quod ad ſolum Deum, Jeſum Chriſtum, & ipſius Eccleſiam pertinet; Deus enim ipſe vocat miniſtros ſuos: *Non vos me elegiſtis*, inquit Chriſtus Joan. 15. v. 16. diſcipulos ſuos alloquens, *ſed ego elegi vos.* Cui concordant illa S. Pauli verba Heb. 5. v. 4. 5. & 10. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemet ipſum clarificavit, ut Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te. Appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech.* En regulam ſummi momenti, ad quam vel maxime ſe ſe componant omnes, qui clericatum, ſtatum tam ſanctum atque ſublimem amplecti cogitant, ne evidenti in eo pereundi periculo ſe exponant, ſi optionem faciant voluntati divinæ contrariam.

12. Quatuor minores Ordines communiter ſimul ac eodem die conferuntur: licite tamen nunquam duo majores Ordines recipi poſſunt, niſi duobus diſtinctis diebus.

13. Non tantum peccat mortaliter, qui ſuſcipit Ordines ſacros ante ætatem legitimam, ſed inſuper ſuſpenſionem incurrit, in eaque perſeverat, donec ab Epiſcopo abſolvatur.

14. Abſque peccato non poſſunt recipi Ordines *per ſaltum*, id eſt, non poteſt recipi Ordo ſuperior, niſi quis prius initiatus fuerit Ordine inferiori.

15. Denique non licet recipere Ordines ab alio, quam a proprio ſuo Epiſcopo, niſi hic litteras dimiſſoriales cuipiam conceſſerit.

16. Omnes Eccleſiæ miniſtri, de quibus hucuſque dictum, ſub nomine *Clerus* veniunt, quod derivatur a Græca voce Κλῆρος, quæ idem eſt ac *Sors*, *portio*; quia Clerici omnes, nec iis etiam exceptis, qui ſimplici tonſura initiati ſunt, Jeſum Chriſtum pro ſua portione eligunt: & ideo S. Hieronymus etymologiam hujus vocis explicans Can. *Clericus* 5. 12. q. 1. ait: *Propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt.* Unde S. Ambroſius concludit, verum Clericum nunquam ſollicitum eſſe debere de rebus terrenis; eo quod Deum, qui eſt ſummum bonum, pro ſua portione habeat: *Cui portio Deus eſt*, ait Can. *Cui portio.* 6. ibid. *nihil debet curare, niſi Deum.* Atque hoc ipſum figuratum fuerat in lege Moyſis, ubi Deus

Num.

Num. 18. v. 20. Levitas alloquens ait : *In terra eorum nihil poſſidebitis; nec habebitis partem inter eos : ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael.*

17. Eccleſia Græca non convenit cum Latina circa numerum Ordinum minorum : illa enim *Lectoratui* ſolum prærogativam Sacramenti tribuit, & reliquos tres Ordines ut meras habet ceremonias eccleſiaſticas, quarum officia a Lectoribus obeuntur & Subdiaconis, ſicut functiones ſuperiorum Ordinum exercentur a Diaconis & Presbyteris ; id quod ab Eccleſia Romana non improbatur, cum declaraverit, unamquamque Eccleſiam inſiſtere poſſe antiquæ ſuæ diſciplinæ in omnibus, quæ ipſa non pronunciaverit ad fidem pertinere.

CASUS I. Salmeron Epiſcopus ordinavit Guillelmum in alia diœceſi natum absque licentia ab Epiſcopo originis obtenta. An peccavit Epiſcopus iſte, vel pœnam canonicam incurrit?

℟. Antequam directe reſpondeatur, notandum 1. Certum eſt, quod nemo poſſit licite ordinari, niſi a proprio Epiſcopo ; proprius autem dicitur vel ratione originis vel domicilii, vel Beneficii, ut declarat Bonifacius VIII. in Cap. *Cum nullus* 3. Lib. 1. Tit. 9. in 6. 2. In Epiſcopum, qui ad Ordines promovet ſibi non ſubditum ſine litteris dimiſſoriis, a Concilio Tridentino Seſſ. 23. Cap. 8. de Reform. hæc pœna ſtatuitur : *Ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.* 3. Circa Epiſcopum proprium ratione originis duæ ſeſe obiiciunt difficultates. *Prima* eſt, utrum per Epiſcopum originis intelligendus ille, in cujus diœceſi quis natus eſt ſecundum carnem, aut in cujus diœceſi quis baptizatus eſt, etſi non ibi natus. S. Beuve caſ. 13. teſtatur, in Gallia modo ab Epiſcopo recepti baptiſmi, modo ab Epiſcopo originis peti dimiſſoriales : juxta ipſum conformius agunt ad præſcriptum Capituli *Cum nullus.* qui ad poſteriorem, nempe Epiſcopum nativitatis recurrunt. *Secunda* difficultas eſt, utrum ille, qui natus eſt occaſionaliter in loco, ubi parentes ipſius nullum prorſus habent domicilium, ut proprium ſuum Epiſcopum reſpicere debeat Epiſcopum hujus loci in ordine ad ordinationem ; & in hoc caſu communis Doctorum ſententia eſt, non eſſe recurrendum ad Epiſcopum hujus loci, ſed ad illum, in cujus diœceſi parentes ipſius domicilium obtinent. 4. Per Epiſcopum domi-

domicilii intelligitur ille, in cujus diœceſi quis fixit ſuum domicilium, cum intentione, non in fraudem per breve tempus, ſed ſemper ibi habitandi, etiamſi necdum per longum tempus ibi ſubſiſteret. Si quis tamen per integrum triennium converſatus fuiſſet inter familiares Epiſcopi, poſſet ab eo ordinari juxta Tridentinum Seſſ. 23. cap. 9. de Reform. ubi ait: *Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & Beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat.* 5. Epiſcopus Beneficii eſt ille, in cujus diœceſi quis Beneficium eccleſiaſticum pacifice poſſidet, ſive in titulum ſive in commendam, ſive ſimplex ſive curatum & reſidentiam exigens, ſive pinguium ſive tenuium ſit reddituum, dummodo deductis oneribus ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiant. 6. Cum hoc tempore Clerici poſſideant Beneficia, in quibus nunquam reſident, aut quandoque plura habeant Beneficia in pluribus diœceſibus, Epiſcopus ordinaturus Clericum ratione Beneficii tantum ſibi ſubjectum, quod in diœceſi ſua poſſidet, exhibenda ſibi curet teſtimonia de vita & moribus ordinandi ab Epiſcopo originis impetrata, ſi hic deſuper teſtari poteſt, vel ab Epiſcopo domicilii, cujus utique eſt ſcire, an Clericus in diœceſi ſua reſidens vivat decenter & ad exigentiam ſtatus ſui. His prænotatis dicendum, quod Salmeron Epiſcopus non ſolum graviter peccaverit, ſed & pœnam a Tridentino latam incurrerit ordinando Guillelmum, niſi hic per triennium continuum de ipſius familia fuerit, aut actuale Beneficium in diœceſi poſſederit, aut legitimum intra limites diœceſis domicilium obtinuerit. *Pontas.*

CASUS II. Tiburtius in diœceſi Nemauſienſi natus, & uno abhinc menſe Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Monſpelienſis, jam per quadriennium apud Epiſcopum Carcaſſonenſem munere Secretarii fungitur; volens jam recipere Ordines minores & majores, ac poſtmodum adminiſtrare ſuum Beneficium, quærit, a quonam trium illorum Epiſcoporum poſſit ordinari canonice.

℟. Extra dubium eſt, Tiburtium poſſe eligere quemlibet ex his Epiſcopis: Nemauſienſis enim reſpectu ipſius eſt Epiſcopus originis; quoad Monſpelienſem ſufficit Beneficium ab eodem non fuiſſe obtentum in fraudem; ac tandem Carcaſſonenſis Epiſcopi vere eſt Domeſticus. *Pontas.*

CA-

CASUS III. Bertrandus natus in diœceſi Engoliſmenſi, apud Namurcenſem Epiſcopum per quatuor vel quinque annos in Secretarii munere miniſtravit. Ab hoc Epiſcopo recepit tonſuram & quatuor minores una cum ſubdiaconatu; tandem vero ab illius ſucceſſore diaconus & presbyter ordinatus eſt absque ullis dimiſſoriis ab Engoliſmenſi Antiſtite obtentis. Dubium jam eſt, an omnes hæ ordinationes fuerint canonicæ, nullamque cenſuram incurrerit Bertrandus?

℟. Evidens eſt Epiſcopum Namurcenſem Bertrando utpote domeſtico ſuo juxta diſpoſitionem Tridentini Seſſ. 23. de Reform. c. 9. potuiſſe conferre tonſuram una cum minorbus & ſubdiaconatu. Et ſi Bertrandus in hac diœceſi ſuam continuavit reſidentiam animo in ea ſemper commorandi, potuit etiam recipere diaconatum & presbyteratum a ſucceſſore Epiſcopi, tanquam ſuo Epiſcopo domicilii. Verum ſi Bertrandus non habuit ſerium animum continuandi ſuam reſidentiam in hac diœceſi, & tamen recepit diaconatum ac presbyteratum in fraudem authoritatis ſui Epiſcopi originis, ſuſpenſionem incurrit, & ſi in hoc ſtatu celebravit, aut aliquam functionem ſuorum Ordinum exercuit, etiam in irregularitatem incidit; quia *fraus & dolus alicui patrocinari non debent.* In genere notandum, quod privilegium conceſſum Epiſcopis, quod poſſint ordinare domeſticos ſuos poſt trium annorum ſervitium, non poſſit extendi ad eorum ſucceſſores quoad eos, qui hoc titulo ab anteceſſoribus aliquos Ordines receperunt, ſucceſſoribus autem necdum per triennium ſervierunt; quia ejusmodi privilegia, ſecundum quod adverſantur juri communi, in ſtricto verborum rigore ſumenda ſunt, & nec ultra extendenda, cum ſub hoc reſpectu ſint materia odioſa; *odia* autem juxta regulam juris *reſtringi convenit. Pontas.*

CASUS IV. Appius nativitate Aurelianenſis omnes Ordines ſuſcepit ab Epiſcopo Cadurcenſi, cui per triennium ſervierat ut eleemoſynarius. Teneturne Epiſcopus mox ipſi providere de Beneficio, poſtquam Ordines ipſi contulit; cum Tridentinum Seſſ. 23. de reform. c. 9. id ſtatuat in ſimili caſu his verbis: *Beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat, conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante?*

℟. Si Appius non aliunde habet bona congruæ ſuſtentationi ſufficientia, Epiſcopus in conſcientia tenetur ipſi conferre Beneficium, vel donec conferre poſſit, officium ſaltem congruum, ex quo decenter ſuſtentari poſſit, ne cum tempore

pore in triſtem mendicandi neceſſitatem redigatur. Hinc Concilium generale Lateranenſe tertium Cap. *Epiſcopus*. 4. Lib. 3. Tit. 5. ait: *Epiſcopus, ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit, tamdiu ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ clericalis aſſignet; niſi talis ordinatus de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere. Pontas.*

CASUS V. Honoratus ex diœceſi Andegavenſi oriundus, uno abhinc anno inde receſſit, & perpetuum ſuum domicilium apud Rhedones fixit. Amplexurus jam ſtatum clericalem poteſtne Ordines recipere ab Epiſcopo Rhedonenſi absque dimiſſoriis Epiſcopi Andegavenſis?

℟. Ex quo bona fide domicilium ſuum perpetuum conſtituit in diœceſi Rhedonenſi, recte ac legitime ab Epiſcopo hujus loci ordinari poteſt, quin opus habeat litteris dimiſſoriis Epiſcopi Andegavenſis: licet enim ſecundum jus antiquum ſolus Epiſcopus originis proprius cenſeretur eſſe Epiſcopus, jure novo tamen etiam Epiſcopus Beneficii & domicilii pro proprio habetur Epiſcopo. *Pontas.*

CASUS VI. Eterhardus Clericus tonſuratus ex diœceſi Bleſenſi, in qua actu moratur, poſſidet Beneficium Capellaniæ, cujus annui redditus quinquaginta circiter floreni, in diœceſi Pictavienſi. Poteſtne tuta conſcientia ratione Beneficii ordinari ab Epiſcopo Pictavienſi, tanquam proprio ſuo ordinario?

℟. Cum antiqua Eccleſiæ diſciplina quoad Beneficia fuerit immutata, & plura ſint, quæ non exigunt reſidentiam, & poſſideri poſſunt, quin a Beneficiario in perſona adminiſtrentur, & ex hoc capite etiam ſimplicia vocantur, ille, qui ejusmodi Beneficio proviſus eſt, & non reſidet in diœceſi Beneficii ſui, ordinari non poteſt, niſi ab Epiſcopo originis. Hæc ipſiſſima mens eſt Bonifacii VIII. in cit. cap. *Nullus*, & Concilii Tridentini. Bonifacius VIII. dum Epiſcopum Beneficii declaravit tanquam proprium, reſpexit ad antiquam Eccleſiæ diſciplinam, vi cujus omnes Clerici erant addicti determinatæ eccleſiæ, cui perſonaliter deſervire tenebantur. Et Concilium Tridentinum vult, ut Epiſcopus habeat notitiam de vita & moribus ordinandi; non poteſt autem habere, niſi Beneficiatus in ejus diœceſi reſideat. Hinc ſolus Epiſcopus originis aut domicilii, cujus intereſt ſcire

bonos

bonos vel pravos mores clericorum in diœceſi ſua degentium, poteſt ordinare ejuſmodi Beneficiatum. Eberhardus ergo non poteſt Ordines recipere ab Epiſcopo Pictavienſi, in cujus diœceſi, licet habeat Beneficium non reſidet. *Pontas.*

CASUS VII. Faſtredus Clericus tonſuratus Burdigalæ natus, & Toloſanæ Eccleſiæ Canonicus, ubi per plures jam annos reſidet, recepit tonſuram ac minores Ordines ab Archiepiſcopo Toloſano; Ordines autem ſacros recipere cogitat ab Archiepiſcopo Burdegalenſi, in cujus diœceſi natus eſt. Indigetne dimiſſoriis Archiepiſcopi Toloſani?

℞. Quando Clericus tres habet Epiſcopos, originis ſcilicet, Beneficii & domicilii, ex ipſius pendet arbitrio eligendi, quemcumque voluerit, pro recipiendis Ordinibus. Verum ex quo quempiam eorum elegit, ab eoque recepit Ordinem, quemcumque demum, ita ejusdem juriſdictoni ſe ſubjecit, ut non liberum ſit amplius eidem ſe deinceps ſubtrahere. Id quod Cabaſſutius docet Jur. Can. Theor. & prax. L. 4. c. 2. n. 4. his verbis: *Qui duos ſortitus pluresve Epiſcopos, ut originis, domicilii, Beneficii, tonſuram vel Ordinem ab uno horum accepit, non poteſt ad horum alterum ſine dimiſſoriis, pro reliquis Ordinibus recurrere, utpote priori jam adſtrictus .... Idemque ſentiendum de Epiſcopo, quem quis ſortitus eſt, titulo familiæ per triennium continuatæ, & ſecuta ordinatione per eundem, Beneficiique collatione ad ordinationis titulum ... Ab hoc debet dimiſſorias pro reliquis Ordinibus accipere, etiam ad Epiſcopos originis & domicilii.* Unde ſequitur, Faſtredum non poſſe ordinari ab Archiepiſcopo Burdegalenſi abſque dimiſſoriis Toloſani. *Pontas.*

CASUS VIII. Firmilianus Archiepiſcopus Neapolitanus exiſtens in diœceſi Epiſcopi Monopolitani Suffraganei ſui, abſque Epiſcopi hujus conſenſu presbyteratus Ordinem contulit diacono cuidam. Num peccavit, & pœnas canonicas incurrit?

℞. Peccavit certe, & pœnam ſuſpenſionis incurrit, latam a Tridentino Seſſ. 23. de reform. c. 8. *Unusquisque a proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur; niſi ejus probitas ac mores ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio*

Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus. Id quod S. Thomas in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. jam diu ante Concilium docuit. *Pontas.*

CASUS IX. Manilius Clericus tonſuratus ob indignitatem ſuam in perpetuum a ſuo Epiſcopo fuit rejectus ab Ordinibus. Interim tamen in curia Romana obtinuit parochiam in eadem diœceſi ſitam, & ſuper hac proviſione a Metropolitano *Viſa* impetravit. Cum jam intra annum teneretur recipere presbyteratum, ni velit excidere jure ſuo ad parochiam, quæritur, utrum a proprio Epiſcopo rejectus poſſit ordinari a Metropolitano; & ſi ab eo ordinatus fuit, utrum Epiſcopus poſſit parochianos adſtringere, ne tanquam parochum ſuum agnoſcant Manilium.

℟. Metropolitanus nec debet, nec poteſt ordinare Manilium abſque expreſſa licentia proprii Epiſcopi, qui circa ea, quæ juriſdictionem voluntariam concernunt, ut eſt collatio vel recuſatio Ordinum, Superiorem non agnoſcit. Si nihilominus Manilius a Metropolitano ordinatus fuit, Epiſcopus inique ageret eum ut parochum non agnoſcendo, aut prohibendo parochianis, ne ut talem agnoſcant. Quod autem in hoc caſu agendum Epiſcopo, conſiſtit in his: 1. Poteſt ipſi interdicere functiones ſuorum Ordinum propter ſuſpenſionem, quam incurrit recipiendo Ordines ab alieno Epiſcopo ſine dimiſſoriis a proprio; vel ob ipſam irregularitatem, quam contraxit, ſi a tempore illegitimæ ordinationis in hoc ſtatu Ordines ſacros exercuit. 2. Poteſt interdicere parochianis, ne ipſum conveniant pro recipiendis Sacramentis, aut aliis functionibus paſtoralibus. 3. Poteſt ipſius loco conſtituere ſacerdotem quemdam, qui munia parochialia obeat; & poſtquam iſta debito modo denunciaverit, ad executionem procedendum, quidquid demum in contrarium machinetur Metropolitanus. *Pontas.*

CASUS X. Aërius Epiſcopus ſchiſmaticus, hæreticus & excommunicatus pluribus Clericis contulit Ordines tam minores quam majores. Suntne valide ordinati?

℟. Hæ ordinationes ſunt validæ juxta canonem 8. Concilii Nicæni I. Sciendum tamen eſt, eos, qui ſcienter a tali Epiſcopo ſuſcipiunt Ordines, incurrere ſuſpenſionem Papæ reſervatam. Imo tamdiu licet recipere Ordines ab Epiſcopo hæretico aut ſchiſmatico, ſimoniaco aut excommunicato, vel a functionibus epiſcopalibus ſuſpenſo: quamdiu Eccleſia eum tolerat, cenſuramque contra eum nominatim non pronunciat, & publice non denunciat; nec ulla in caſu ſuſpenſio aut alia cenſura timenda eſt. Verum poſtquam ſententia excommunicatio-

cationis aut ſuſpenſionis contra Epiſcopum pronunciata ac publicata eſt, ſive ob crimen hæreſis aut ſchismatis, ſive ob aliam culpam, & quis id ſciens ab eo recipit Ordines, ſuſpenſionem incurrit ab exercitio Ordinum receptorum, & inhabilitatem ad reſipiendos reliquos. Quod hic dicitur de ordinatione facta ab Epiſcopo excommunicato, tantum intelligendum eſt de excommunicatione majore: ſi enim Epiſcopus ſolum ligatus eſſet excommunicatione minore, poſſet conferre Ordines. *Pontas*.

CASUS XI. Æmilius ordinatus fuit presbyter ab Epiſcopo ſuo, qui ſub ordinatione ipſi tangendum præbuit calicem, in quo ex inadvertentia nec vinum continebatur nec aqua. Eſtne cauſa rationabilis dubitandi de valore hujus ordinationis?

℟. Dubium hoc juxta doctrinam S. Thomæ Opuſc. 5. de Sacram. eccles. rationabile & optime fundatum eſt. Sunt quidem plures Theologi, qui exiſtimant, non eſſe abſolute neceſſarium ad valorem Ordinis presbyteratus, ut ſit vinum & aqua in calice, & panis ſuper patenam, ſed ſufficere alterutrum. Ratio eorum eſt; quia, cum totus Chriſtus, ut Deus & homo, contineatur non minus ſub ſola ſpecie panis, & ſub ſola ſpecie vini, quam ſub utraque ſpecie ſimul, & cum ſacerdos valide poſſit conſecrare unam ſpeciem, ſequitur, quod ſufficiat, ſi, qui ordinatur presbyter, tangat alterutrum, calicem ſcilicet vel patenam. Cardinalis Bellarminus tamen & Fagnanus cum S. Raymundo, Innocentio IV. Hoſtienſi, & S. Antonino ſentiunt oppoſitum, quod abſque dubio eſt tutius. Hinc Æmiliano accedendus eſt Epiſcopus, rogandusque, ut ordinationem circa ſe factam repetat. *Pontas*.

CASUS XII. Leidradus cum ordinaretur presbyter, inſtrumentis Ordinis ab Epiſcopo ſibi porrectis non niſi manus admovit, ſine omni contactu phyſico. Valetne ipſius ordinatio?

℟. Maldonatus quidem exiſtimat, ordinationem Leidradi eſſe validam, manuumque impoſitionem eſſe ſolam materiam, quæ ad eſſentiam ſacerdotii requiritur. Attamen plures alii inſignes Theologi ſententiam tuentur oppoſitam, quæ etiam firmatur authoritate S. Thomæ in 4. diſt. 24. q. 1. art. 1. q. 5. ad 3. dicentis: *Quia enim poteſtas Ordinis non accipitur a materia, ſed a miniſtro principaliter: ideo porrectio materiæ magis eſt de eſſentia Sacramenti, quam tactus: tamen ipſa verba formæ videntur oſtendere, quod tactus materiæ ſit de eſſentia Sacramenti; quia dicitur: Accipe hoc, vel illud.* Cum ergo in

CASUS XV. Vitalis ſubdiaconatum recipiens non tetigit inſtrumenta huic ordini propria ſibi ab Epiſcopo porrecta. Eſtne valide ordinatus ?

℞. Primis undecim Eccleſiæ ſæculis ſubdiaconatus tantum fuit habitus pro Ordine minore, ut obſervant Cardinalis Bona, Morinus, Thomaſſinus & plures alii. Author *Conferentiarum Lucionenſium* Tom. 8. Conf. 4. q. 3. de Sacram. Ord. annotat, tres diſtingui poſſe gradus, per quos ſubdiaconatus ad dignitatem Ordinis ſacri evectus fuerat: 1. Dum S. Gregorius M. eidem cœlibatum annexuit. 2. Dum Urbanus II. indulſit, ut ſubdiaconi in neceſſitate poſſent aſſumi ad Epiſcopatum. 3. Dum Innocentius III. permiſit, ut id fieri poſſit etiam ſine diſpenſatione. His prænotatis dici poteſt, Vitalem vere recepiſſe ſubdiaconatum, cum citra errorem defendi poſſit, ſubdiaconatum non eſſe Sacramentum, ſed meram ceremoniam eccleſiaſticam; quia nec materiam nec formam ſibi eſſentialem habet. Poſito etiam, quod ſit verum Sacramentum, dici tamen poteſt, Vitalem valide fuiſſe ordinatum per ſolam impoſitionem manuum Epiſcopi, quam Eccleſia Græca ut ſolam & unicam Sacramenti Ordinis materiam agnoſcit. Sed quidquid ſit, in dubio amplectendum id, quod eſt ſecurius; & ſic Vitalis curare, ut Epiſcopus ſecreto ſuppleat, quod fuit omiſſum. *Pontas.*

Nota. Cum presbyteratus valide ſuſcipiatur absque prævio Ordine ſubdiaconatus & diaconatus, non eſt nimia cum anxietate ac ſcrupuloſitate inhærendum dubio de horum valore, aut neceſſitate ſuppletionis. Sufficit, quod prudenter credere poſſim, eſſe valide ſuſceptos. Circa Ordinem presbyteratus major ſollicitudo requiritur.

CASUS XVI. Enguerandus nunquam recepto hucusque Baptiſmo initiatus eſt omnibus Ordinibus ſacris. Baptizatus poſtmodum, poteritne valide exercere functiones Ordinum ſuorum ?

℞. Cum ordinatio ipſius fuerit invalida, nullam prorſus collatorum ſibi Ordinum functionem exercere poteſt. *Nihil poteſt aliquis recipere*, inquit S. Thomas in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. q. 3. C. *cujus receptivam potentiam non habet; per characterem autem baptiſmalem efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum. Unde qui characterem baptiſmalem non habet, nullum alterum Sacramentum recipere poteſt. Et ſic character Ordinis baptiſmalem characterem præſupponit.* Id etiam expreſſe habetur Cap. *Si quis.* 1. Lib. 3. Tit. 43. *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit, ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.* *Pontas.*

CASUS XVII. Patritius tota, qua pollet, authoritate compellit Simplicium acolythum nepotem ſuum ad recipiendos Ordines ſacros, eidemque, ni pareat, peſſima quæque minitatur. Ex hoc metu perquam gravi Simplicius fit ſubdiaconus; ne autem ad altiores quoque Ordines recipiendos cogatur, fugam arripit. Eſtne valida ipſius ordinatio?

℞. Abſque dubio eſt valida: *Is qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum*, ait Innocentius III. Cap. *Majores*. 3. Lib. 3. Tit. 42. *talis characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum*. Et Gloſſa addit: *Coactio conditionalis non impedit Sacramentum Baptiſmi... ſicut non impedit Sacramentum Ordinis*.

CASUS XVIII. Albericus nunquam antehac recepta clericali tonſura initiatus fuit omnibus reliquis Ordinibus, minoribus & majoribus, eorumdemque ſemper exercuit functiones. Eſtne ſuſpenſus ipſo facto, eo quod ordinatus fuerit per ſaltum? Num etiam irregularitatem incurrit, dum collatos Ordines exercuit in ſuſpenſione?

℞. Nec ſuſpenſionem nec irregularitatem incurrit; cum juxta Sylvium reſol. var. v. *Ordo*. 2. *Illi demum ſunt Ordines*, ait, *qui pro materia habent rem quampiam, per cujus traditionem ipſi conferuntur, juxta Synodum Florentinam. Tonſuræ autem nullam aſſignat materiam, per cujus traditionem ipſa conferatur*. Peccavit tamen Albericus, per neglectum tonſuræ agendo contra mentem ac intentionem Eccleſiæ. *Pontas*.

CASUS XIX. Eulogius necdum recepto Confirmationis Sacramento ſuſcepit Tonſuram & Ordines minores. Habuit quidem propoſitum illud recipiendi, &, quod factum non ſit, ſolum ideo celavit, ne remitteretur ad futuram ordinationem. An peccavit?

℞. Non poteſt excuſari Eulogius a gravi peccato; quia violavit præceptum Eccleſiæ. Interim tamen valide fuit tonſuratus & ordinatus; quia juxta S. Thomam in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. q. 4. neceſſario quidem præmittenda eſt Confirmatio Ordinibus, ſed tantum neceſſitate congruentiæ. *Prima tonſura non initientur*, ait Concilium Tridentinum Seſſ. 23. de reform. c. 4. *qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*; id quod adhuc fortiori ratione obſervandum quoad Ordines. Ratio eſt; quia Clerici per ordinationem perfectius ſe conſecrant Deo, quam cæteri Chriſtiani; & hinc eo ipſo tenentur eſſe perfecti Chriſtiani,

ni, quod ſine Confirmatione non ſit: cenſura tamen nulla in contraveníentes pronunciatur, nec in Corpore juris, nec in Concilio Tridentino. Verum qui fors quemdam Ordinem recepit ante Confirmationem, non poteſt promoveri ad altiores Ordines, niſi prius confirmatus. *Pontas.*

CASUS XX. Theophanes Archiepiſcopus Corinthi presbyteratum contulit cuidam mancipio, cujus ſervilem conditionem ignorabat, Eſtne valida hæc ordinatio?

℟. Cum libertas non ſit neceſſaria neceſſitate *Sacramenti*, ſed tantum neceſſitate *præcepti* ad Ordines recipiendos, ut docet S. Thomas in 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. q. 1. C. absque omni dubio ordinatio eſt valida. *Pontas.*

CASUS XXI. Mævius amens, videns Epiſcopum conferre presbyteratus Ordinem compluribus diaconis, iisdem ſeſe immiſcet, & presbyter una cum aliis ordinatur. Eſtne hic vere presbyter? & ſi aliquando ad ſanam mentem rediret, debereturne haberi pro presbytero?

℟. Infantes & amentes ſunt inhabiles ad Ordines recipiendos; cum nec qualitates nec diſpoſitiones requiſitas habeant, & aliunde amentia non minus ac infantia irregularitatibus accenſeri debeant. Nihilominus tamen juxta Authorem Conferentiarum Lucionenſium Tom. 8. Conf. 10. de Sacr. Ord. q. 2. & plures alios ordinatio Mævii valida eſt, quamvis illicita, vereque characterem ſacerdotalem ſic ordinatus accepit. *Pueris autem*, inquit Catechiſmus Concilii Tridentini part. 2. de Sacram. Ord. n. 57. *furioſis vel amentibus, quod uſu rationis carent, hoc Sacramentum dandum non eſt; quamvis, ſi iis quoque adminiſtraretur, Sacramenti characterem in eorum animam imprimi certo credendum ſit.* *Pontas.*

Nota. His non obſtantibus dantur plures Authores, qui cenſent, ordinationem infantis vel amentis eſſe invalidam.

CASUS XXII. Maximus Epiſcopus Portalegri non inveniens perſonas ſacris Ordinibus dignas, quibus curam eccleſiarum diœceſis, paſtoribus ſuis magna ex parte deſtitutarum, tuto committere poſſet, an absque peccato mortali poteſt ordinare interim quosdam depravatis moribus imbutos ac ſcandaloſos, usquedum digniores inveniat?

℟. Certo peccaret mortaliter juxta D. Thomam in 4. diſt. 24. q. 1. art. 3. q. 4. C. ejusmodi indignos ordinando: talis enim ordinatio ingens damnum cauſaret Eccleſiæ, maximumque ſimul præjudicium afferret divinæ gloriæ. quæ utique nec Deo reddi, nec promoveri poteſt per miniſtros

 per-

perverſos. *Cum ſit ars artium regimen animarum*, inquit Concilium Lateranenſe IV. cap. *Cum ſit.* 14. Lib. 1. Tit. 14. *diſtricte præcipimus, ut Epiſcopi promovendos in ſacerdotes diligenter inſtruant & informent, vel per ſe ipſos, vel per alios viros idoneos, ſuper divinis officiis, eccleſiaſticisque Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare; quoniam ſi de cætero rudes & ignaros ordinare præſumpſerint (quod quidem facile poterit deprehendi) & ordinatores* & *ordinatos ultioni gravi decernimus ſubjacere: ſatius enim eſt, in ordinatione maxime ſacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere miniſtros; quia, ſi cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur. Pontas.*

CASUS XXIII. Poteſtne ſaltem Maximus, de quo in præcedente caſu dictum, urgente gravi neceſſitate ad ſacerdotium promovere eos, quos quidem rudes novit ac ignorantes, attamen virtuti dediti ſunt, & exemplariter vivunt?

℟. Nec rudes ac ignaros, licet de cætero pios, absque gravi peccato ordinare poteſt: ignorantia enim in perſona eccleſiaſtica non minus vitium eſt, ac morum depravatio. *Illiteratos nullus præſumat ad clericatus ordinem promovere; quia litteris carens ſacris non poteſt eſſe aptus officiis*, ait Gelaſius Papa Can. *Illiteratos.* 1. diſt. 36. Et S. Leo Epiſt. 87. c. 1. *Non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere; nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Pontas.*

CASUS XXIV. Hilarinus diaconus conſecutus eſt parochiam, cum jam haberet ætatem 25. annorum. Hinc quamprimum recepturus presbyteratum, & a Vicario generali admiſſus, ſiſtit ſe Epiſcopo pro recipiendo hoc Ordine. Scit autem Epiſcopus, Hilarinum commiſiſſe occultum homicidium. Poteſtne tuta conſcientia ipſi conferre presbyteratum? An non potius tenetur ipſum repellere ab Ordinibus?

℟. Circa præſentem caſum ſimili fere modo agendum eſſe videtur, ut dum peccator occultus publice petit communionem a ſacerdote, qui ſolus occultorum ipſius criminum notitiam habet. Si ergo Epiſcopus non poteſt Hilarinum ab ordinatione repellere absque publica ipſius infamia, tenetur ipſi presbyteratum conferre. Alexander III. in caſu vix non conſimili conſultus cap. *Ex tenore.* 4. Lib. 1. Tit. 11. ſic reſpondit; *Ex tenore tuarum litterarum accepimus, quod N. Clericus adeo deliquit, quod, ſi peccatum ejus eſſet publicum, degradaretur ab Ordine, quem ſuſcepit, & amplius non poſſet ad ſuperiores Ordines promoveri. Verum quoniam peccatum ipſius fore occultum dixiſti; mandamus, quatenus*

tenus pœnitentiam ei condignam imponas, & ſuadeas, ut... a ſuperiores Ordines amplius non aſcendat. Verumtamen quia peccatum occultum eſt, ſi promoveri voluerit; eum non debes aliqua ratione prohibere. Pontas.

CASUS XXV. Symmachus in examine pro Ordine presbyteratus licet rejectus ab Epiſcopo, inter reliquos tamen ordinandos irrependi occaſionem nactus eſt. Ante ordinationem publice & alta voce Epiſcopus proteſtatus eſt, ſe nullam prorſus habere intentionem conferendi Ordines iis, qui in examine a ſe rejecti auſu temerario reliquis ordinandis ſeſe immiſcere præſumpſerin. At vero Symmachus nihil hac Epiſcopi ſui declaratione ac proteſtatione perterritus, immotu perſiſtit, unaque cum reliquis presbyter ordinatur, quin ab Epiſcopo fuerit agnitus; ſieque cum aliis miſſam celebrat. Fuitne valide ordinatus, valideque conſecravit?

℟. Ordinatio Symmachi valet, non obſtante generali proteſtatione Epiſcopi, quam tacite in ipſo actu ordinationis revocaſſe cenſetur per intentionem actualem, quam habuit, ordinandi presbyterum: non enim præſumendum eſt juxta Cabaſſutium Lib. 3. c. 16. n. 15. quod Epiſcopus formam applicare voluerit materiæ Sacramenti absque intentione conferendi verum Sacramentum; quia ſic profanando rem ſacramentalem ſacrilegii ſe reum conſtituiſſet. Cabaſſutius obſervat, quod ſi diceretur, ordinationem iſtam eſſe invalidam, etiam concedendum foret, ſic ordinatum nunquam offerre poſſe verum ſacrificium; cum ex defectu characteris ſacerdotalis valide conſecrare haud poſſet; & conſequenter eos, qui in ſacra communione ſive per modum viatici ſive ex devotione hoſtias ab eo conſecratas reciperent, non corpus Jeſu Chriſti, ſed merum panem accipere; omneſque abſolutiones ab eo pœnitentibus impertitas fore nullas &c. Vel ipſæ ſequelæ iſtæ adeo horrendæ omnem de valore ordinationis dubitationem excludunt. *Pontas.*

CASUS XXVI. Baldricus diaconus ex diœceſi Nicæenſi tam dextre apud Epiſcopum Albenſem inſinuare ſe ſcivit, ut ab eodem presbyter ordinaretur, nullis a proprio Epiſcopo obtentis dimiſſoriis. Incurritne pœnam canonicam?

℟. Concilium Tridentinum Seſſ. 23. de reform. c. 8. decidit hanc quæſtionem ſtatuendo, ut Epiſcopus ordinans diœceſanum alterius Epiſcopi ſine dimiſſoriis, per annum ſit ſuſpenſus a collatione Ordinum, taliter vero ordinatus ſit ſuſpenſus ab exercitio Ordinum ſic ſuſceptorum tamdiu, quamdiu pro-

prio ipſius Epiſcopo bene viſum fuerit. Adeoque Baldricus ſuſpenſionem incurrit. *Pontas.*

CASUS XXVII. Urſinus ſex tantum annos natus ab Epiſcopo ſuo non ſolum tonſuram clericalem, ſed etiam quatuor minores Ordines recepit. Valetne hæc ordinatio? An non peccavit Epiſcopus?

℟. Juxta S. Thomam, qui in hoc ſequitur doctrinam Magiſtri Sententiarum L. 4. diſt. 25. n. 17. parvulus iſte fuit valide ordinatus; potuitque Epiſcopus juſta & gravi id exigente cauſa abſque omni peccato ipſi conferre tonſuram & Ordines minores. Cauſam autem hanc exprimit D. Thomas in Supplem. q. 39. art. 2. dum ait: *Si neceſſitas adſit & ſpes profectus.* Attamen perrarum eſt, quod duæ hæ conditiones concurrant in ejusmodi ordinatione. Aliter ſe res habet circa Ordines ſacros, pro quibus conferendis ac recipiendis Eccleſia certam ætatem determinavit, iisque votum continentiæ annexuit. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Jovius diaconus annos tantum viginti tres & dies viginti natus, falſificato teſtimonio baptiſmali presbyteratum ſuſcepit. An præter peccatum incurrit etiam cenſuram?

℟. Juxta Honorium III. cap. *Vel non eſt*: 14. Lib. 1. Tit. 11. qui ante ætatem pro quovis Ordine ab Eccleſia determinatam ordinari ſe facit, ipſo facto ab Ordine ſic ſuſcepto ſuſpenſus eſt; & hæc ſuſpenſio eo usque durat, donec legitimam ætatem attigiſſet, & per legitimam diſpenſationem fuerit rehabilitatus. Et hinc Jovius eſt & manet ſuſpenſus usque ad annum ætatis vigeſimum quintum; nec poteſt tolli ſuſpenſio hæc, niſi per diſpenſationem Papæ. Sic ſentit Author *Conferentiarum Lucionenſium* Tom. 8. Confer. 10. de Sacram. Ord. q. 2. Obſervandum hic 1. Hanc pœnam ſuſpenſionis non incurri ab iis, qui ex errore aut ignorantia, niſi fuerit craſſa & affectata, ante ætatem competentem receperunt Ordines. 2. Epiſcopum ipſum ante præſcriptam a canonibus ætatem ſcienter Ordines conferentem, ſi non ipſo facto incurrit ſuſpenſionem a collatione Ordinum, ſententiam ſuſpenſionis ſaltem mereri juxta citatum Cap. *Vel non eſt.* Ubi Honorius III. ſuſpenſionem pronunciavit contra Epiſcopum, qui juveni tredecim annorum diaconatum contulerat. *Pontas.*

CASUS XXIX. Conſtitutiones canonicæ prohibent, ne Epiſcopi conſecrentur ante annum ætatis trigeſimum, neo presbyteri ante vigeſimum quintum, diaconi ante vigeſimum tertium, & ſubdiaconi ante vigeſimum ſecundum ætatis an-

num

num ordinentur. An non licet ergo recipere Ordines ætate hac necdum expleta?

℟. Reſpectu Epiſcoporum omnes Canoniſtæ conveniunt, requiri triginta annos completos; licet in Gallia vi Concordatorum annus vigeſimus ſeptimus ſolum inchoatus ſufficiat. Quoad Ordines ſacros vero epiſcopatu inferiores ſatis eſt, ſi anni pro quovis Ordine præſcripti ſunt ſolummodo inchoati.

Nota. Anni ætatis computantur a die nativitatis corporalis, & non a die ſuſcepti Baptiſmi, id quod a ſacra Congregatione declaratum fuiſſe teſtatur Fagnanus. Et hinc quoad quantitatem ætatis attenditur atteſtatio parentum aut depoſitio teſtium.

CASUS XXX. Gentianus non niſi diaconus, ſemper tamen ac paſſim pro presbytero habitus, conſecratur tandem Epiſcopus, presbyteratus Ordine nunquam ſuſcepto; & ex hoc tempore ipſemet presbyteros ordinat. Suntne conſecratio ipſius, & ordinationes ab ipſo factæ validæ?

℟. Certum eſt, tam conſecrationem ipſius, quam ordinationes aliorum eſſe prorſus invalidas. Ratio eſt; quia, ut D. Thomas docet in 4. diſt. 4. q. 2. art. 2. q. 2. epiſcopatus in ſe complectitur presbyteratum non eminentialiter tantum, ut presbyteratus continet reliquos Ordines inferiores, ſed formaliter & eſſentialiter; & conſequenter non poteſt ordinari Epiſcopus, qui prius non fuit ordinatus presbyter. Confirmatur ex eo; quia Epiſcopus non convenienter accipit poteſtatem in corpus Chriſti myſticum, nempe in fideles, niſi prius acceperit poteſtatem in corpus Chriſti phyſicum per conſecrationem Euchariſtiæ; quam poteſtatem non accipit, niſi in Ordine presbyteratus. *Pontas.*

CASUS XXXI. Felicianus Archiepiſcopus privata ſua authoritate contulit Ordinem diaconatus in feſto Epiphaniæ, quod inciderat in feriam quintam hebdomatæ. An peccavit, & num ordinatus incurrit aliquam pœnam?

℟. Cum Prælatus iſte violaverit leges eccleſiaſticas in materia graviſſimi momenti, dubitandum non videtur, eum peccaſſe mortaliter, & ordinatum incurriſſe ſuſpenſionem ab executione Ordinis ſuſcepti. Id quod declaravit Urbanus III. Cap. *Cum quidam.* 8. Lib. 1. Tit. 11. Poſſunt quidem diebus feſtis ac Dominicis conferri Ordines minores ab Epiſcopis; Ordines autem ſacros conferre non poſſunt, niſi in quatuor temporibus, Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & Sabbato ſancto, ut declaravit Alexander III. Cap. *De eo,* 3. ibidem. *Pontas.*

CA-

CASUS XXXII. Hortenſius recepit quatuor Ordines minores in ſtatu peccati mortalis. Commiſitne novum peccatum mortale, & quidem ſacrilegium, de quo abſolute tenetur in confeſſione ſe accuſare? Num etiam mortaliter peccat, ſi in hoc ſtatu exerceat functiones horum Ordinum?

℟. Reſponſio dependet ex eo, an Ordines minores ſint Sacramentum: ſi enim ſunt Sacramentum, clarum eſt, quod in ſtatu peccati mortalis non potuerint recipi ſine ſacrilegio. An vero ſint Sacramentum, vel non, Theologi non conveniunt. Cum tamen Concilium Tridentinum, enumerans ſeptem Ordines, declarat generaliter ac indiſcriminatim, Ordinem eſſe Sacramentum, videur ſub generali denominatione Sacramenti comprehendiſſe Ordines non ſolum majores, ſed etiam minores; & ſic Hortenſius tenetur ſe accuſare de ſacrilegio, quæ ſententia in praxi certe eſt tutior. Quod attinet ad exercitium horum Ordinum, ſi Hortenſius in peccato mortali conſtitutus eosdem exercuit *ex officio*, ſeu ut miniſter Eccleſiæ, juxta D. Thomam diſt. 24. q. 3. art. 3. q. 5. C. commiſit novum peccatum mortale. Aliud tamen dicendum, ſi eosdem exerceat ſolum ut homo privatus ac, ut juvenes laici facere ſolent. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Conſtantinus parochus triginta annis poſt ſuam ordinationem opus habet litteris de collata ſibi clericali tonſura teſtantibus, dumque easdem perquirit inter reliquas litteras *formatas* ſuarum ordinationum, non occurrunt, omnibus licet diligenter excuſſis, litteræ teſtimoniales ſuſcepti diaconatus; nec memoria ſubit amplius, an, ubi, & quo Epiſcopo fuerit ordinatus. Horrendis ergo ſcrupulis agitatus ex conſilio viri docti Romam ſcribit, indeque reſcriptum impetrat ad ſuum Epiſcopum directum. Cumque in reſcripto abſolutio non cencedatur, niſi ſub hac clauſula: *Dummodo fructus Beneficii non perceperit*, ipſe vero ſemper ex fructibus ſuæ parochiæ vixerit, Epiſcopus exequi reſcriptum hoc recuſat. Quæritur 1. An Conſtantinus præſumere debeat, ſe non eſſe ordinatum diaconum. 2. An opus habeat reſcripto Pontificio, & an, poſito etiam, quod certo non acceperit diaconatum, aut ſaltem prudens de hoc ſupereſſet dubium, a nemine niſi a Papa abſolvi poſſit. 3. An clauſula, *dummodo*, Epiſcopo debeat facere ſcrupulum, quo minus reſcriptum exequatur.

℟. *Ad* 1. Dubium Conſtantini habendum eſt pro mera apprehenſione nullo fundamento nixa: præſumendum potius eſt, quod litteras *formatas* perdiderit, quam quod presbyteratum ſuſceperit ſine prævio diaconatu; illud longe facilius

con-

contingere potuit, quam iſtud. *Ad* 2. Suppoſito etiam, quod ordinatus fuerit per ſaltum, incurriſſet quidem pœnas canonicas, ſed haud opus fuiſſet recurrere Romam pro abſolutione, eo quod hoc crimen fuiſſet occultum; in occultis autem criminibus diſpenſare ab irregularitate poſſunt Epiſcopi juxta illud Tridentini Seſſ. 24. de reform. c. 6. *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex occulto delicto provenientibus (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis, deductis ad forum contentioſum) diſpenſare.* Si autem res hæc fuiſſet publica ac notoria, neceſſario debuiſſet recurri Romam. Et ſive certo diaconatum non receperit, ſive prudens ac rationabile de eo dubium concipi potuerit, Epiſcopus impertita abſolutione ac rehabilitatione de novo debuiſſet ipſi conferre diaconatum, & quidem in ſecundo caſu ſaltem ſub conditione; quia juxta Innocentium III. *non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur.* *Ad* 3. Quantum ad clauſulam, *Dummodo*, quæ conditio expreſſe eſt appoſita, curandum, ut obtineatur novum Breve, quod contineat clauſulam, *etiam fructibus perceptis*; niſi parochus præciſe tantum percepiſſet neceſſaria ad congruam ſuſtentationem, quæ ipſi jure naturali ob Beneficii proviſionem debetur, aut niſi ſuperflua jam erogaſſet in cauſas pias, in eccleſias & pauperes. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Theodoricus Religioſus pro tempore exiſtens in quodam conventu diœceſis Vivarienſis, acceptis a Superiore ſuo dimiſſoriis Nemauſi ordinatus fuit ſubdiaconus. Eſtne legitime ordinatus?

℞. Dantur Religioſi ſtabilitatem loci profitentes, qui nunquam ex uno conventu tranſeunt in alium; aliqui vero locum mutant, ut Mendicantes. Si Theodoricus fuit ex numero priorum, præter litteras ſui Superioris debebat etiam exhibere dimiſſorias a ſuo Epiſcopo domicilii, ut ab alio Epiſcopo poſſet recipere Ordines. Si vero Theodoricus fuit ex numero eorum, qui paſſim domicilia mutant & conventus, ab illo tantum debuit ordinari Epiſcopo, in cujus diœceſi eſt conventus, , in quo pro tempore moratur. Sique ob abſentiam Epiſcopi, vel ex eo, quod nullæ ab eodem habeantur ordinationes, migret in alienam diœceſin, dimiſſoriæ Superioris expreſſam ea de re mentionem facere debent. *Pontas.*

CASUS XXXV. Euphemianus Religioſus mendicans in monaſterio S. Majoli profeſſus, ob mores minus probatos nunquam potuit a Superiore ſuo impetrare licentiam recipiendi ſacros Ordines. Miſſus autem a Provinciali in alium conven-

ventum ſui Ordinis, facultate ſibi ab ejusdem Superiore facta, omnibus Ordinibus ſacris ab Epiſcopo loci initiatus eſt. Reverſum poſt octo menſes in priorem conventum Superior loci ab exercitio Ordinum ſuſpendere voluit; eo quod ab alterius diœceſis Epiſcopo Ordines receperit, & quidem falſo aſſerens, ſe Religioſum diœceſanum eſſe. Poteſtne Superior jure hanc ipſi pœnam infligere?

℞. Nulla omnino dicto Superiori quoad hoc competit poteſtas. Euphemianus degens in ſecundo monaſterio vel ex ultronea diſpoſitione vel ſaltem de licentia ſui Provincialis, dum recepit Ordines, nil falſi allegavit, dicendo, ſe eſſe membrum hujus communitatis; potuitque ordinari ab Epiſcopo, in cujus diœceſi monaſterium illud ſitum erat. Ita teſte Miranda Tom. 1. q. 38. art. 2. deciſum fuit a Congregatione Cardinalium 15. Martii 1596. ſub pontificatu Clementis VIII. Idem docet Sylvius *var. reſol.* V. *Religioſus.* 16. Quodſi vero monaſterium, ex quo Euphemianus primo migravit ad Ordines alibi recipiendos, peculiare privilegium habuiſſet, vel conſtitutionem contrariam, poſſet puniri a ſuo Superiore *Pontas.*

CASUS XXXVI. Diana puella viginti annos nata aſſumpta virili veſte ſexum maſculinnm mentitur, militiæ nomen dat, & ſub legione quadam equitum deſultoriorum ſtipendia meretur. Biennio in militia exacto religioſum ſtatum amplectitur in quodam Religioſorum conventu, ubi occultato ſollicite ſexu ad profeſſionem admiſſa, poſt lapſum temporis omnibus etiam ſacris Ordinibus initiatur, quorum functiones per annum exercet. Cum autem poſt lapſum anni hujus vita exceſſiſſet, ſexus patuit. Fuitne valide ordinata? Num valide celebrare, confeſſiones excipere, & abſolvere potuit?

℞. Puella hæc non potuit ordinari valide, nec conſequenter exercere ullam functionem Ordinum nulliter receptorum. Sic docet D. Thomas in 4. diſt. 25. q. 2. art. 1. C. & cum eo omnes Theologi: fœminæ enim naturaliter ſunt in ſtatu ſubjectionis ac ſubordinationis; & hinc Sacramentum Ordinis in iis non poteſt habere ſuam ſignificationem, quæ eſt quædam eminentia gradus, quo ſupra reliquos fideles præeminent, qui ſacerdotio funguntur. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Sylverius ſubdiaconus natus in diœceſi Brixienſi, in qua Canonicatum poſſidet, de Beneficio ſibi providit in diœceſi Tridentina, eo duntaxat fine, ut citius ac leviori negotio in eadem poſſit reliquos Ordines recipere. An nullam incurrit pœnam?

℞.

℞. Cenſetur Sylverius in fraudem legis egiſſe, & incurriſſe cenſuras a jure ſtatutas. *Si illud Beneficium*, inquit Fagnanus in Cap. *Omnis*. de pœnit. & remiſſ. n. 98. & ſeq. *ſibi in fraudem conferri curaverit, ut eludat examen & judicium ſui Ordinarii, cenſetur male promotus, & remanet ſuſpenſus ab executione Ordinum, tanquam ordinatus a non ſuo Epiſcopo.* Et quamvis fors ita egerit bona fide, ignorando ſe illicite & in fraudem agere, optime tamen fecerit Sylverius, ſi majoris ſecuritatis cauſa abſtineat a ſuis functionibus, & pro rehabilitatione ſupplicet. *Fromageau.*

CASUS XXXVIII. Sempronius diaconus presbyteratum ſuſcepit paucis diebus ante completum vigeſimum quartum ætatis ſuæ annum, idquæ ex conſilio directoris ſtudiorum ſuorum, parum pro nihilo habendum exiſtimantis; jamque per annos quadraginta functiones parochiales obiit, & ex fortuita lectione cujusdam libri dubitare incipit, an non ſuſpenſionem & irregularitatem incurrerit. Quid ſentiendum?

℞. Non incurrit ſuſpenſionem, & conſequenter nec irregularitatem contraxit functiones ſuas exercendo: non enim peccavit mortaliter, bona fide conſilium moderatoris ſui ſecutus. Et quamvis hoc non obſtante conſcientia ipſius tranquillari non poſſet, ſuſpenſumque ſe crederet ac obligatum, ut Romam recurrat pro obtinenda abſolutione, animandus tamen erit, ut, cum tota res occulta ſit, interea ad evitandum ſcandalum ac propriam infamiam continuet absque omni metu & anxietate functiones ſuas. *Fromageau.*

CASUS XXXIX. Conradus Epiſcopus omnes presbyteros a ſe recens ordinatos ſub pœna ſuſpenſionis adſtringit, ut ex diœceſi non diſcedant, ſed in eccleſiis particularibus deſerviant, ſicque ad munus parochiale quondam digne obeundum ſeſe præparent. Juſtene id exigit?

℞. Omni jure poteſt id ſtatuere Epiſcopus, & quidem ſub pœna ſuſpenſionis in inobedientes. Priusquam tamen hanc pœnam infligat, bene faceret, ſi in Synodo diœceſana, aut per ſpeciale mandatum promulgandum curaret, ut omnes ſacerdotium ſuſcipere volentes poſt ordinationem, antequam ad parochias admittantur, clericalia & ſacerdotalia officia exerceant in vicariatibus & eccleſiis parochialibus ad certum tempus. Quodſi non pareant, tunc abs re non erit pœnam ſuſpenſionis adhibere. *Fromageau.*

CASUS XL. Caſſius acolythus ad ſummam miſſam officio ſubdiaconi functus eſt. Incurritne irregularitatem?

℞. Si id factum ſine manipulo & contactu ſacrorum vaſorum, non incurrit; quia ſic non ſolemniter ac ex officio, utpo-

utpote ſine inſignibus ſubdiaconi, miniſtravit, more laicorum, qui in eccleſiis ruralibus, ubi miniſtri ordinati haberi non poſſunt, quandoque ejusmodi officia obeunt. *Fromageau.*

CASUS XLI. Kilianus Epiſcopus in quadam urbe epiſcopali alienæ diœceſis commorans pluribus diœceſanorum ſuorum ibi quoque exiſtentibus concedit litteras dimiſſorias, ut in hac ipſa urbe ab Epiſcopo non ſuo Ordines recipere poſſint. Juſtene Kilianus id gratiæ impertiri poteſt extra diœceſin ſuam?

℞. Si eos ad ſacrum miniſterium ſatis idoneos ac habiles judicaverit, poteſt ipſis concedere dimiſſorias; quia ejusmodi conceſſio eſt actus jurisdictionis voluntariæ, qui a Superiore in ſubditos ſuos ubique terrarum exerceri poteſt. *De Lamet.*

Nota. Per conſtitutionem Benedicti XIV. debet in dimiſſorialibus etiam exprimi cauſa, ex qua non ordinetur in propria diœceſi.

CASUS XLII. Jovius diaconus cum Ordinem presbyteratus reciperet, deliquio corripitur, ita ut ad ultimam manuum impoſitionem non amplius adeſſe potuerit. An ea in alia ſubſequenti ordinatione ſupplenda, vel integra ordinatio reiteranda eſt?

℟. Sunt quidem Theologi, qui ſecundam manuum impoſitionem non niſi accidentalem ceremoniam eſſe contendunt; alii tamen exiſtimant, eam peculiarem ac eſſentialem materiam eſſe, qua una cum verbis, *Quorum remiſeritis &c.* confertur poteſtas in corpus Chriſti myſticum; & ob hanc ipſam ſententiarum varietatem tutum non eſt eam omittere. In hoc autem plerique conveniunt, quod non ſit repetenda integra ordinatio, ſed ſolum omiſſa manuum impoſitio ſupplenda; quod & absque dubio ſufficit. *Fromageau.*

CASUS XLIII. Lyſias clericus obtinuit jam ante annum ab Epiſcopo ſuo litteras dimiſſorias ad determinatum Epiſcopum pro recipiendo ſubdiaconatu. Moritur autem ipſius Epiſcopus, antequam dimiſſoriis uſus fuit. An non hæ litteræ jam omni effectu carent?

℟. Non obſtante morte Epiſcopi concedentis dimiſſorias poteſt Lyſias a nominato in iis Epiſcopo ſubdiaconatum recipere, & Epiſcopus iſte poteſt illi legitime hunc Ordinem conferre: agitur enim hic de gratia, quæ, niſi revocata fuerit, non expirat per mortem concedentis, ſicut mandatum finitur morte mandantis. *Fromageau.*

CA-

CASUS XLIV. Petrus Religioſus a proprio ſuo Epiſcopo rejectus ab Ordinibus ob ſuſpicionem commiſſæ in admiſſione ad religionem ſimoniæ, ſiſtit ſe nihilominus cum aliis ad examen, cui coadjutor Epiſcopi poſtridie collaturus Ordines præſidebat. Examinatur Petrus, ſatisfacit, admittitur, & poſtridie ſubdiaconatum, paulo poſt diaconatum, ac tandem presbyteratum recipit; quin ullam unquam mentionem fecerit, quod ab ipſo Epiſcopo rejectus fuerit. An incurrit pœnam canonicam?

℟. Omnino ſuſpenſionem incurrit; eo quod a proprio Epiſcopo ſuo repulſus ad Ordines acceſſerit. Nec exinde juſta ipſi excuſatio allegari poteſt, quod ab Epiſcopi ſui coadjutore ordinatus fuerit: non enim major coadjutoris poteſtas & authoritas circa hoc, quam alterius Epiſcopi extranei, & quidquid coadjutor in proprii Epiſcopi diœceſi facit, non ſua ipſius, ſed Epiſcopi diœceſani authoritate facit. *Fromageau.*

CASUS XLV. Hyacinthus adoleſcens ſtatum eccleſiaſticum amplexurus ſuo ſeſe ſiſtit Epiſcopo pro tonſura clericali, a quo repulſus in aliena poſtmodum diœceſi furtive & absque dimiſſoriis tonſuram recipit. An incurrit pœnam canonicam?

℟. Nullam quidem cenſuram incurrit, cum expreſſus in jure textus non occurrat, qui ejuſmodi pœnam ſtatuit; peccavit tamen graviſſime. Interim tamen debet rehabilitari a ſuo Epiſcopo, imo etiam Romam recurrere, ut poſſit poſſidere Beneficium; quia contraxit quamdam inhabilitatem ad Beneficia; quæ tamen inhabilitas proprie irregularitas dici non poteſt. *Fromageau.*

CASUS XLVI. Abbatia quædam diœceſis Auguſtanæ incorporatam ſibi habet Præpoſituram ſitam in diœceſi Ratisbonenſi. Cum jam Religioſus quidam illius Abbatiæ fuiſſet ab Epiſcopo Auguſtano rejectus ab Ordinibus, miſit eum Abbas ad Præpoſituram ordinandum ab Epiſcopo Ratisbonenſi. Eſtne legitima hæc ordinatio?

℟. Non eſt legitima: Proprius enim Religioſorum Abbatiæ Epiſcopus eſt Auguſtanus, & non Ratisbonenſis; & ſi Abbas ac Religioſus mala fide ac in fraudem ſic egerunt, incurrit uterque pœnas a jure ſtatutas. Epiſcopus Auguſtanus per cenſuras poteſt cogere Abbatem, ut ad ſe tantum, nec ad alium mittat Religioſos ſuos pro recipiendis Ordinibus. *Fromageau.*

CASUS XLVII. Cajetanus Religioſus reclamat intra quinquennium contra profeſſionem ſuam, utpote coacte & conſequenter nulliter emiſſam; ſed cum intra id tempus ſacros Ordines ſuſceperit, & quidem ad titulum paupertatis religioſæ, dubitatur, an reclamatio admitti poſſit; eo quod per ſuſceptionem Ordinum libere vota ſua ratificaſſe cenſeatur. Quid ſentiendum?

℟. Cum ſuſceptio Ordinum & profeſſio religioſa valde diſcrepent inter ſe, recipiendo Ordines non cenſetur quis ratificare vota ſua. Et hinc, etſi ſuſceperit Ordines ita conſtitutus in animo, ut contra valorem profeſſionis ſuæ velit agere, reclamatio tamen poteſt & debet admitti. *Fromageau.*

Vide *Dimiſſoriæ. Epiſcopus. Irregularitas. Suſpenſio.*

ORNAMENTA ECCLESIAE.

1. Per *Ornamenta Eccleſiæ* hic intelliguntur veſtes ſacerdotis celebrantis, corporalia, mappæ altarium, & quidquid unice deſtinatum eſt ad uſum eccleſiæ, ut pluvialia, tunicæ, aliaque paramenta ſacra.

2. Pleraque horum ornamentorum neceſſario benedicenda ſunt ab Epiſcopo, ut amictus, alba, cingulum, caſula, ſtola, manipulus, altarium linteamina, & corporale; nec a quopiam alio absque licentia Epiſcopi poſſunt iſta benedici, niſi quis habeat ſpeciale privilegium, uti habent Superiores plurium Ordinum religioſorum pro ſuis eccleſiis & oratoriis, vel niſi quis conſuetudinem benedicendi legitime præſcripſerit.

3. Diſcutietur in reſponſionibus ad ſequentes caſus, an liceat ſcuta & inſignia gentilitia appendere, vel acu phrygia pingere, vel quomodocumque exprimere ſuper caſulis, tunicis, pluvialibus, & paramentis altarium: an in certis caſibus ornamenta hæc benedicta poſſint adhiberi ad uſus profanos; an absque peccato texta ſerica aliave pretioſa, quibus uſæ jam ſunt perſonæ ſæculares, v. g. lectiſterniorum cortinæ, ſiparia, veſtes muliebres &c. converti poſſint in ornamenta eccleſiæ & altarium: an, dum deeſt quidpiam de paramentis ſacerdotalibus, nihilominus in caſu neceſſitatis celebrare liceat &c.

CASUS I. Paulus in eccleſia quadam campeſtri, ubi forte aderat, celebrandi miſſam ſibi veniam expetit. Offeruntur

tur

tur ipſi paramenta, ex quibus aliqua necdum fuerunt benedicta, alba præſertim; eratque dies illa feſtum Pentecoſtes, & ni celebrare liceat, abſolute nec dicendi nec audiendi Sacrum occaſionem nacturus eſt. Potuitne absque peccato celebrare hac alba uſus?

℞. Non potuit ſic celebrare absque gravi peccato; cum benedictio omnium veſtium ſacerdotalium ſit de neceſſitate præcepti. *Ea, quæ ab Eccleſia ſtatuuntur*, ait S. Thomas part. 3. q. 83. art. 3. C. *ab ipſo Chriſto ordinantur.... In his, quæ circumſtant hoc Sacramentum, duo conſiderantur, quorum.... aliud pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, in quo Chriſtus ſecundum veritatem continetur. Unde & conſecrationes adhibentur his rebus, quæ veniunt in uſum hujus Sacramenti tum propter Sscramenti reverentiam, tum ad repræſentandum effectum Sacramenti, qui ex paſſione Chriſti provenit.* Dein ſi liceret celebrare adhibita alba non benedicta, liceret etiam uti caſula & aliis paramentis profanis ſeu non benedictis; id quod nemo aſſerere auſus fuerit. *Pontas.*

Nota. Argumenta plura, quibus Pontaſius in ampliſſimo ſuo Dictionario peccatum grave ac mortale ex celebratione miſſæ ſine alba *benedicta* extorquet, fere nil aliud probant, quam quod veſtes ſacerdotales ad miſſam debeant eſſe benedictæ, & quod etiam in caſu neceſſitatis non liceat miſſam celebrare absque veſtibus ſacerdotalibus: aliud eſt ad aram operari ſine veſtibus ſacerdotalibus: & aliud uti veſtibus quoad formam externam ſacerdotalibus, attamen non benedictis; illud publicum eſt, & parit ſcandalum, hoc plerumque incognitum ac ſine ſcandalo. Hinc Paulus in hisce circumſtantiis ad celebrationem miſſæ uſus alba *non benedicta* nullius prorſus peccati, multo minus mortalis, arguendus eſſe videtur. Imo ſi Paulus fuiſſet parochus, & ex omiſſione Sacri, vel longa mora timendum fuiſſet ſcandalum aut murmur populi, debuiſſet celebrare, & uti alba non benedicta in defectu benedictæ.

CASUS II. Ariſtobulus habens caſulam duplicatam, albam nempe ex una, & rubram ex altera parte, eandem diſſuendam curavit, additoque cuilibet parti iam novo ſubtegmine duas modo habet caſulas; ſic etiam fecit circa ſtolam & manipulum. His paramentis conſtanter utitur absque nova illorum benedictione. Num licite?

℞. Absque omni peccato continuat uſum horum paramentorum: per illam mutationem enim neutra pars amiſit ſuam benedictionem. Juxta S. Antoninum 3. part. Summ. Theol. tit. 13. c. 6. §. 5. *quando caſula eſt duplicata, ſuper qualibet parte ſit benedictio.... & ſi una pars amoveatur ab alia, remanet benedicta, & poteſt in ea celebrari; & ſimiliter de dupla ſtola. Pontas.*

CASUS III. Nicaſius parochus eccleſiæ campeſtris admodum pauperis planetas & albas conſtanti uſu ac vetuſtate valde attritas renovari curat. Debentne renovatæ de novo benedici, antequam ad uſum altaris adhibeantur?

℟. Si paramenta adeo ſint attrita & lacera, ut cum decentia iisdem haud amplius uti poſſit Nicaſius, ut ſi v. g. manica albæ ita uſu attrita eſſet, ut alia aſſui deberet, juxta S. Antoninum l. c. amiſerunt benedictionem ſuam; & ſic inepta ſunt ad ulteriorem uſum, niſi renovata de novo benedicantur. *Pontas*

CASUS IV. Bartholomæus parochus habet aliquot albas uſu adeo detritas ac laceras, ut ad miſſæ celebrationem adhiberi amplius non poſſint. Illarum igitur in partes ſciſſarum lacinias ſorori ſuæ donat pro minutioribus linteolis uſui futuras. An peccat?

℟. Sacri canones prohibent omnem elargitionem ejusmodi linteaminum; imo jubent, ut comburantur, & cineres mittantur in aliquem abditum locum eccleſiæ, ubi pedibus conculcari non poſſint. *Non licet ea, quæ inſacrario fuerint, male tractari*, ut habetur Can. *Altaris* 39 de conſecr. diſt. 1. *ſed incendio univerſa tradantur; cineres quoque eorum in baptiſterium inferantur, ubi nullus tranſitum habeat; aut in pariete, aut in foſſis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.* Imo juxta can. *Nemo.* 40. ibid. hæc linteamina ne quidem ad involvenda defunctorum corpora adhibere licet. Absque dubio igitur Bartholomæus peccavit. *Pontas.*

CASUS V. Chriſtina nobilis matrona Theodulo parocho ſuo dono dedit pretioſa admodum lectorum ſiparia, qui ex iisdem confici curavit caſulam & pluviale, quibus jam a biennio ad miniſterium ſacrum utitur. An peccavit?

℟. In diverſa hac ſuper re abeunt Theologorum ſententiæ. S. Antoninus 3. part. tit. 13. c. 6. §. 5. tenet, ejusmodi utenſilia profana non poſſe adhiberi pro paramentis & uſu ſacro eccleſiæ; & cum ipſo concordant complures Theologi. Alii econtra, inter quos Angelus de Clavaſio in Summa V. *veſtis.* aliter ſentiunt, allegantes conſuetudinem ubivis receptam, & exemplum antiqui Tabernaculi Moſaici variis rebus exornati, quæ a fœminis offerebantur; & hæc ſententia præferenda eſt. Dicendum ergo eſt, Theodulum hæc lectorum ſiparia potuiſſe absque peccato convertere in paramenta, iisdemque antea pro more benedictis uti in eccleſia ad functiones ſacras. *Dum ſacra ad profanos uſus applicantur*, inquit Silvius,

vius, *polluuntur; at profana, quæ in uſum ſacrum convertuntur, ſanctificantur per benedictionem epiſcopalem. Pontas.*

CASUS VI. Dorotheus parochiæ Toparcha ornamenta magni pretii juſu ſuo elaborata dono offert eccleſiæ parochiali; ſed quia iisdem apponi juſſit ſtirpis ſuæ inſignia gentilitia, loci parochus renuit iisdem uti in altaris ſacrificio. Id adeo acerbe tulit Toparcha, ut plane jam cogitaverit revocare ornamenta prædicta, alteri eccleſiæ donanda. Poteſtne parochus prudenter perſiſtere in ſua repulſa?

℟. Uſus apponendi ſcuta gentilitia ornatibus eccleſiarum incepit circa ſæculum undecimum, & ex eo tempore a pluribus Prælatis vitæ inculpatæ ac exemplaris fuit retentus & continuatus. Ex traditione non habemus ullum textum expreſſe reprobantem hanc conſuetudinem; quæ, cum non ſit mala ex natura ſua, ſolum mala efficitur per vanam intentionem eorum, qui ex mera oſtentatione ſua apponi jubent inſignia. Imo & omnino condemnari non poteſt, dum apponuntur eo fine, ut ſucceſſores ſuos hac ſua liberalitate provocent ad ſplendorem domus Dei, & cultum divinum in eccleſiis vel conſervandum vel reſtaurandum. His ſuppoſitis abſolute loquendo Toparcha haud videtur reprehendi poſſe aut condemnari, eo quod inſignia ſua in ornamentis eccleſiæ donatis exprimi juſſerit: nunquam enim id reprehenſione dignum, niſi ob reprehenſibile motivum, quod haberi poteſt; ejusmodi autem intentionis ſolus Deus arbiter eſt, & judex. Si ergo parochus Dorothei non verſatur in aliqua diœceſi, ubi conſuetudo hæc prohibita eſt ab Epiſcopo, non poteſt reſpuere uſum paramentorum a Dynaſta eccleſiæ oblatorum. *Pontas.*

CASUS VII. Pachomius volens celebrare in eccleſia rurali, & ibidem non inveniens cingulum, pro cingulo adhibet ſtolam, & pro ſtola manipulum ſatis longum: urgebat enim celebrandi neceſſitas; quia dies feſtus erat. Num licite?

℟. Juxta S. Antoninum 3. part. Summ. Theol. tit. 13, c. 6. §. 5. Pachomius in hoc caſu neceſſitatis innoxie ſic agere potuit; cum ſtola & manipulus benedictionem epiſcopalem acceperint. *Pontas.*
Vide *Conſecratio. Miſſa. Parochus.*

ORNATUS MULIEBRIS.

1. Vox hæc *Ornatus*, ſeu ad decorem compoſitio, a verbis *ornare, ad decorem componere, concinnare* derivatur,

 atque

atque in hoc ſenſu ſexui tantum muliebri convenit. Fœminarum enim ac puellarum paſſio fere prædominans eſt ornare ſe, comere, pingere, ut appareant pulchriores, ut ſint amabiliores, juvenibusque vel viris placeant magis.

2. Fœminæ & virgines in certis caſibus poſſunt ornare ſe, quin peccati coram Deo reas ſe faciant. Ex quo ſequitur, ornatum muliebrem non eſſe malum ex natura ſua, fieri autem malum ex circumſtantia finis mali. Si corruptio cordis, & animi depravati affectus ipſis ſuadeant ejusmodi ornatum, ſemper peccant; hoc tamen peccatum non eſt ſemper mortale.

CASUS I. Fredegundes matrona maritata ordinarie incedit induta ornatu magnifico juxta morem patriæ & temporis, ut magis placeat viro, ſervetque decorem ſtatus ſui ac conditionis. An hæc intentio excuſat a peccato?

℟. Non cenſetur peccare Fredegundes: præceptum enim obligans uxores ad obedientiam maritis ſuis præſtandam arctius eas ſtringit, quam prohibitio ornatus ſuperflui. S. Thomas 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. ait: *Quia ergo mulieres licite ſe poſſunt ornare, vel ut conſervent decentiam ſui ſtatus, vel aliquid etiam ſuperaddere, ut placeant viris; conſequens eſt, quod artifices talium ornamentorum non peccant in uſu talis artis; niſi forte inveniendo aliqua ſuperflua & curioſa.* Quod ſi vero ejusmodi ornatus ſcandalum crearet proximo, mariti ſic jubentis voluntas neutiquam uxorem a peccato excuſaret: ſcandalum quippe activum lege divina prohibitum eſt. *Pontas.*

CASUS II. Valentinæ nuptias ambit juvenis quidam. Studio ergo placendi ſuo candidato eo ſe apparatu exornat, quem ſtatus ſui ratio & poſtulat & permittit. Eſtne propterea cujusdam peccati condemnanda?

℟. Si hoc ſuo ornatu nullam habet intentionem provocandi juvenem illum ad amorem laſcivum, ſed magis tantum alliciendi & invitandi, ut uxorem ipſam habere eo lubentius exoptet, neutiquam peccat. *Similiter* non peccat, ait S. Thomas in cap. 3. Iſaiæ. *ſi faciat, ut placeat decenter viro ſuo, quem habet, vel quem accipere debet, & ut ab aliis mulieribus retrahatur. Pontas.*

CASUS III. Florentia cujusdam comitis filia firmum habet propoſitum non aſpirandi amplius ad ſecundas nuptias; hoc tamen non obſtante eo ſumptuoſo ac magnifico ornatu incedit, ac vivente marito ſuo conſueverat. Poteritne ſtatus nobilitas excuſare ipſam a peccato?

℟. Ma-

℟. Matronam illuſtrem decet ditior ſplendidiorque habitus quam vulgaris conditionis fœminam. Interim tamen, cum Florentia nolit amplius tranſire ad ſecundas nuptias, videtur, eam non poſſe abſque peccato ſe ornare modo extraordinario: quinimo ſi hoc ſuo ornatu intendat placere aliis, amoremque in iisdem excitare aut fovere, a peccato mortali excuſari non poteſt. Si id faciat ex levitate, vel vana complacentia erga ſe ipſam, peccatum non eſt ſemper mortale, ſed quandoque tantum veniale. *Illæ autem mulieres*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 169. art. 2. C. *quæ viros non habent, nec volunt habere, & ſunt in ſtatu non habendi, non poſſunt abſque peccato appetere placere virorum aſpectibus ad concupiſcendum; quia hoc eſt dare eis incentivum peccati: & ſiquidem hac intentione ſe ornent, ut alios provocent ad concupiſcentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quandoque veniale.* Si vero ornatus ipſius non eſt diverſus ab eo, nec ſplendidior, quam cui vivente marito aſſueverat, nec conditionem ſtatus excedit, nec modeſtiam aut pudorem offendit, ſolumque adhibetur ad conſervandum decorum ſui ſtatus, nullum omnino intervenit peccatum; niſi aliunde hoc fiat ex motivo ac ſpiritu vanitatis. *Pontas.*

CASUS IV. Attilius ſericarius novam invenit pannorum ſericorum ſpeciem, quæ oculos & animos fœminarum adeo rapuit, ut etiam uxores civium animo honorificentius exornandi ſe his pannis utantur. Peccavitne Attilius? Num fœminæ abſque peccato hujuſmodi pannis uti poſſunt?

℟. Secundum principia in præcedentibus reſponſionibus ſtabilita dependet ex fine ſericarii novarum texturarum inventoris, & ex intentione fœminarum iis utentium, an peccent, vel an graviter aut tantum leviter peccent. Mercator in particulari poteſt abſque peccato excogitare novum texturæ genus, dum illud tantum deſtinat in uſum earum perſonarum, quibus ob qualitatem & prærogativam ſtatus ejuſmodi veſtitus competit. S. Thomas in 1. ad Timoth. 2. lect. 2. ait: *Secundum Auguſtinum duo ſunt conſideranda in ornatu mulierum; ſcilicet ſimplex ornatus & fucatus. Simplex ornatus, puta & in veſte, & in auro & hujuſmodi; quod poteſt fieri cum peccato tribus modis ſcilicet primo ex prava intentione, ut ſi intendant commotionem concupiſcentiæ, oſtentationem vel inanem gloriam. Secundo, ſi fiat præter conſuetudinem patriæ, quod fit diverſimode. Tertio, ſi conditionem ſui ſtatus excedit.*

Sed ſervata recta intentione, conſuetudine patriæ, & conditione ſtatus, non eſt peccatum. Pontas.

Vide *Veſtitus mulie bris. Sartor.*

OSCULUM.

1. Duplex diſtinguitur oſculum; nimirum oſculum purum amicitiæ, quod eſt peccati expers; & oſculum libidinis, quod eſt peccaminoſum.

2. Oſculum inter perſonas diverſi ſexus poteſt conſiderari tripliciter 1. ex natura ſua; & ſic ſpectatum non eſt peccatum. 2. In ordine ad delectationem ſenſualem ex intentione oſculantis ordinatam ad actum peccaminoſum; & ſic ordinarie eſt peccatum mortale. 3. In ordine ad ſolam delectationem ibi reperibilem abſque ulla intentione progrediendi ad actum aliquem peccaminoſum; & ſic adhuc eſt peccatum mortale, ſi voluptas eſt finis principalis, quem oſculans intendit.

CASUS I. Callinicus ſæpius deoſculatur vicinam ſuam cum plena quidem deliberatione, ac etiam carnalis delectationis captandæ cauſa; ſed ſine ulla ulterius progrediendi intentione, ac circa ullum pollutionis incurendæ periculum. Peccatne mortaliter?

℟. Mortaliter peccare Callinicum, liquet ex his S. Thomæ verbis 2. 2. q. 154. art. 4. C. *Cum fornicatio ſit peccatum mortale, & multo magis aliæ luxuriæ ſpecies; conſequens eſt, quod conſenſus in delectationem talis peccati ſit peccatum mortale, & non ſolum conſenſus in actum: & ideo cum oſcula & amplexus hujuſmodi propter delectationem hujuſmodi fiant; conſequens eſt, quod ſint peccata mortalia.* Contrarium fuit damnatum ab Alexandro VII. propoſitione 40. his verbis concepta: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis. Pontas.*

CASUS II. Claudius uxorem ſuam adeo affectuoſe ſingulis prope diebus deoſulatur, ut inde carnales motus, & quidem vehementes in ſe ſentiat frequenter excitari. Peccatne mortaliter?

℟. Si ex talibus oſculis naſcatur pollutio, vel fœdi hujus peccati periculum ſit, indubitato peccat mortaliter. Utroque autem ſecluſo lethalis noxæ non eſt damnandus. Gravia

via tamen ſunt delicta venialia : unde ſapientis eſt Confeſſarii ab ejusmodi dehortari Claudium. *Pontas.*

CASUS III. Clodobertus Fabiolam ſibi a parentibus deſponſatam ſingulis ferme diebus inviſens, eam citra ullum libidinis animum deoſculatur, ut ejus affectum ſibi magis ac magis conciliet, ſuumque ipſi ſincerum amorem teſtetur. Quia tamen carnales motus in ſe excitari identidem ſentit, veretur, ne graviter peccet. Num ita eſt?

℞. Cavere debet, ne in hujusmodi oſculis ullam carnalem delectationem quærat, ac ne quidem in eam, quæ ex ipſo ſolo oſculo oritur, conſentiat, ne forte in noxam mortalem impingat. Porro etiam caveat ſollicite, ne clanculum, ſed præſentibus ſolummodo propinquis aliisve perſonis honeſtis fabiolam deoſculetur, ne ſecreta oſcula tandem evadant libidinoſa, & conſequenter peccata mortalia. *Pontas.*

CASUS IV. Pœnitentem quampiam venientem ad confeſſionem quandoque confeſſarius excipit amico oſculo. Eſtne & deinceps perſonæ huic adeundus iſte confeſſarius?

℞. Non eſt amplius adeundus, ſed hoc relicto adire debet alium; cum hic agendi modus tam pœnitenti quam confeſſario ſit occaſio proxima peccandi. Eccli. 9. v. 11. dicitur; *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt; colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit.* Si hæc ex aſpectu & collocutione, quid non ex oſculo timendum. *Fromageau.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

MAG. 2008361

Digitized by Google

Google

Digitized by Google